9°=8114

BH
FCC
18657

~~30-8-NR 8744~~

~~B-6~~

1863

ACTA ERVDITORVM

ANNO

M DC XCII

BIBLIOTECA

publicata.

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Potentissimi Electoris Saxoniæ privilegiis.

LIPSIÆ.

Prostant apud JOH. GROSSII Hæredes & JOH. FRID. GLEDITSCHIUM.

Typis JOHANNIS GEORGI.
A. MDC XCII.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii, Anno M DC XCII.

HISTORIÆ BRITANNICÆ, SAXONICÆ, Anglo-Danicæ, Scriptores quindecim, ex vetustis Codicibus Manuscriptis editi, opera Thomæ Gale, Th. Pr.

Oxoniæ, e theatro Sheldoniano, 1691, in fol.

Constant Alphab. 9. plag. 9.

HIstoriæ suæ patriæ, literarum beneficio, ab oblivione vindicandæ plures studuerunt Angli, Scoti & Hiberni; & vel inde usque a prima regnorum origine orsi, vel certi definitique temporis ambitum complexi, insigniores suæ gentis res gestas memoriæ mandarunt literisque consignarunt. Verum ea fuit tantum non omnium calamitas, ut temporum suorum tenebris involuti, dum a Barbaris regna devastantur, cum iisdem ipsi simul stragem paterentur & intercideren; qui autem non adeo immiti urgebantur fato, in monachorum, Benedictinorum præcipue, claustris asservati delitescerent, & longa nocte premerentur. Quosdam horum in publicam lucem inde protraxerunt, & relicta ab iis historiarum monumenta protulerunt (ut *Jo. Lelandum* taceamus, qui, dicente Jo. Baleo Cent. VIII de Script. Britann. cap. 81. exoletos seu ab usu remotos, atque adeo in oblivione pene sepultos Britannicos autores solus resuscitavit,) sub finem præterlapsi seculi & hoc (quod & ipsum ad finem decurrit) seculo, e Bibliothecarum tenebris veteres Scriptores Anglos eruentes, omniumque conspectui exponentes, ac libros eorum vel integre transscribentes, vel antea editos corrigentes, varias lectiones colligentes, & obscura loca annotatiunculis subinde illustrantes, doctissimi diligentissimique viri, *Matthæus Parkerus* Archiepiscopus Cantuariensis

A. 1570, 1571 & 1574. *Hieron. Commelinus* A. 1587. *Gul. Howardus* A. 1592. *Henricus Savilius* A. 1596. *Gul. Camdenus* A. 1602. *Andreas Duchesnius* A. 1619. *Rogerus Twysden* A. 1652. Quas collectiones præclaras meritissimoque æstimandas Seldenus censuit; utpote rerum ante actarum, civilisque inde, tam circa sacra quam profana, disciplinæ liberius & serio eliciendæ amantioribus universis gratissimas acceptissimasque. Neque enim generalem totius regni historiam quisquam cognoscet, qui non res quoq; in singulis provinciis gestas & populorum ecclesiarumque etiam privatarum historias perspexerit. Quocirca ejusmodi prisca monumenta, quotquot indagare licuit, summo studio congesserunt illustres & patriæ posteritatique consulentes viri, *Robertus* & *Thomas Cottoni* Equites & Baronetti, *Th. Cromwellus*, *Thomas Howardus* Comes, Comites *Arundellii*, *Jo. Foxius*, *Jo. Bodleus* & alii, bibliothecas instructiores qui adornarunt. Eo forte consilio, ut quia integra gentis Anglorum historia nulla adhuc extat, (nam *Polydorum Virgilium*, ut hominem Italum & in rebus Anglicis hospitem, neque in republica versatum, nec magni alioqui judicii vel ingenii, pauca ex multis delibasse, & falsa plerumque pro veris amplexum, historiam reliquisse, cum cætera mendosam, tum exiliter & jejune conscriptam, censet Savilius) si maxime nonnulli inter autores, quorum scripta collegerunt, non ea dignitate res gestas exposuerint, quam suscepti operis magnitudo postulabat; quod infimæ sortis quidam essent, ac proinde putidis ineptiis & anilibus fabulis rerum gestarum narrationes contaminassent: alii tamen, ab eruditione, prudentia, ingenio & eloquentia instructiores, hos quasi ad manum haberent commentarios, unde peterent, quæ ad contexendam historiam Anglicam integram omnibusque numeris absolutam pertinerent. Hac spe, qua exoriturum perfectæ historiæ istius conditorem confidit, monumenta talia e Bibliothecarum ejus regni arcanis & incarceratione, ut loquitur, depromta hodie evulgat, disjectosque ac palantes scriptores colligit, & conquisitos voluminibus coarctatos publicæ luci exponit *Thomas Gale*, Oxoniensis Episcopi Joannis Fell crebris hortatibus, & cum moreretur, obtestationibus, ut ineditos rerum Britannicarum scriptores evulgaret, incitatus. Prodiit septem abhinc annis e theatro Sheldoniano ejusmodi volumen, Ingulfi historiam Croylandensem, Petri Blesensis continuationem, Chronica Mailrosensia,

ſenſia, Annales Burtonenſes, & Croylandenſis hiſtoriæ continuationem complexum, in Actis anni 1685 p. 143 a nobis memoratum. Alterum volumen ad ejusdem inſtituti rationes congeſtum A. 1687 a Galeo evulgatum eſt, quod annales Marganenſes, Thomæ Wikes chronicon, Annales Waverleienſes, Itinerarium Richardi Regis & aliorum in terram Hieroſolymorum autore Gaufrido Vineſalvo, & Walteri Hemmingfort de geſtis Regum Angliæ chronicon continet, in Supplementis Actorum Sect. II p. 108. 109. recenſitum.

Proxime præterlapſo anno nova exiit ſylloge, quam tertii voluminis nota inſignire poſſemus, niſi Autori (incertum, quam ob cauſam) aliter eſſet viſum, qui nulla primi voluminis mentione facta, opus hoc ita inſtruxit, ut duabus partibus conſtet, quarum poſterior eos complectatur ſcriptores, qui modo memoratum ſub titulo *ſecundi voluminis Hiſtoriæ Anglicanæ ſcriptorum* A. 1687 editum codicem implent; prior autem quindecim exhibeat vetera monumenta, ex vetuſtis codicibus depromta, nuperque demum edita, quæ jam enarrabimus.

Primo loco *Gildas* extat monachus & abbas cœnobii Bannochorenſis, cognomento *Sapiens* (diverſus a Gilda *Cambrio* poeta inſigni, de quo Gyrald. dial. 5. de Poet. & Baleus Cent. I Scriptor. Brit. cap. 24. & *Albanio*, de quo idem Baleus Cent. I cap. 50, nec non *Quarto* ſeculi noni ſcriptore, apud eundem Cent. II cap. 21.) ſeculi ſexti ſcriptor. Hujus *de excidio Britanniæ* liber querulus aliquoties antea editus a Cutheberto Tonſtallo, Pol. Virgilio, Jo. Joſſelino, Hier. Commelino & aliis, jam ex antiquiſſimo codice Cantabrigienſi manuſcripto recenſitus prodit, annotatis variis lectionibus, & ſubjecta ejusdem *epiſtola*, e verbis Sacræ Scripturæ maximam partem contexta, in qua Britannorum vitia caſtigat, & quam atrocia iſti a Saxonum adventu usque ad tempus illud, quo iſta tradebat, perpeſſi fuerint, acerbe queritur, regulosque Conſtantinum Cadorum, Aurelium Conanum, Vortiporium, Cuneglaſum & Maglocunum hortatur, ut reſipiſcant, ne iram Dei graviorem in ſe concitent. Quos omnes, ſeu duces, ſeu reges, aut regulos quomodo una epiſtola increpare potuerit Gildas, disquirit Voſſius Lib. II de Hiſt. Latin. cap. 21, ubi plura de Gilda. pag. 1. 18. 38.

II. *Vita S. Wilfridi* Epiſcopi Eboracenſis, ab *Eddio*, ſive *Heddio*, cognomento *Stephano*, monacho & presbytero apud Cantios, ſcripta

pta ſeculo octavo, quo ſub Oſrico Northumbriæ rege clarus erat. Hanc juxta MSC. codicem Sarisburienſem emaculatam & auctam dedit.

pag. 91. III. *Eulogium Britanniæ*, ſcriptum a *Nennio* ſive *Ninnio* Banchorenſis cœnobii antiſtite, qui ſeculo ſeptimo, ſub Cadroano, Duce Britanno, Evangelii doctrinam per Cambrorum fines & Scotiæ inſulas diſſeminavit. Plures ab ipſo ſcriptos libros nominat Baleus & Pitſeus; ſed quod variis titulis idem inſigniretur liber, totidem commentarios quot epigraphas ab ipſo prodiiſſe, falſo exiſtimare iſtos ſcriptores, cenſet Galeus: qui ex variis varie corruptis exemplaribus Eulogium hoc ſub titulo *Hiſtoriæ Britonum* nunc evulgavit.

141. IV. *Aſſerii Menevenſis*, Epiſcopi Sarisburienſis, *Chronicon ſani Sancti Neoti*, ſive *Annales*, ſeculo nono vel decimo ſcripti: nam diem obiit A. 909. Is quoque vitam Aelfredi Regis, Tiguri A. 1575 editam, ſcripſit, & alios libros, Baleo Cent. II cap. 25. memoratos: eum autem Brianus Tvvynus lib. 2. de Antiqu. Acad. Oxon. p. 143. tantæ cenſet fidei, atque autoritatis, ut nemini unquam ſuſpectus fuiſſe dignoſcatur.

177. V. *Ranulphi Higdeni* monachi Ceſtrienſis Ord. Bened. *Polychronicon* ſeculo decimo quarto ſcriptum, a mundi exortu ad autoris usque ætatem A. 1343 ex aliorū chronicis deperditis contextum, appoſita annorum ſupputatione. Sex conſtat libris, pro numero tum ſex dierum quibus operatus eſt Deus, tum ſex ætatum, in quas univerſa mundi hiſtoria diſpeſcitur. Nec ſuæ ſolum gentis, ſed & exterarum res geſtas fuerat perſecutus: compendio quodam ea complexus omnia, quæ ſparſim & ſine ordine apud autores in variis invenerat bibliothecis. In hac autem editione Galeus reſecuit quæ Anglicam non ſpectant hiſtoriam; ea etiam, quæ ad Normannorum usque tempora ſcripſerat, tantum exhibuit. Anglicam in linguam translatum fuiſſe hoc Polychronicon a Jo. Treviſa, & continuatum ad annum usque 1398, tradit Voſſ. Lib. III de Hiſt. Lat. cap. 2.

289. VI. *Guilelmi Malmesburienſes*, monachi Benedictini, Bibliothecæ *Malmesburienſis* (a qua cognomen accepit) præfecti *liber de antiquitate Eccleſiæ Glaſtonienſis*, ſeculo duodecimo exaratus (obiit enim A. 1142) ex vetuſtis membranis Bibliothecæ Collegii Trinitatis apud Cantabrigienſes, nunc primum editus. Quinque hujus præſtantiſſi-

mi

mi scriptoris libros *de rebus gestis Anglorum*, duos *Historiæ novellæ*, & quatuor *de gestis Pontificum Anglorum*, edidit Henr. Savile, qui præclare admodum de eo sentit, ut ex Præfatione istius collectionis Londini A. 1596 in publicum emissæ colligere licet.

VII. *Vita S. Aldelmi* ab eodem Guil. Malmesburiense scripta; quam *Antiquitatum Malmesburiensium* nomine citat, & diversum a vitæ Aldelmi narratione scriptum esse existimavit Baleus Cent. II cap. 73. revera autem idem uterque liber est: quem propterea antiquitatum Glastonienſium libris sub titulo Libri V *de Pontificibus* subjunxit Galeus. pag. 337.

VIII. *Historia Rameſiensis*, sive liber de fundatione & benefactoribus cœnobii Rameſiensis, ab anonymo, non ineleganti tamen autore conscriptus. Absolvitur 121 capitibus, quæ continentur partibus tribus: quartam autem, quæ statum & fortunam cœnobii istius ab ingressu Normannorum exponat, nondum inventam sibi Galeus queritur, etsi multum quæsitam. De regibus Ædgaro, Ædvvardo, Æthelredo, , Ædmundo, Canuto, Haraldo, Hardecnuto, Edvvardo; Sanctis item Dunstano, Osvvoldo, Æthelvvoldo; Abbatibus, Ædnotho, Wlfsio, Wythmanno, Æthelstano, Ælfvvino; de S. Ivonis reliquiis aliisque varia disserit. 383.

IX. *Historiæ Elyensis Ecclesiæ*, liber *primus* a quodam cœnobita istius monasterii seculo duodecimo scriptus, miracula & res gestas S. Æthelvvoldi Wintonienſis Episcopi exponit; & qua ratione is emtionibus & donationibus cœnobium istud auxerit, enarrat. 463.

X. Historiæ istius liber *secundus*, a *Thoma* monacho istius cœnobii seculo duodecimo scriptus; dedicationem Elyensis Ecclesiæ; ipsi factas donationes; Abbates Brithnodum, Ælsinum, Leofvvinum, Leofricum, Vulsticum; privilegia Ecclesiæ isti ab Ædgaro rege A. 970, & ab Æthelredo A. 974 concessa; reliquias etiam S. Wendredæ virginis in eam translatas describit. 489.

XI. *Jo. Wallingford* Abbatis ad S. Albanum Chronica, Saxonum & Danorum reges Angliam occupantes, & nonnulla sub iis gesta, a temporibus Wortigerni A. 449 ad annum usque 1026 quo Edvvardus confessor regnavit, enarrat. 525.

XII. *Radulphi de Diceto*, Londinensis Ecclesiæ cathedralis ad D. Pauli Decani, historia *de regibus Britonum*, seculo decimo tertio vide- 553.

tur esse scripta. Numerantur in ea XCIIX Reges a Bruto usque ad Cadvvaladrum A. 689 mortuum. Post hunc enim, supervenientibus Anglis, Britones & nomen & regnum perdidisse referuntur, quod duobus millibus & quadraginta sex annis steterat.

pag. 560. XIII. *De partitione provinciæ Anglicæ* in Shiras, Episcopatus & Regna *Anonymi* tractatus e MSC. codice Bibliothecæ Arundellianæ editus est. Shiræ seu comitatus numerantur & recensentur triginta duo; Episcopatus viginti; Archiepiscopatus duo, Cantuariensis & Eboracensis, Gigantibus autem expulsis regnasse dicuntur Reges Britones nonaginta novem, quorum primus fuerit Brutus; Germanici nonaginta sex, quorum primus fuerit Hengistus; Anglici quindecim, quorum primus Alfredus. Particularia vero Angliæ regna ab Hengisti temporibus sex fuisse, præter Britonum regulos, qui residui erant, Carnovvallenses & Wallenses Autoris hujus ætate dicti.

565. XIV. *Joannis Fordun* vel *Fordon* (nequaquam autem *de Forda* vel *Fordham* qui ab hoc nostro plane alius, cœnobii Fordensis abbas & Johanni Regi ab auriculari confessione, de quo Baleus Cent. 3 cap. 66.) *Scoti-chronicon* sive *Scotorum historia*, seculo decimo quarto scripta. Incipit ab origine mundi, & Scotorum ex Ægypto profugorum Regem quendã *Geythelos* ejusq; filium Hyber (a quo dicta Hybernia) memorat, rationemque transfretationis Scotorũ in Albionem insulam exponit lib. *primo*. Æneæ Trojani abnepotem, Silvii Ascanio geniti filium Brutum, tres filios habuisse, Locrinum, Albanactum & Cambrũ, qui Britonum regnũ inter se diviserint; responsum audax legatis Julii Cæsaris a Scoris datum; Christi nativitatem; conversionem Scotorum ad religionẽ Christianam sub Victore I Pont. A. C. 203 narrat libro *secundo*. De Palladio primo Scotorum doctore & Episcopo, Saxonum invasione, Britonum intestinis dissidiis, Gildæ prophetiis, Arthuro rege, Sancto Columba, Colmanno, Merlino, &c. refert libro *tertio*. De bellis adversus Pictos gestis, Pictonum & Scotorum regibus, agit liber *quartus*. De consiliis Macduffi Malcolmo datis, & morte Eduardi liber *quintus* narrat. Tota autem historia hæc ex Bedæ, Galfridi Monumetensis, & Wilh. Malmesburiensis libris excerpta est.

701. XV. *Flacci Alcuini* (Alevvini, Alahvini, Albini) poema *de Pontificibus & Sanctis Ecclesiæ Eboracensis*, scriptum seculo octavo, ex MSC.

Cod.

Cod. Remensi primum in lucem productum. Maximam partem ex narrationibus Bedæ est contextum, variaque in eo miracula narrantur, & Sancti ac Episcopi recensentur Gregorius, Paulinus, Osvvaldus, Wilfridus, Cuthbertus, Bosa, Egbertus, Wilbrordus, Johannes, Wilfridus jun. Egbertus, Baltherus, Echa, Ælbertus, Eanbaldus.

His quindecim vetustatis Anglicæ monumentis Appendicem attexuit Editor: in qua præter *Plinii* p. 791. *Ptolemæi* p. 735. & *Antoniniani Itinerarii* p. 742. loca de Britannia excerpta, quæ Notis p. 787 illustravit; ex *Notitia Dignitatum Imperii* p. 745. & *Anonymi* Ravennatis Geographia Parisiis A. 1688 edita, ea referuntur, quæ ad Britanniæ provincias spectant; quorundam etiam Cis-Humbranarum regionum hydæ enumerantur p. 748. & Consuetudines ac jura Anglo-Saxonica ex libro censuali *Doomes-day* dicto p. 759. proferuntur: tandem Britanniarum antiqui populi, urbes, flumina, promontoria, ex collectione Gul. Camdeni juxta literarum seriem recitantur p. 779. & Genealogiæ Regum Britannorum ex vetusto Codice, qui *Textus Roffensis* dicitur, depromtæ, p. 792. exhibentur; subjecto locupletissimo indice rerum in hoc Anglicorum monumentorum veterum syntagmate occurrentium.

HET PARISCHE VERBANDHUYS &c.

id est,

Parisiensis Deligationum Officina, in qua modus quasvis partium corporis fracturas & luxationes deligationum ope restituendi ostenditur, autore Laurentio Verduc, jurato Magistro Chirurgo Parisiensi.

Amstelodami, apud Johannem ten Hoorn, *1691*, in 8.

Constat plagulis 20., cum fig. æn.

Quod tibi hic B. L. sistitur scriptum, in Belgicum e Gallico translatum idiomate, *Parisiis anno 1689* sub titulo *La maniere de guerir les fractures & les luxations qui arrivent au corps humain, par le moyen des bandages*, altera jamdum vice prodiit. Deligatio enim uti Operationum Chirurgicarum utilissima & frequentissima advertitur, ab ipso

ab ipso *Hippocrate* in *Officina Medici* magni habita: ita post *Galenum*, *Vido Vidio* interprete, biga cumprimis Gallorum, *Marque* & *Formy*, fascias hactenus modumque easdem singulis corporis nostri partibus rite aptandi accuratius edocuit. Utroque tamen horum superior nunc videtur Noster, dum de fasciis & fasciationibus tum in genere, tum in specie hic agens, non solum fasciarum longitudinem & latitudinem partibus admovendis proportionatas, cum convenienti emplastrorum, splenioram & ferularum figura exacte describit, ac in Tabulis subjunctis nonnullas earum depingit, sed &, deligationibus inutilioribus omissis, rationem optimâ partes, & vulneratas, & fractas præsertim ac luxatas, cognoscendi, restituendi atq; deligandi solicite indigitat, variisque hinc inde observationibus illustrat. Asciam nempe & Simam, tanquam ut magis saltem & minus discrepantes, pro distinctis deligationis simplicis inæqualis speciebus haud agnoscit; Rhomboidem vero, capitis Rhombum, Semirhombum, Scapham, Cancrum, &c. inutilibus deligationibus accenset. Ossa nasi quamvis rarius luxentur, alterutrum tamen eorum in Chirurgo juvene a lapsu dislocatum & a se restitutum annotat. Præter alia vero observari meretur, quod Anchylosin circa genu in puella undecim annorum a vulnere enatam, ac ab aliis Chirurgis pro incurabili reputatam, tam remediis emollientibus, quam deligatione apta felicissime Noster sanaverit: quemadmodum omni quoq; industria adhibita, dextrum in Viro sexaginta octo annorum masculè servavit pedem, cum hic ulcere jamjam & carie affectus, a rota porro currus lignis onerati ter transgrediente insigniter vulneraretur, frangeretur & comminueretur, ac ob gangrænam mox supervenientem amputandus aliis videretur. Occasione hac data, ea ligaturæ species nobis commemoranda venit, quam a *Morello A. 1674* inventam & *Tourniquet* denominatam, Galli in artubus rescindendis horumque aneurismate aperiendo pro hæmorrhagia evitanda solent adhibere, tanto magis quod nemo hactenus eorum, quantum nobis quidem constat, nisi Autor noster & Anonymus ille, qui *l' Art de saigner Parisiis A. 1686* in lucem emisit, descriptam eandem exhiberit. Omne autem artificium ab Operariis plebejis moles compingentibus (Ballenbindern) sine dubio petitum in eo consistit, ut membro fascia primum circularis supra simile splenium ita applicetur, ut parvum saltem spatii bacillo cuidam recipiendo relinquatur, hinc ipse bacillus fasciæ subjectus circumagatur, usque dum membrum sufficienter undique compressum appareat.

DICTIO-

DICTIONAIRE MATHEMATIQUE, &c.

id est,

Dictionarium Mathematicum, sive Idea generalis rerum Mathematicarū, in qua continentur termini hujus scientiæ aliarumque complurium cum rationibus paulatim ad cognitionem universalem Matheseos ducentibus: Autore Dn. Jacobo Ozanam Professore Mathematum Regio Parisiensi.

Amstelodami ad exemplar Parisiense sumtibus Huguetanorum, 1691, in 4. Constat Alphab. 4. plag. 3. & figurarum æn. plag. 6.

LIcet Dictionaria alias scribi soleant ordine Alphabetico, clarissimus *Autor* tamen Synopsin hanc suam Mathematicam, terminos Mathematicos ordine materiarum explicantem, sic appellare voluit; terminos autem quæsiturum indice adjuvit: gemina hac opera de literis Mathematicis præclare meritus. Tradit ergo primum Ideam quandam generalem, deinde Synopses *Arithmeticæ*, tam *vulgaris* quam *Algebræ* nomine notæ, *Geometriæ speculativæ & practicæ*, *Cosmographiæ*, *Sphericæ* & *Geographiæ*, *nec non Nauticæ* (cujus terminis Gallicis explicandis non exiguam partem libri impendit, a pag. 219 ad pag. 318.) Inde redit ad *Astronomiam* & rem Planetariam, deinde Synopses *Opticæ*, *Perspectivæ*, *Gnomonicæ*, *Catoptricæ*, *Dioptricæ*, *Picturæ*, *Mechanicæ*, *Staticæ*, *Hydrostaticæ*, *Architecturæ civilis*, *Architecturæ militaris* (cui inhæret a pag. 585 ad 640) *Musicæque* subnectit. In præfatione miratur, nullum **extare** Dictionarium Mathematicum: edidit tamen (ut alia, quæ in certa tantum Matheseos parte versantur, taceamus) pridem aliquod Romæ *P. Vitalis*, Vir doctus, qui & nuperrime recudi curavit multo auctius, de quo aliqua consignavimus *Actorum* proximi anni mense *Junio* pag. 301: ex collatione autem hujus & illius, quantum inter utrumque sit discriminis, B. L. facile deprehendet; plurimaque hic, veluti in supplementum, reperiet, quæ frustra in altero illo quæsiverit: inter quæ præcipue memoranda sunt, quæ ex recens inventis non pauca hinc inde interseruit, ex quibus tamen singulariora quædam tantum adnotabimus.

Cum *Autor* præclare versatus sit in *Arithmetica figurata*, quam

Diophantus excoluit, quædam non contemnenda hujus generis aspergit. Ita agit de numeris Polygonis, de quadrato Magico (quod etiam *Arnaldus* Analytice tractaverat in novis Elementis Geometriæ). In *Arithmetica practica* notat p. 53 (ex *Hugenianis* observatis) pendulum longitudine passus Geometrici intra horam vibrationes simplices 1846 peragere. Ad *Algebræ* meliorem intellectum exempla ad quartum usque gradum Analytice ac synthetice explicata subjicit. Pro incognitis utitur ultimis literis Alphabeti, & pro unitate litera l. De lineis tractans, *Cycloidem* (à Gallis) *Mersenno* tributū dicit p. 96, quam tamen Itali *Galilæo* vindicant. Notavit ibidem de *Cycloide*, tangentes duas, unam circuli generatoris, alteram puncti respondentis in cycloide, concurrere in curva, circuli evolutione descripta, a vertice communi circuli & cycloidis incipiente: Cujus curvæ, ut obiter hic dicamus, dimensionem invenit Dn. G. G. L; quod nempe sit diametro circuli & arcui ejusdem evoluto tertia proportionalis. Pag. seq. 97. exponitur problema, quod *Autori* proposuerat *Bertetius*, olim Societatis Jesu Poeta pariter & Mathematicus insignis, nunc Abbatis *Bertetii* titulo Cardinalis *Bullionei* familiaris; *Autor* autem ad Dn. G. G. L. tunc Parisiis versantem, detulerat: invenire naturam lineæ, quæ describitur extremis radii eousque producti, donec pars extra circulum sit æqualis arcui circulari, inter hunc radium & punctum fixum in circuli circumferentia sumtum intercepto. Hujus lineæ tangentes & dimensionem aliaque G. G. L. statim dedit, methodumque simul suam huic *Autori* communicavit. Quanquam vero *Autor* nihil de historia ista inventi attigerit, speramus tamen, in *magno*, quem hic promittit *de Algebra tractatu*, in quem se hujus lineæ uberiorem explicationē differre scribit, suum cuique tributurum. Quemadmodū etiam ejusdem amica communicatione primam ideam æquationum localium ad curvas, intersectione sua problema propositum solventes, ex conditionibus problematis commode ducendas, accepit; eaq; methodo, a *Slusio* maxime promota, in hoc quoque opere (vid. pag. 76, seqq. p. 100, p. 442 &c.) crebro utitur. Agit & in *Geometria speculativa* de *Conchoide*, *Cissoide*, *Paraboliformibus*, de *Cycloide* quam vocat Geometricam, quæ describitur motu circuli, super circuli circumferentia in eodem plano voluti, cujus elegantes proprietates post *Hugenium* de *Lumine*, & Dn. D. T. in *Actis Eruditorum*, hic exhibentur. Reprehendit Veteres p. 107,

107, & alibi, quod *Conchoide* & *Cissoide* ad inventionem duarum mediarum sint usi, quia res præstari possit per Conicas, quæ sunt simpliciores. Interim laudandi sunt veteres, quod eo usque progressi, aditum recentioribus ad meliora præbuere. Recte p. 85 tuetur regulam *Carteſii*, quæ ex numero mutationis signorum numerum radicum verarum definit; demonstrationem tamen ejus (quæ desiderabatur) non dedit. Pag. 90, seq. problemata quædam Numerica solvit per duplices æqualitates *Diophanti*, & per triplices P. *de Billy* Jesuitæ, explicatas in *Diophanto* hujus *redivivo*. In pag. 99 & seq. explicat lineam a Dn. D. T. inventam, quæ describitur, radium unum extremum quadrantis in quotcunque æquales inter se partes secando, & arcum quadrantis in totidem etiam inter se æquales, & per divisiones radii ducendo normales ad radium, per divisiones autem quadrantis parallelas radio; intersectionibus rectarum respondentium curvam designantibus. Dixerat Dn. D. T. spatium hac curva & radiis inter se normalibus contentum, esse ad quadratum radii, ut radius ad circumferentiam; aliam præterea elegantem hujus lineæ proprietatem dederat, quod solidum dicto spatio, circa radium qui dividitur tanquam axem voluto, genitum, sit dimidium cylindri circumscripti: hæc theoremata ejus verissima esse compertum habemus, certique sumus, exactam eorum demonstrationem (quam *Autor* circa prius desiderat) dubiique (quod *Idem* circa posterius hic movet) resolutionem, si pretium operæ foret, daturum Nobilissimum inventorem. Lineas quæ habent punctum flexus contrarii p. 106 vocat irregulares. Laudat p. 127 Dn. Abbatem de *Lanion*, quem in Theologia pariter & Matheſi excellere ait, qui in *Diario Eruditorum Parisino septimo Anni 1690*, dederit generationem communem sectionum Conicarum, per motum rectæ sibi semper parallelæ; uniformiorem generatione a Pensionario *de Wit* olim explicata.

In *Cosmographia* p. 144, 145, Tabulam *Cassini* exhibet, complectentem maximam, mediam ac minimam Planetarum distantiam a terra; & p. 153 ejusdem Tabulam Revolutionum 5 Satellitum Saturni; & p. 382 tam Jovialium quam Saturniorum. Agit & paucis de Meteoris; & in *Astronomia* de *Chronologicis* terminis tractans, speciatim circa periodum Julianam p. 183 exhibet praxin P. *de Billy*, datis trium Cyclorum numeris invenire numerum respondentem periodi

Julianæ. Ex *Cassini* observatis refert p. 159, quasdam stellas fixas per tubum dividi in duas circiter æquales & suis diametris distantes, ut primam Arietis, & eam quæ est in capite præcedentis Geminorum: esse & plane triplas aut quadruplas, ut quasdam Plejadum, & mediam gladii Orionis. Et p. 154, *Cassinum* observasse Nebulosam inter Canem majorem & minorem, quæ satis elegans sit, si per tubum spectetur. Post theoriam Planetarum recepto more per circulos traditam, attingit p. 435, seqq. hypothesin quandam *Cassini*, qui loco Ellipsium *Kepleri* introduxit lineam quandam Ellipsoeidem seu Ellipsi cognatam, quam aptiorem judicat. Nempe res paucis huc redit: Axis major Ellipsoeidis Planetariæ a Sole immoto tanquam foco dividatur in duas partes, quæ utique inter se rationem habebunt distantiæ maximæ ad minimam: idem fiet in altero foco. Cum vero in Ellipsi communi summa rectarum, a puncto curvæ ad duos focos ductarum, æquetur axi majori; hic contra, rectangulum sub his duabus rectis æquatur rectangulo sub maxima & minima distantia. Motum autem Planetæ concipit tanquam compositum ex circulari & recto, respectu ejus foci qui a Sole est diversus, & qui debet esse centrum medii motus; ea lege, ut motus circularis sit æqualis, seu æquales semper angulos radiorum ad centrum absolvat, perinde ac si Planeta esset in radio quodam solido circa centrum moto. Unde ipsa velocitas realis circa centrum hoc (a Sole diversum) circulandi erit in ratione distantiæ Planetæ a centro, seu reciproce in ratione distantiæ Planetæ a Sole. Sed celeritas qua Planeta recedit a centro hoc, seu foco medii motus, determinatur ex ipsa lineæ natura. Solem vocat focum veri motus. Distantiam Solis & centri Ellipsoeidis (seu circuli Eccentrici) vocat Eccentricitatem simplicem; distantiam focorum, Eccentricitatem duplicem. Recta a Planeta ad centrum medii motus dicitur linea medii motus; ab eodem ad Solem, linea veri motus. Angulus lineæ veri motus ad axem dicitur Anomalia media; Angulus lineæ ad centrum Eccentrici a Planeta ductæ ad axem, Anomalia æquata; Angulus lineæ veri motus ad axem dicitur Angulus ad Solem, qui invenitur, si ab anomalia media, ex tabulis cognita, detrahatur angulus, quem comprehendunt lineæ veri & medii motus, qui dicitur æquatio absoluta, & qui cognoscitur in triangulo, data basi opposita (distantia focorum) & angulo uno ad basin (quem linea motus medii facit ad axem, & qui est complementum anomaliæ mediæ ad 2 rectos)

rectos) & rectangulo comprehenſo ſub lateribus, (linea motus medii & veri) quod eſt ſemper idem; adeoque datum. Itaque Autor hortatu *Caſſini* ſolviſſe ſe ait hoc problema: In triangulo data baſi, uno angulo ad baſin & rectangulo ſub lateribus invenire Triangulum; quod problema invenit eſſe ſolidum, & aliquot modis per Conicas ſolvit. Exhibet quoque ejus Calculum Analyticum, quem dedit Dominus *de la Roche*, Conſiliarius Parlamenti *Gratianopolitani*. Atque hæc quidem de primariis Planetis: quod vero ad ſecundarios attinet, qui circa primarios volvuntur, & cum primariis circa Solem, ut facit Luna (tanquam Satelles Terræ) itemque Satellites Jovis & Saturni, Dn. *Caſſinus* (p. 452, 453) concipit Planetam primarium tanquam centrum motus medii Satellitis, ſeu ut unum focum, & Solem, ut alterum focum, ita ut ſimiliter vertigo circa Planetam primarium ſit æquabilis, adeoque æqualiter creſcat circulatio realis pro diſtantia a Planeta primario, id eſt, ut ejus velocitas ſit reciproce ut diſtantia a Sole. Qui motus deinde videtur cum motu ipſius Planetæ primarii componi debere. Sed optandum eſt, ut ipſe Dn. *Caſſinus* ſententiam ſuam plenius exponat.

In *Opticis* hoc problema a *Buotio* quondam propoſitum ſolvit p. 459: invenire punctum ex quo tres rectæ unius partes datæ appareant æquales, ſeu (quia quæ ſub æquali angulo videntur, apparent æqualia) invenire punctum ex quo ductis ad data quatuor rectæ puncta rectis anguli ad punctum quæſitum ſint æquales. E occaſione æqualitatis angulorum incidentiæ & reflexionis, ſolvit hoc problema: invenire punctum in parallelogrammi rectanguli uno latere tale, ut ſi ex puncto dato in ipſum quæſitum feratur mobile vel radius, atque inde reflectatur in latus contiguum, ab hoc demum reflectatur ad punctum aliud datum. Et p. 485 tractat problema *Alhazeni*: dato puncto oculi & objecti invenire punctum ſpeculi ſphærici, ubi videtur punctum objecti; quod etiam ab *Hugenio* & *Sluſio* variis modis fuit conſtructum. Et p. 502 exhibet demonſtrationem theorematis, quod *Carteſius*, de Iride loquens, obiter innuerat. In *Mechanicis* quædam de motu aquarum inſerit ex *Mariotto*. In *Militaribus* notat p. 590, *Vauhanum* non refugere latus polygoni exterioris 200 hexapedarum (*toiſes*) ita ut linea defenſionis circiter ſit 150. Nam ſi cum Batavis hæc ad 120 reſtringatur, fieri propugnacula nimis parva. Nihilominus

tamen Autor eam 120 hexapedarum, & latus Polygoni interioris ejusdem circiter magnitudinis assumit. Cæterum 23 hexapedas dat collo dimidio in triangulo, 24 in quadrato, & sic porro, donec in decagono fiat 30 hexap. quæ magnitudo deinceps non amplius augetur. Alæ tribuit 12 hexap. in triangulo, 16 in quadrato, & sic porro, donec in decagono excrescat ad 40 hexaped. quæ magnitudo & in sequentibus polygonis retinetur. Angulum alæ cum chorda per lineam ex centro figuræ eductam determinat. In *Architectonicis*, p. 563, solvit problema a Vitriario sibi propositum, qui volebat figuram hexagonam irregularem compositam ex quadrato & duobus triangulis æquilateris super oppositis quadrati lateribus constitutis dato triangulo æquilatero æqualem, seu plus vitri non poscentem, sive quod idem est, trianguli æquilateri dati conversionem in talem figuram. Subjicitur postremo amplus Index Terminorum Alphabeticus, eo magis necessarius, quod in ipso Opere (ut in *Nauticis*) termini non semper juxta constantem doctrinæ ordinem sunt collocati.

JOH. CHRISTOPHORI WAGENSEILII de re monetali veterum Romanorum Dissertatio academica.

Altdorfi Noricorum excudit Henr. Meyerus, 1691. in 4. Const. plag. 13.

QUi numos Romanorum veterum singulares illustrarunt. *Spanheimium, Norisium, Rainssantium, Molinetum, Eggelingium, Begerum, Seidelium, Sperlingium, Graverolum*, alios, in Actis his Eruditorum commemorari hic illic videas. Nunc aliquem, qui de re monetali *generatim* commentatus est, illis jungimus. Est is *Joh. Christophorus Wagenseilius*, JCtus & Philologus Altorfensium clarissimus & nobis etiam alias ex merito laudatus. Viginti autem & quinque capitibus complexus est, quæ de hoc argumento dicere voluit.

§. 1. Post etymologiam & definitionem *Monetæ*, refert, uti invicem permutationis rerum priscis mortalibus usitatæ successerit, originemque calumniæ Judæis impactæ, quod sanguinis Christianorum avidi sint, ex homonymia vocis דמים, quæ & *sanguinem* & *pecuniam* significat, obiter accersit. *Monetam* inter Numina cultam apud Roma-

2. nos, tum *Arnobii Ovidii*que, tum numismatum autoritate probat. Refellit

fellit eos, qui mundo antediluviano usum signati æris, argenti, auri tribuunt. Eaque occasione narrat, Leonem X P. R. imagines clarorum virorum ex numis per Andream Fulvium in libello inscripto: *Prontuario delle medaglie*, repræsentari curasse. Recusum hunc non tantum Romæ sub Clementis VII & Pauli III quoque Pontificatu, sed & in Germania ac Gallia, ac sigillatim Lugduni A. 1553 apud Wilhelmum Rovillium, in qua editione sciolus quidam numos etiam Adami, Evæ, Noachi, Semi, Chamii & Japheti ex cerebro suo adjecerit. An Thara primus monetæ inventor fuerit, incertum esse ait; Abrahami tamen ævo jam in usu eam fuisse, non Talmudistarum solum, sed & Scripturæ dictis comprobat. Multas gentes pecuniam nullam in emtione venditioneque adhibere dum observat, ex Renati Francisci *Essay des Merveilles de la Nature* c. 29 notare cumprimis jubet, gentes dari, quæ in rebus emendis non nisi majorum suorum ossibus utantur; eaque tanto majorem æstimationem accipere, quanto honoratior & rerum gestarum magnitudine celebrior fuerit is, cujus corporis olim fuere membra. Tempore Trojani belli monetæ nondum usum receptum, ex Homero evincit. Numis *Amyntæ*, tertii Macedonum Regis, nullos antiquiores hodie comparere asseverat. *Zecca* & *Zecchini*, quorum illud officinam monetariam, hoc aureos Venetos *Italice* significat, a *Cyzico*, insignibus officinis monetalibus celebri, derivat. Dixerat *Carolus Patinus*, integras series Regum imperii Græcanici e numis haud suppetere. Dubitat Wagenseilius, quia Peireskius, teste Gassendo, seriem Seleucidarum contexuerit. Potuisset quoque *Vaillantium* in partes vocare, qui forsan majorem, quam *Peireskius*, numerum id genus numorum collegit, in eo tantum infelix, quod in nullum *Seleuci V* numisma inciderit. Romanos a Græcis monetam cudere didicisse, Noster opinatur. Et Janum quidem primitus æra signasse, *Macrobio* creditur; hunc imitatum Numam, author est *Tranquillus* apud Suidam. Sed quum pastoritio populo parum adhuc æris esset, scorteis & ligneis assibus Regi illi utendum fuit in congiario distribuendo, quod ex *Eusebii* chronico liquet. Postquam dein Tullus Hostilius omnes Albanorum opes Romam transtulisset, & Priscus duodecim Thusciæ populos subegisset, abunde æris adepti sunt Romani, armis & numis parandis. De nomine & pondere tum primævo, tum sæpius imminuto *assis* Wagenseilius proximo loco agit, & inter

c. 3.

4.

5.

6.

inter cætera monet, nullos *librales asses* hodie superesse, bene tamen
c. 7. minores. Recenset porro æris vulgaris genera, *Hepatizon*, *Cyprium*, *Sallustianum*, *Livianum*, & *Marianum* seu *Cordubense*, itemque numos superstites ex ære *Corinthiaco*. Observat, *Septimii Severi* tempore *plumbum* æri admisceri cœpisse, quod pateat e guttulis plumbeis, ex
8. æneo numo igni imposito undiquaque prorumpentibus. De æreis illis grandioribus, quos *Metalliones* vocari mos est, dum agit Noster, notat Italis proprio nomine *Medaglioni Crotoniati* appellari, idq; vocis corruptum esse suspicatur ab imperitis doctorum antiquariorum auditoribus e Græco Κεγτωτὰ νομίσματα, quod est, *fimbriata numismata*. Κεγσσὸς enim vel Κεοττὸς *fimbria* est. Habent nimirum ex his numis aliqui *limbum*, ærei ex aurichalco, aurichalcei ex ære.
9. Ab ære transitum facit Autor ad *argentum*, ubi *denarii*, *quinarii*, *sestertii* & *sestertium*, *libelle*, *semibelle*, *teruncii*, *numi* (proprie in argentum quadrantis) vocabula explanat. Defendit heic *Plinium* adversus commentatorem Dalecampium, qui reprehenderat dicentem l. XXI c. ult. *denarium* esse *drachmam Atticam sive medicinalem*. Octo autem ejusmodi drachmæ efficiunt unciam Romanam, cum tamen septem denarios unciam olim effecisse, certissimum sit. Commode itaque probat Wagenseilius, *Plinium* h. l. loqui de levioribus sui temporis denariis, & Savotum testem adducit, qui ponderando addidicit, inde ab excessu Neronis pondus denariorum imminui occœpisse. Unde idem Plinius l. 33. c. 9. scribat: *Alii* e pondere (Denarii) *subtrahunt*; *cum sit justum*, *LXXXIV* (denarios) *e libris* (singulis) *fignari*. Sic nempe, si libra constet denariis *LXXXIV* sive drachmis *communibus*, uncia exhibebit denarios septem. At si uncia octo denarios leviores drachmas *medicinales* complectatur, libra erit denariorum *XCVI*. Hinc Fannius:

Centum hæ sunt drachmæ; quod si detraxeris istis
Quatuor, efficies hanc nostram denique libram.

10. De argenti apud Romanos signati bonitate non semper eadem, postmodum disserit Autor, numorumque bracteatorum, (ubi bracteis duabus argenteis vilius metallum includitur,) artificium non intercidisse probat exemplo *Phil. Henr. Mülleri*, civis Augustani, cujus numi stannei argentati elegantissimi sane sunt, ac oculos facile fallere possent, ut argenteos crederes, si nullam velles ponderis habere ratio-

rationem. *Serratorum, bigatorum, quadrigatorum, victoriatorum* numorum voces dein exponuntur, & MXXXVII in universum numismata Consularia hodie extare, observatur. Mox ubi de *aureis* sive *solidis* numis, itemque de *officinis monetæ, Triumviris monetalibus, Procuratoribus* aut *Præpositis monetæ*, itemque ratione veteribus usitata *flandi feriendi*, unum idemque numisma, ab aliis viris doctis pridem occupata repetiisset Wagenseilius, quæstionem ventilat: *num extent duo Romanorum numi per omnia similes, & qui ex eadem matrice prodierint?* Negarat eam *Carolus Patinus*, pro infallibili signo capiendum dictitans, si duo ad amussim similes reperiantur, alterutrum esse suppositum & ad veteris imitationem effictum. Affirmaverat *Æneas Vicus*, a *Deciano* duos, tres, quatuorve per omnia similes conquisitos memorans. Addit Noster, impossibile esse, ut numus novus exactissime prototypo respondens effingatur; id quod ope circini minus accurate, certius seta equina ligillo recurvato adaptata demonstrari possit. c. II. 12. 13.

Meminit inde moris, a C. Julio Cæsare invecti, ut Principis vultus publica moneta repræsentaretur, quo honoris genere soli Dii Deæque, & in his Roma æterna, affici sueverant antea. Post Augustum ait Cæsares sibi solis jus auri argentique signandi vindicasse, Senatui æris tantum procudendi potestate relicta. Hinc plerisq; æreis numis notam S. C. impressam cerni, quæ literæ in aureis argenteisque *neutiquam* appareant, imo ne quidem in istis quibus inscriptum: S. P. Q. R. OB. CIVES. SERVATOS, qualem *Galbæ* possideat. Hoc manifestum indicium esse, nullos tales Senatus autoritate post Cæsarem fuisse excusos. Excipit tamen Trajanum, in cujus aureis quoque & argenteis numis, etsi literæ S. C. ibi non reperiantur, creberrime nihilominus occurrat inscriptio S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. Quæ dum in chartam conjicimus, memoriam subeunt numi non uni aurei, quorum notitiam debemus illustrissimo Comiti Francisco Mediobarbo Birago: 14.

NERO CAES. AVG.
PONTIF. MAX. TR. P. V. P. P. EX. S. C. *fol. 92.*
A. VITELLIVS GERM. IMP. TR. P.
S. C. *fol. 105. ex Patini Suetonio f. 367.*
HADRIANVS AVGVSTVS.
COS. III. S. C. *fol. 183.*

Tacemus alios ex eodem colligendos. Non tamen, qui & illum *statuit*, aureum primæ magnitudinis, cujus prorsa caput velatum exhibet, illudque quidem, ut ex ductibus faciei criniumque suggestu patuit, *Faustinæ junioris*, inter Deas a marito M. Aurelio Antonino relatæ, cujus nomen proprium non erat adjectum, sed longe augustius, nempe PIETAS. In aversa sedet Dea, dextra victoriolam, ut videbatur, sinistra hastam tenens, adscriptis nomine VESTA ac, (quod præcipue notandum ducebamus, cum insignis ille numus a Viro quodam Consultissimo inspiciendus nobis non ita pridem concederetur,) *literis istis*
c. 15. S.C. quas in aurea sane seculi illius moneta rarissime offendas.

Sed ad Wagenseilium revertendum est. Præter Imperatorum vultus, eorum etiam uxores, sobolē, imo & amicos, in pecunia publica conspici, peculiari is capite persequitur. Proxime sequenti de *Colo-*
16. *niarum & municipiorum* numis, & quomodo ars sculptoria ac monetalis, ab Augusto inde usque ad Alexandrū Severum, floruerit, deinceps vero rudis plane ac impolita evaserit, nonnulla memoriæ prodit. Li-
17. teras XP sibi invicem insertas, ipsamq; *Christi* Servatoris iconem in
18. numis Christianorum reperiri ostendit. Scutulata *Helenæ*, Constantini matris, numismata a superstitiosis Græculis maximi æstimata, ex-
19. plodit ac *vobeia* postulat. Numos vultu Imperatorum notatos rerum emendarum instrumentum fuisse, liquido probat, contra *Sebastianum Erizzum*, ex *l. 1. C. de vet. num. pot.* & *cap. 20. Pragmat. Sanct.*
20. *Justin.* itemque *Leonis VI Imp. Nov 52.* Hinc in laudes jucundi pariter ac utilis studii rei numariæ veteris digreditur, ad illustris *Spanhemii* opus de Usu & præstantia numismatum, lectorem remittens, simulque duos Norimbergenſium Senatores ex merito celebrans, *Carolum* puta *Welserum* & *Johannem Paulum Ebnerum*, quos & amplissimos thesauros hujusmodi deliciarum eruditarum congessisse, ac earum interpretatione felicissime defungi, ne nos quidem ignorare sivit fama
21. 22. publica. Inire dehinc docet *æstimationem* aureorum & argenteorum numorum, secundum valorem *materiæ*; enumerat etiam dotes monetæ *æneæ*, quæ in gazophylaciis literatorum reponi mereatur. Exempla refert illorum, qui care emerunt numos æneos, ac in his *Joh. Andreæ Averoldi*, qui teste *Ænea Vico*, aureos XXX expenderit, ut Commodi æreo numismate cum simulacro Martis pacifici, itemque ducatos LX, ut alio, in quo Commodus Herculis schema induit, potiretur.

Quæ

Quæ tamen expensæ minus admirationem merentur, quam, si vulgatæ traditioni fides habenda, quod Heraclii numisma Magno cuidam Duci Hetruriæ septem coronatorum millibus constitit. Dum catalogum texit Imperatorum & Tyrannorum, quorum numi rarius occurrunt, merito *Othones* & *Pescennios ex ære* omnium rarissimos esse prædicat. Othones nempe æneos revera in orbe existere, negare non audet, ex quo, qui id olim negarat, Chifletius palinodiam cecinit, & Patinus cum aliis magni nominis antiquariis sententiam affirmantem calculo suo extra dubium posuit. Subnectit modos perpurgandi numos a rubigine, itemque rite distinguendi adulterinos a veris. Sed nimium jam prolixi fuimus. Ipsum ergo Autorem adi sis, qui & solidate rerum, & verborum elegantia, non allicit modo, sed & detinet lectorem, nec dimittit facile, antequam ad calcem libri pervenias. Unicum paradoxum excerpere adhuc juvat: *Etsi* (inquit) *ridiculum hoc quibusdam videbitur, non tudimus tamen, sed serio opinamur, olfactu etiam eum, qui sagax nasum habet, novos numos a veteribus dignoscere posse. Sic enim Martialis l. 9. epigr. 60:*

Consuluit nares, an olerent æra Corinthon.

c. 23, 24, 25.

THE BETOVERDE VVEERELD.

id est,

Mundus fascinatus, sive, accurata excussio sententiæ vulgaris de Spirituum natura, viribus, functionibus & officiis, itemque operibus abs hominibus eorum ope peragi solitis; quatuor libris suscepta a *Balthasare Bekkero*, SS. Theol. D. & Ecclesiaste Amstelodamensi,

Amstelodami, apud Danielem van den Dalen, 1691, in 4. Plag. 56.

PRodiere secunda vice libri duo priores e quatuor illis, quos publicæ luci destinavit Autor jam toto forte orbe literario notissimus, omni studio id agens, ut quicquid hactenus de Angelis bonis & malis eorumque sapientia aut calliditate, itemque potentia & operationibus circa homines, non a vulgo solum, sed & eruditissimo quovis creditum, ac e Scriptura sacra probatum fuit, id omne impugnet atque de-

ſtruat. Gravem proinde cenſuram, ut accepimus, apud ſuos incurrit, qui habita Edami ſynodo die decimo Auguſti anni 1691, libros priores ſupprimendos judicaverunt ob falſas & ſcandaloſas, quas contineant, opiniones, editionem quoque reliquorum duorum, quorum ſpem fecerat, prohibuerunt, & quid de ipſomet Bekkero ſtatuendum eſſet, arbitrio ac deciſioni Senatus Amſtelodamenſis eccleſiaſtici commiſerunt.

LIB. I. C. 1. Sub initium Operis *Bekkerus* gravitatem, utilitatem & neceſſitatem diſquiſitionis hujus, una cum ejusdem methodo, exponit, promittitq; libro *primo* ſe acturum de opinionibus & actionibus populorum omnium temporum, terrarum, religionum, circa Deum & Spiritus bonos malosve; *ſecundo* libro excuſſurum ea, quæ de Spirituum potentia & operibus e Scriptura afferri poſſunt; libro *tertio* artes hypotheſi de Spirituum viribus nixas, incantatorias puta, divinatorias & hujus generis alias, exploſurum; *quarto* denique exploraturum, quid in hiſce doceat teſteturq; experientia.

2. Recenſet dein, e ſcriptoribus Græcis & Latinis, ſententias veterum gentilium de DIs, Dæmonibus ac Heroibus, Ideis Platonicis, Intelligentiis Ariſtotelicis, Geniis, Manibus, Lemuribus; hinc ortas divinationes aſtrologorum, haruſpicum, augurum; itemque incantationes magicas. Similia dogmata & ritus monſtrat in hodierno gentiliſmo, e. g. Europæorum Septentrionalium, Finnorum, Lapponum, Samogitarum; Aſiaticorum, Japanenſium, Peguanorum, Sinenſium; Africanorum tandem & Americanorum. Mox quantum conveniant diſconveniantve inter ſe invicem Pneumatologiæ veterum ac modernorum gentilium, inſtituta utriusque collatione, edocet. Nec Judæorum veterum recentiorumque opiniones de Angelorum bonorum eſſentia, ordinibus, &c. malorumque origine, ut & *Gilgul* ſive transmigratione animarum humanarum in diverſa corpora, reticet; quemadmodum etiam Muhammedanorum placita ex eo luculenter cognoſcere licebit. His præmiſſis, Patres Eccleſiæ primitivæ prioribus quinq; ſeculis, ante Papiſmi & Muhammediſmi incrementa florentes adducit, de Angelis bonis & malis differentes, ac quasdam e Gentiliſmo opiniones ſucceſſu temporis repetiiſſe adfirmat. Cumque Exorciſmum in eccleſia priſca partim improbatum, partim approbatum conſideraſſet, comparat allegatas Judæorum, Muhammedanorum & Chriſtianorum

3. 4. 6—10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

norum opiniones inter se invicem. Istarum omnium confluxum in *Manichaismo* deprehendi, ac ex hoc fonte communissimas de Angelis malis opiniones profluxisse, asserit. c. 18.

Refert, e Gaspar Schotto cumprimis, quid Pontificii credant de Angelorum B. & M. numero, ordinibus, sapientia & potentia, & speciatim de malorum τῶν & operibus miris, de spectris, & obsessione corporali, de magia & incantatione; de remediis, tum indubiis, fide & precibus, tum controversis inter nos ipsosque, reliquiis nempe sanctorum, signo crucis, aqua lustrali, agno Dei cereo, invocatione nominis Jesu & Mariæ; itemque de inquisitionibus in sagas criminalibus, earum probationibus per ignem, aquam & stateram, pœnisque capitalibus. 19. s.

Enarrat deinde sententiam Protestantium, tam Lutheranorum, ad Pontificios propius accedentium, quam Reformatorum, tam vulgi, quam eruditorum. 22.

Ex his aliquos tantum non omnia credere observat, quæ vulgus credat, ut *Jacobum I* Magnæ Britanniæ Regem in Dæmonologia, ac *Daneum* in Sortiariis; alios omnia fere rejicere, ut Reinoldum *Schottum* Anglum, & Antonium *van Dalen* libro de Oraculis. Cæteros medium tenere, ut *Wierum*. 23.

Collatis sententiis istis, primo Protestantium & Pontificiorum, deinde omnium Christianorum, Judæorum, Muhammedanorum & Gentilium, earum consensum atq; dissensum ob oculos ponit. Sub finem libri, communem Christianorum, inprimis Protestantium, de Satanæ potentia opinionem, non e Scripturæ vel Naturæ lumine, sed e præjudiciis a prima infantia impressis, ætate vero adultiore crescentibus, ac confirmatis in scholis trivialibus & academiis, natam asseverat. 24.

LIBRO II ante omnia, ut quæstionis status rite formetur, docet, quousque Ratio aut Scriptura S. viam nobis hoc monstrare possint; vocabula etiam *corporis* & *spiritus* in antecessum exponit. LIB. II. c. 1. 2.

Cognitionem animæ & corporis perducere probat ad cognitionem Dei, hujusque perfectionem inferre ejusdem unitatem. Nulla ratione evinci, dari Dæmonas aut Semideos. 3.

His enim opus non esse vel ad regendum mundum, vel ad complendum spatium æreum. Qua occasione distinctionem præsentiæ in repletivam, definitivam & circumscriptivam refutat.

Esse Spiritus, constare fatetur ex anima humana 4.

ejusque immortalitate e lumine naturæ cognoscibili. 5.

Quicquid extra Scripturam de statu animæ post mortem dici solet, id omne a sana ratione partim falsitatis, partim incertitudinis argui, v. g. de *Gilgul* Judæorum,

c. 6. dæorum & μετεμψυχώσει Pythagoræorum. E sola ratione demonstrabile non esse, Angelos, h. e. Spiritus alios præter animam nostram,
7 existere. Ipsam Scripturam de natura & origine Angelorum non adeo multa differere, neque ullibi id facere absolute, sed semper in respectu vel ad Deum, cui ministrant, vel ad fideles, quos protegunt. Hinc reprehendit Theologos, tempus creationis Angelorum, caussam lapsus Satanici ac ferme tempus etiam definientes, item in apparitionibus quibusdam Angelorum præludia incarnationis Christi aut pro-
8. bationes mysterii SS. Trinitatis quærentes. Ortum & statum malorum Angelorum paucis, sed perspicue satis, Scripturam tradere, Bekkerus ait. Nempe quod Diabolus ab integritate concreata desciverit, id Christum dicere *Joh. VIII 44.* & Johannem *1. Epist. III. 8.* quodque plures cum illo Spiritus lapsi sint, liquere e *Matth. XXV, 14.* unde simul constet, Diabolo & angelis ejus paratum esse ignem æternum, in quem quamprimum peccarunt, illico conjecti fuerint, ibique detineantur catenis infernalibus. Neque enim demonstrari posse, ullam gratiam lapsis Spiritibus a Deo factam esse, sive ad conversionem eorum atque reconciliationem, sive dilationem aut mitigationem pœ-
9. næ. Notitiam quidem rerum divinarum humanarumque concedendam monet, ob *Matth. XVIII, 10.* non tamen cognitionem cogitationum humanarum, nisi a Deo eis revelentur. Potentiam quoque magnam *Psal. CIII, 20.* eis adscribi, sed in quo consistat, non explicari. Statuit itaque ipsemet, non posse illos agere in animam nostram, cogitationes nostras emendando, vel confirmando, vel novas inspirando, sine sermone aut signo externo, absq; interventu corporis assumti. Multo minus agere posse in corpora, cum sint spiritus. Hinc opera miraculosa Angelorum soli Deo vendicat, perinde ut miracula hominibus in sacris literis adscripta. Spiritum Sanctum in his talibus loqui cum vulgo, & humano more Deum, ut Regem, describere, cui, uti palatium, thronum, sceptrum, coronam, sic & Angelos, creaturarum præstantissimas, tanquam ministros aulicos, legatos, exercitus, tri-
10. buat. Quando Angelus pios custodire, portare, ducere, defendere, impios vero affligere aut occidere dicitur, id omne proprie de Deo, improprie & ἀνθρωποπαθῶς de Angelis accipiendum. Sic v. g. luctam Jacobi cum Angelo contigisse in somnio sive visione nocturna, qua videbatur sibi luctari Patriarcha, cum vis phantasticæ impressionis specia-

ſpecialiter a Deo motæ, non imaginarie, ſed realiter moveret corpus ipſius tanta violentia, ut femur luxaretur. Agnoſcit, e Scriptura innoteſcere tum Angelorum bonorum principem, *Michaelem* nempe archangelum, tum malorum, *diabolum* ſive *Satanam*. Nam unicum eſſe Satanam, ſed plures angelos malos huic ſubordinatos. Angelos Abrahæ & Lotho apparentes, homines fuiſſe & fortaſſis tres prophetas Salemitanos. Per Angelum, cujus miniſterio Deus legem in Sinai promulgavit & populum Iſraeliticum per deſertum deduxit, innui ſolum majeſtatem ſingularemque præſentiam divini Legislatoris. Ita *Angelum, in cujus medio nomen Domini*, Exod. XXXII, 34. nubem fuiſſe, e qua Jehova attributa ſua eſſentialia, voluntatemque revelavit, Ex. XXXIV, 5. Peculiares populorum aut perſonarum angelos tutelares dari, inficiatur Bekkerus. Equidem Daniel mentionem facit trium principum Græciæ, Perſiæ & Iſraelis; ſed ſymbolice his Bekkerus notari aſſerit, mundum ab ipſa divina providentia prudentia tanta regi, quanta non poſſet rex terrenus, multis licet miniſtris adjutus. Nam quamvis in hac Dei gubernatione adverſa fronte concurrere quædam videantur, omnia tamen in populi Dei commodum tandem vergere. Chriſtianos *Act. XII, 5.* loqui ex priſtino Judaico errore. Forte etiam ad eundem accommodari ſermonem a Servatore, *Matth. XVIII, 10.* Nomine *Diaboli* aut *Satanæ* perſæpe aliud quid, quam ſpiritum malum deſignari. E. g. *Matth. XIII, 30.* zizania diſſeminantem *inimicum* (collective ſumtum, ut *Cananæus, Amoræus,*) calumniatorem Chriſtianorum Judæum eſſe, ex collatione *Act. XIII, 45.* hariolatur. Similiter loca *Luc. VIII, 12. Eph. VI, 11. Jac. IV, 7. 1. Petr. V, 8.* ei exponuntur. Μεθοδεῖαι *Eph. VI, 11.* & laquei diaboli *2. Tim. II, 26. 1. Tim. III, 6. 7* ſunt pſeudophiloſophia adverſariorum. Diabolus in carcerem conjiciens *Apoc. II, 10.* notat homines, perſecutores Chriſtianorum. Ita diabolum accuſantem *Job. I & II. & Pſal. CIX, 6.* de homine improbo explicat, per *filios Dei* (Job. c. l.) homines pios, (æque ac *Gen. VI, 2.*) intelligens. Negat, Satanæ competere regnum divino adverſum, eundemve oppugnare poſſe, vel eccleſiam totam, vel ſingulos fideles, cum ignoret cogitationes humanas & captivus detineatur in orco. Quemadmodum vero incendiarius uni ſaltem domui ignem ſubjiciens, moxque in carcerem detruſus, ſi flamma plures poſtmodum ædes, plateas, urbes perdat, has omnes

c. 11. 13. 14. 15. 16. 17.

omnes ſuecendiſſe dicitur: ita Satanæ tanquam ſeductori paradiſiaco tribuuntur mala, etſi non ab ipſo amplius Satana, ſed ſeducto humano genere peragantur. Hac fini diſtinctius conſiderat loca Scripturæ deſcribentia Satanæ (1.) *verſutiam*, (2.) *potentiam*, qua dominatur impiis habetque mortis imperium, (3.) *opera*, tum in genere, quod malum operetur, verbum Dei furetur, pios tentet & accuſet, tum in ſpecie Apoſtolos cribraverit, Judam & Ananiam obſederit, (4.) *transfigurationem in angelum lucis*, (5.) *præſentem infernalis captivitatis ſtatum*, (6.) *imminentem perditionem*. Hæc omnia enim, ſi unicæ perſonæ, qualis diabolus, tribuantur, fictum iri Deum, qui nunquam extiterit. Pleraque idcirco de pravis concupiſcentiis & operibus hominum a Satana olim in Paradiſo ſeductorum exponenda contendit. Ex inſtituto deinceps de ſeductione Protoplaſtorum Satanica acturum ſe profitetur. Sed nullibi lectori attento minus latisfacit, quam heic, ubi vel maxime opus erat. Certe ex hypotheſibus ejus, (v. c. quod ab iſta hora, qua peccavit Satan, a Deo irato æternum rejectus ac ſine mora detruſus ſit in infernalem carcerem, absque ulla ſpe redeundi, item quod homines ad malum irritare nequeat, cum cogitationes eorum penitus ignoret, nec alio deflectere, aut novas ſuggerere poſſit, quod in viſibili forma apparere non poſſit, corpusve ſibi adaptare, aut per ſerpentem loqui, &c.) conſequitur, Satanam non magis olim ſeduxiſſe homines, ac hodie. Seductionem tamen aliquam primævam credit e *Joh. VIII. 2. Cor. XI. Apoc. XII.* Debuiſſet ergo hæc ἐναντιοφανῆ removere & clarius docere, quid de ea re ſtatuat. Heic vero ſolummodo tricas nectit varias, & difficultates congerit, quæ cæteros Geneſeos interpretes urgeant. Tandem concludit, textum Moſaicum totum, nec de ſerpente, nec de Satana, nec de ambobus *literaliter* exponendum eſſe, ſed *allegorice*; nec Moſi cauſam defuiſſe, ex qua tum temporis, ſub ſchemate continuo ſerpentis, de Satana locutus fuerit, in enarratione & ſeductionis & maledictionis inſequentis. Congreſſum Chriſti & Satanæ in deſerto non realiter, ſed *in ſpiritu*, h. e. in viſione, ſicut poſtea colloquium cum Moſe & Elia in monte Tabor, contigiſſe arbitratur. Davidem inſtigatum, ut numeraret populum, *1. Chron. XXXII, 2.* a *Satana* h. e. adverſario aliquo, ſive adulatore aulico; quemadmodum Abiſai eodem nomine appellatur *2. Sam. XIX, 22.* Per Corpus Moſis, *v. g. epiſt. Judæ* probabi-

c. 18.
19.
20.
21.
22.

probabiliſſime ſignificari populum Hieroſolymitanum, cum templo, lege & cultu Moſaico. Per Michaelem intelligi defenſorem gentis Judaicæ, (juxta ac *Dan. XII.*) qui dicatur objurgaſſe Satanam, h. e. adverſarium, Joſuæ & Zorobabeli reſiſtentem, qualis Titnai & Starboſnai *Eſræ V, 2. 3.* Ad *1. Sam. XXVIII, 7. ſq.* reſpondet, non veras c. 23.
fuiſſe prædictiones, ſed meras nugas vetulæ, ſpiritu aliquo fatidico ſe
præditam mentitæ. Locum *Job. II, 7.* exponit: *Egreſſus eſt Satan* 24.
a conſpectu Jehovæ, & percuſſit, non Satan, ſed Jehova, *Jobum ulcere peſſimo.* Hiſtoriam quippe veram exornari fictis circumſtantiis, ad inſtar *1. Reg. XXII, 19.* Quæ *2. Cor. XII.* de Satana Paulum colaphizante leguntur, de perſecutionibus, contradictionibus, & calumniis adverſariorum accipit. In Veteri Teſtamento quotiescunque inter- 25.
pretes *Diabolos* memorent, in textu originali reperiri aut שֵׁדִים h. e. idola, quæ *devaſtatores* dicantur, quia ob eorum cultum idololatrarum regiones Numen abominari & devaſtare ſoleat, vel שְׂעִירִים *piloſos* ſive *hircos*, animalia illa bruta. In Novo Teſtamento δαιμονιζ nominari, non quod ſint, ſed quod a Gentilibus fingantur. Locum *Jac. II, 19.* δαιμονίζεται: *Dæmonia*, h. e. ſacerdotes gentilium, Dæmoniorum nomine reſponſa dantes, *credunt Deum eſſe & contremiſcunt*; perinde uti *Jer. L. 2.* Bel & idola (i. e. eorum ſacrificuli) erubeſcere dicuntur. Si *Bekkero* judice ſtandum eſt, *Dæmoniaci* in No- 26.
vo Teſtamento peculiaribus morbis erant affecti cerebrum lædentibus, ſenſusque adeo internos, inprimis phantaſiam turbantibus, ac paroxyſmos inſtar febrium habentibus, atq; ſymptomata gravia, v. c. furorem, ſurditatem, obmuteſcentiam, &c. *Spiritus Domini* a Saule recedens, *1. Sam. XVI.* erat (juxta autorem noſtrum,) animoſitas & fortitudo regia: ſed ſuccedens *ſpiritus malus* ejusdem timiditas cum paroxyſmis melancholicis & pene cum furore, ad cantum citharæ, quo
Satanas fugari nequeat, recedens. In ejectione Dæmoniorum (loqui- 27.
mur ex ſententia Bekkeri,) Chriſtus dictis factisque ſuis vulgo ſe attemperavit; quandoquidem non venerat, ut ſcientiam rerum naturalium traderet, aut errores circa iſtas refutaret, ſed ut religionem inſtauraret, ſeque Meſſiam promiſſum eſſe demonſtraret. Hinc morbos *Dæmonia* vocans loquebatur cum vulgo, prout & alibi Solem oriri atque occidere dicit. Speciatim ſpiritus immundus *Marc. I, 23.* erat 28.
morbus inſaniæ, ex quo miſer ille putabat, ſe eſſe diabolum, ſicut

Nebucadnezar credidit se esse bestiam. Sic & *Matth. VIII. 28.* fuit vesanus existimans, vel a legione dæmonum inhabitari se. Hunc Christus a rabie illa liberavit, eademque gregem porcorum, petito sanandi annuens, percussit. Lunaticus *Matth. XVII.* fuit epilepticus.
c. 29. Eadem libertate alia quoque Scripturæ dicta Bekkerus a Satana detor-
30. quet in pravos homines. Sic Principatus & Potestates piis adversantes, *Rom. VIII, 38. Eph. VI. 12. Col. II. 15.* sunt ei magistratus infideles. Princeps hujus mundi ejectus, *Joh. XII*, notat magistratus mundanos, Herodem & Pontium Pilatum. Deus hujus mundi *2. Cor. IV, 2.* sunt carnales concupiscentiæ eorum, quibus (juxta *Phil. III.*) venter Deus est. Princeps potestatis aeris, spiritus qui operatur in filiis infidelitatis, *Eph. II*, est dominium pravarum cupiditatum. Spiritualia nequitiæ in cœlestibus, *Eph. VI, 12.* non sunt Spiritus mali sub cœlis, sed pravitates & nequitia animæ humanæ, rebus fidei ac cœlestibus
31. se immiscentis atque verbis & factis ea impugnantis. *Spectra* dein & *somnia* diabolica confutat Autor, eo quod Diabolus non adjuvetur a Deo in corpore sibi adaptando, sicut angeli boni, quorum
32. apparitionem haud negat. Nec magis concedit, quod vulgo dicitur, Satanam esse insignem Physicum, Polyglottum, Theologum. *Non* esse ait *Physicum*; quia res naturales & corporeæ absque corpore non intelligantur. Nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu. *Non Polyglottum*; quia spiritus non operetur nisi cogitando, i. e. intelligendo & volendo. Jam licet quis cogitet, qua lingua incolæ terræ Australis incognitæ utantur, non posse istam hoc ipso addiscere. Absque interventu corporis, (i. e. vel audiendo vel in libris legendo) spiritum nihil concipere posse de hominis lingua, vel voce, vel sono. *Non* denique *Theologum*; Nam & angelos bonos nihil nosse de rebus divinis, nisi quantum e divina revelatione & legatione ad pios compertum habent. Multo ergo minus patrem mendaciorum perscrutaturum
33. profunditates mysteriorum divinorum. *Regnum* denuo *Satanæ* destruit, h. e. potentiam atque dominium post lapsum, cum id ne ante
34. 35. lapsum quidem habuerit; & vulgarem sententiam de potestate diaboli nec cum veritate fidei Christianæ, nec cum vera pietate simul consistere posse, sub libri calcem pronuntiat.

Habes in compendio libros Bekkeri duos priores, a Doctore quidem Theologo inter Reformatos magni nominis profectos, eoque nomine locum in *Actis* nostris *Eruditorum* meritos, at tanta audacia Scri-

Scripturæ innumera loca pervertentes, ac ubi primæ hypotheſes probandæ ſunt, probationibus deſtitutos, ut paucos neminemve, paulo reverentius Scripturas divinas habentem, nec ad rationis occœcatæ in ſpiritualibus dictamen eas refingentem, fore putemus, qui abs eo in ſuam ſe pertrahi ſententiam paſſurus ſit.

GERHARDI FELTMANNI TRACTATUS DE Impari Matrimonio.

Bremæ, apud Hermannum Brauerum, 1692, in 8.

Conſtat plagulis 22.

QUa occaſione Autor Conſultiſſimus ad hanc quæſtionem præjudicialem & maxime illuſtrem acceſſerit, ut eam ſuccincta & ſolida interpretatione excuteret, ſub initio tractatus ingenua libertate enarrat. Notum videlicet eſt, ante annos non ita multos acerrimam diſceptationem ſubortam eſſe de jure ſucceſſionis legitimæ in Comitatum Benthemenſem, a quo filios Erneſti Guilielmi Comitis frater ejus Philippus Conradus, iſtiusque dehinc filius, tum propter generis materni ignobilitatem, tum propter ſpecialis pacti ſucceſſorii diſpoſitionem excludere certabat. Dictus modo Comes Erneſtus Guilielmus ſolenni matrimonio ſibi junxerat Gertrudim Zelſtiam, ex clara inter cives gente apud Zütphanienſes editam; ex qua cum duos ſuſcepiſſet filios, Erneſtum & Chriſtophorum Bernardum, (quorum alter numeratur inter eos, qui prætorianis equitibus Magnæ Britanniæ Regis Guilielmi III præfecti ſunt, alter prætoriæ navi imperat:) poſt ſuborto fribuſculo, pactū ſucceſſorium iniverat cum fratre Philippo Conrado, cujus potiora capita hæc erant, ut Zelſtia conjux liberique ex ea nati omnes titulo quidem Comitis ornarentur, contenti autem arce Schutterpienſi & reditibus, quos ex eo diſtrictu capere licet, cæteris rebus genitoris ſui abſtinerent, veluti debitis Philippo Conrado ejusque proli ex pari connubio genitæ. Confirmavit hanc pactionem Imperator, juſſitque Epiſcopum Monaſterienſem, ut eam traheret ad ſuam curam & tuitionem ſingularem, quæ vulgo Conſervatorii voce venit. Neque ſic contentus pater, poſtea exhæredes inſuper ſcripſit ſuos natos, & in teſtamento ſolenni repetiit firmavitque pactum antea cum germano celebratum. His ita diſpoſitis, cum tanti præjudicii negotium non poſ-

set aliter quam in lites & dissidia ambigua dissolvi; factum est, ut utraque pars Principum potentiorum clientelam ambiret, simulque per Literatos causam in scriptis publicis orandam curaret. Pulchrum duxit Autor hac in palæstra a partibus filiorum præteritorum stare. Quamobrem auxit primum Apologiam, quæ apud Boomios Amstelodami sub titulo *manifesti* typis descripta prodiit, in qua tamen ea tantum pro suis agnoscit Noster, quæ editor ejus principio cujusque versus secretis notis signavit. Postea aliud scriptum composuit lingua Gallica sub titulo *Des Enfans illustres nez d'une roturiere*, jamque typographo commiserat, sed quod nunc, mutata sententia, Latine edere maluit.

Dispertitus vero est tractatum istum in tres partes, quarum prima & postrema in tria rursus capita distinctæ sunt. In prima parte perspicue primum formatur status controversiæ, num liberi ex impari matrimonio geniti sint capaces Feudorum Regalium, ut patri in Principatu ac Comitatu Imperii succedant. Ordine dehinc disputatorio servato, XLV technas in *Cap. I* recenset, quibus negativam sententiam nonnulli adstruere laborant; *Cap. 2.* exhibet rationes veras & exempla selecta pro adstruendo liberorum jure; *Cap. 3.* resolutionem dubiorum addit. Prolixum nimis foret, tot rationes, tamque varia exempla sibi invicem occurrentia, eorundemque conflictum ordine competente vel leviter saltim stringere; quocirca loca, præ cæteris notabilia quæ nobis visa sunt, nude allegabimus, de eorundem exacta connexione & applicatione ad præsentem materiam non adeo solliciti, cum de scopo Autoris Clarissimi jam sufficienter constet. Pag. 13. & seq. recensentur nomina nonnullorum Principum, quibus inæquale matrimonii inire placuit, ea tamen lege, ut liberos exinde susceptos in dignitatis gradu inferiore post se relinquerent. Ex his primum occurrit Fridericus I cognomento Victoriosus Elector Palatinus cum Clara Tettingia; sequuntur Otto Dux Luneburgensis cum Mechtilde Campensi, Georgius Fridericus Marchio Bada-Durlacensis cum Elisabetha Stozinia, Georgius Aribertus Princeps Anhaltinus cum Johanna Crosecia, Ferdinandus Bavariæ Dux cum Maria Pettenbecia; quibus *pag. 36.* accedunt Ferdinandus Austriacus cum Philippina Velsera, Ludovicus Lusitanus Bejæ Dux cum Jolanta. *Pag. 16.* refertur ex Trithemii Chronico Ducū Bav. Ernestum Bojariorum Ducem ex decreto Consi-

Consiliariorum suorum pœna parricidii affeciſſe Agnetem Bernaueriam patre chirurgo natam, quod vincula amoris arctiſſima cum filio ſuo contraxerat. Supplicii vero iſtius rigor immoderatus, & qui illud anteceſſit, proceſſus non rite formatus, cenſuram merito ſubit *pag. 137.* Pag. 54. & ſeq. digreſſio prolixa inſtituitur circa Antonium Luſitanum, Priorem Cratenſem vulgo dictum, quem Ludovicus Emanuelis Luſitaniæ Regis filius ſecundogenitus ex Jolanta obſcuræ originis fœmina ſuſceperat. Poſtquam enim præter ſpem & expectationem proximiores Regni hujus hæredes fatum abſtulerat, ut illud ad Antonium, ex juſto ſe natum eſſe matrimonio utcunque probantem, devolveretur, validiſſimum iſte contradictorem expertus eſt Regem Hiſpaniæ, qui jus ſucceſſionis non tam via juris, licet Pontificem ut arbitrum in ſpeciem admitteret, quam aperto Marte ſibi aſſeruit. Quam varii vero caſus & inſperata fortunæ ludibria turbas haſce diſtinxerint, fuſius exponere Noſter ſatagit. *Pag. 62.* ut & *pag. 92.* memorantur exempla quorundam Principum, qui liberos ex uxore inferioris ordinis ſuſceptos provinciarum ſuarum hæredes reliquerunt. Sic Uladislaus I Bohemiæ Rex placide regnum obtinuit, licet aviam haberet paſtoris filiam, quam teſte Ænea Sylvio, Udalricus ſibi junxerat. Admiſſus quoque dicitur ad ſucceſſionem in Comitatum Marcæ & Sleidæ ac Lumaini dynaſtiam Franciſcus Antonius ignobili matre natus. Imo in contradictorio judicio apud Imperatorem obtinuit ſucceſſionem in Ducatum Mutinenſem Cæſar Eſtenſis, ſeu Ateſtinus, qui matrem Lauram plebejæ originis fœminam agnoſcebat. Plura exempla ſe conſulto prætermittere profitetur Noſter, cum mortalium merites hoc præjudicio laborent, cunctos optimates generoſique ſanguinis viros, quoties ſibi jungant geniali fœdere lecti virginem ignobilem, nuptias ſe facere indignas, & plerique ideo averſentur rei quaſi probroſæ fieri mentionem, & obductam Familiæ cicatricem refricari. *Pag. 116.* cenſum virorum exhibet, qui ignobili loco nati hoc ſeculo inclaruere, ut Ducum Comitumque dignitatem obtinerent. Hæc de parte I.

Pars II mixtim declarat tum quæ ſit conditio liberorum ex matrimonio ad morganaticam contracto ſuſceptorum, tum quod in præſenti caſu talis pactio nunquam legitime interceſſerit, quodque ſola patris Erneſti Guilielmi Comitis aſſertio in pacto ſucceſſorio cum fratre inito plenam rei hujus probationem non abſolvat. *Pars III* &

postrema pactum successorium, quod Ernestum Guilielmum cum fratre Philippo Conrado in præjudicium liberorū ex Zelstia susceptorum iniisse jam memoravimus, cum juris positivi regulis confert eodem ordine, qui in prima parte occurrit. Ex tribus etenim capitibus *Cap. I* colores varios monstrat, quorum fuco pactum istud ut validum & legitimum utcunque appareat. Potiores ex his videntur, autoritas pactorum hæreditariorum & confraternitatum, quæ inter Illustres personas celebrata; confirmatio Imperatoris specialiter concurrens; reverentia parentibus debita; patriæ calamitas ex dissidio hoc metuenda. *Cap, II* rotunde negat, patri ullam disponendi facultatem competiisse circa Feudum Regale in præjudicium liberorum, qui jamjam nati jus quæsitum habuerunt, quod ipsis invitis neutiquam auferri potuerit. Circa *Cap. III & fin.* quod impedimenta in Cap. I hujus partis objecta provide tollit, istud obiter adhuc notamus, Constitutionem Saxonicam p. 307. denuo occurrentem (*conf.* p. 253.) molliorem omnino demereri censuram; hujus quippe ratiocinatio justa nobis videtur, & satis valida, dummodo casui genuino adaptetur.

SOLUTIO CURVÆ CAUSTICÆ PER VULgarem Geometriam Carteſianam; aliaque,

Auctore Johanne Bernoulli, Med. Cand.

QUia modus, quo naturam Curvæ Caustic æ, Nob. D. T. primum consideratæ, per vulgarem Geometriam inquisivi, diversamque deprehendi ab ea, quam applicatæ Semicirculi in punctis bisectionum formant, non cuivis obvius est, placet hic eum in gratiam amatorum
TAB. I. hujus Geometriæ plenius exponere: ubi primo notare convenit, quod (Fig. I) CB radius reflexus parallelī DC, sit æqualis ipsi AB, interceptæ inter centrum A & punctum intersectionis B. Nam ob ang. ACF = ACE & DCF = BCE, erit ACB = ACD = CAB, ergo BC = AB. q. e. d.

Hoc præliminato, hujus curvæ generationem sic concipio: Sint (Fig. II) tres radii prædicto modo reflexi AF, BE, CD, se mutuo secantes in punctis G, H, I, quorum quilibet ex hypothesi curvam quæsitam tangit, ideoque punctum contactus radii BE non poterit esse in HB,

TAB. I. ad A. 1692. pag. 30.



Fig: I.



Fig: II.



Fig: III.



Fig: IV.



Fig: V.

in HB, secus AF curvam secaret; nec etiam erit in GE, alias DC secaret utrumque contra hypothesin; erit ergo in GH. Intelliganturnunc puncta A & C magis appropinquari ad B, magis itaque accedent etiam ad se invicem puncta H & G, ut ita arctius limitetur punctum contactus; si ergo A & C coincidant in B, concurrent quoque G & H, adeo ut contactus plane determinatus sit, nimirum in concursu punctorum G & H. Liceat concursum hunc appellare *punctum concurrentiæ*, quod in hoc speciali exemplo ita comparatum est, ut unica linea EB per illud duci possit, quæ sit æqualis ipsi conterminæ KB, cum per quodlibet aliud punctum G vel H eis vel ultra punctum concurrentiæ semper duæ lineæ EB & DC vel EB & AF duci possint, ita ut tam KC = CD, quam KB = BE, vel tam KA = AF, quam KB = BE. Quod hactenus dictum est de puncto concurrentiæ in radio reflexo EB, pariter etiam intelligendum erit de omnibus aliis, in radiis reflexis FA, DC &c. Ideoque problema propositum huc recidit: *Invenire naturam curvæ, quam formant puncta concurrentia radiorum reflexorum.*

Ad hoc investigandum ponatur more *Cartesiano* (Fig. III) AB = x, perpendicularis BC = y, AS = a: invenienda itaque est CD, quæ si producatur ad E, DE sit = AE, & resultans æquatio habebit duas radices æquales, quia supponitur C esse punctum concurrentiæ, per quod sc. unica linea DE ducitur ita ut sit = AE: ponatur ergo CD = z & AE (ED) = m, erit CE = $m - z$, BE = $\sqrt{mm - 2mz + zz - yy}$, & AE = AB − BE = $x - \sqrt{mm - 2mz + zz - yy} = m$: reducta æquatione invenitur $m = \frac{xx - zz + yy}{2x - 2z}$: porro quia $\sqrt{aa - xx} = GB$, erit $\square$ GCH (DCF) = $aa - xx - yy$, proinde CF = $\frac{aa - xx - yy}{z}$ & DF = $\frac{aa - xx - yy + zz}{z}$ EF = $\frac{aa - xx - yy + zz}{z} - m$, ideoque $\square$ DEF = (KEI = $aa - mm$) $\frac{aa - xx - yy + zz}{z} - m - mm$, invenietur ergo $m = \frac{aaz}{aa - xx - yy + zz} = \frac{xx - zz + yy}{2x - 2z}$: reducta æquatione habetur

$x^4 -$

$z^4 - 2xxzz - 2yyzz - 2aazz + 2aaxz + x^4 + 2xxyy + y^4 - 2aaxx - 2ayy = c.$

Hæc itaque æquatio duas radices æquales habens multiplicetur per duas progressiones arithmeticas $-0, -1, -2, -3, -4$ & $+4, +3, +2, +1, +0$, provenient duæ æquationes,

$\odot\ 4xxzz + 4yyzz + 2aazz - 6aaxz - 4x^4 - 8xxyy - 4y^4 + 4aaxx + 4aayy = 0$, &

$\frac{8}{3}\ 4z^3 - 4xxz - 4yyz - 2aaz + 2aax = 0$. M. per $xx + yy + \frac{1}{2}aa$ & $\odot$ per z, provenit

sub: $\begin{cases} 4xxz^3 + 4yyz^3 + 2aaz^3 - 4x^4z - 8xxyyz - 4aaxxz - 4y^4z - \\ 4aayyz - a^4z + 2aax^3 + 2aaxyy + a^4x = 0, \text{ &} \\ 4xxz^3 + 4yyz^3 + 2aaz^3 - 6aaxzz - 4x^4z - 8xxyyz - 4y^4z + 4aax \\ xz + 4aayyz = 0. \end{cases}$

resid. $2\ 6xzz - 8xxz - 8yyz - aaz + 2x^3 + 2xyy + aax = 0$. M. per $2xx + 2yy + aa$ & $\odot$ per $3x$, habebitur

sub: $\begin{cases} 12x^3zz + 12xyyzz + 6aaxzz - 16x^4z - 32xxyyz - 10aaxxz - \\ 16y^4z - 10aayyz - a^4z + 4x^5 + 8x^3yy + 4aax^3 + 4xy^4 + 4aax \\ yy + a^4x = 0, \text{ &} \\ 12x^3zz + 12xyyzz + 6aaxzz - 18aaxxz - 12x^5 - 12y^4x - 24x^3yy + \\ 12aax^3 + 12aayyx = 0. \end{cases}$

resid- $\mathfrak{D}\ 16x^4z + 32xxyyz - 8aaxxz + 16y^4z + 10aayyz + a^4z - 16x^5 - 32x^3yy + 8aax^3 - 16xy^4 + 8aaxyy - 4aayy - a^4x = 0.$

sub: $\begin{cases} \frac{8}{3}\ 6xz^3 - 6x^3z - 6yyxz - 3aaxz + 3aaxx = 0. \\ \mathfrak{D}\ 6xz^3 - 8xxzz - 8yyzz - 4aazz + 2x^3z + 2xyyz + aaxz = 0. \end{cases}$

resid. $8xxzz + 8yyzz + 4aazz - 8x^3z - 8xyyz - 4aaxz + 3aaxx = 0.$

sub: $\begin{cases} \odot\ 8xxzz + 8yyzz + 4aazz - 12aaxz - 8x^4 - 16xxyy - 8y^4 \\ + 8aaxx + 8aayy = 0. \end{cases}$

resid. $3aazz - 8aaxz + 8x^3z + 8xyyz - 8x^4 - 16xxyy - 8y^4 + 5aa xx + 8aayy = 0$ M. per $2x$, & $\mathfrak{D}$ per aa, erit

sub: $\begin{cases} 6aaxzz - 16aaxxz + 16x^4z + 16xxyyz - 16x^5 - 32x^3yy - 16xy^4 \\ + 10aax^3 + 16aaxyy = 0 \text{ &} \\ 6aaxzz - 8aaxxz - 8aayyz - a^4z + 2aax^3 + 2aaxyy + a^4x = 0. \end{cases}$

resid. $\mathfrak{Q}\ 8aaxxz - 16x^4z - 16xxyyz - 8aayyz - a^4z + 16x^5 + 16y^4x + a^4x + 32x^3yy - 8aax^3 - 14aaxyy = 0.$

addantur nunc $\mathfrak{Q}$ & $\mathfrak{D}$; habebitur, diviso per $2yy, 8xxz + aaz +$

8yy=

$8yyz-3aax=0$: ideoque erit $z=\frac{3aax}{8xx+aa+8yy}$ & per æquat. ♀

est $z=\frac{16x^5+32yyx^3-8aax^3-14aayyx+16y^4x+a^4x}{16x^4+16yyxx-8aaxx+8aayy+a^4}$ Multiplic. per crucem & reducta æquatione ad cyphram orietur tandem

$$\begin{array}{llll} 64x^6 & -48aax^4 & +12a^4xx & -a^6 \\ +192yy & -96aayy & -15a^4yy & \\ & +192y^4 & -48aay^4 & =0 \\ & & +64y^6 & \end{array}$$

Hæc quæ vera est æquatio naturam curvæ determinans ad pauciores dimensiones reduci nequit, cum per positionem $y=\frac{1}{2}a$ æquatio $256x^6-27a^6=0$ irreducibilis oriatur; unde consequitur, diversam esse ab ea, quam applicatæ semicirculi in punctis bisectionum formant, utpote cujus natura per æquationē biquadraticam $16x^4-8aaxx+a^4$

$$\begin{array}{ll} -8ay & -2a^3y=0 \\ +16yy & +4ayy \end{array}$$

exprimitur.

Fig. IV. Haud absimili modo invenitur natura curvæ ABC, quæ talis est, ut a quocunque curvæ puncto B tangens utrinque protensa, & a cruribus anguli recti FA, FC intercepta, ED sit æqualis constanti datæ. Invenio namque pro æquatione naturam curvæ exprimente (posito $FG=x$, $GB=y$, $ED=a$)

$$\begin{array}{llll} x^6 & -3aax^4 & +3a^4xx & -a^6 \\ +3yy & +21aayy & +3a^4yy & \\ & +3y^4 & -3aay^4 & =0. \\ & & +y^6 & \end{array}$$

Curvæ autem portio BC (ut & hoc moneam) æqualis est $\frac{2}{3}$ BD, proinde longitudo totius curvæ ABC æquatur $\frac{2}{3}$ AF vel $\frac{2}{3}$ ED.

Insuper natura curvæ CKIH, quæ ex evolutione curvæ ABC describitur, posito $FG=x$, $GI=z$, exprimitur per hanc æquationem

$$\begin{array}{llll} 4x^6 & -12aax^4 & +12a^4xx & -4a^6 \\ +12zz & -24aazz & +12a^4zz & \\ & +12z^4 & -15aaz^4 & =0. \\ & & +4z^6 & \end{array}$$

Curvæ hæ habent hanc proprietatem insignem: spatium curvilineum BDC est ad spatium curvilineum DKC ubique ut 4 ad 5.

Facta FL & FM = $\frac{2}{3}$ AF seu FC, ductisque MN & LN, parallelis FC & AF, erit punctum concursus N centrum gravitatis curvæ ABC.

Facta vero FO = $\frac{2}{3}$ FG, erit centrum gravitatis portionis AB in linea parallela OP.

Facta FZ = $\frac{2}{3}$ GB, erit centrum gravitatis portionis BC in lin. paral. QR.

Cæterum animadvertit *Clarissimus Frater*, methodum hanc posse generalem effici, & adhiberi ad determinandas naturas omnium Evolutarum & Caustricarum, hoc est, curvarum, quæ per intersectiones perpendicularium aut radiorum reflexorum formantur: Etenim si duæ rectæ (Fig. V) BD, CD, fingantur esse perpendiculares ad curvam ACB, vel radiorum incidentium LB, LC reflexi, intersecantes sese in communi puncto D; sequitur utique, quod viceversa ex dato puncto D duæ quoque ejusmodi lineæ inflecti possint, quæ sint vel perpendiculares curvæ AB, vel reflexi radiorum in punctum L vergentium: Quocirca si rectæ AE, ED utut indeterminatæ, considerentur tantisper ut cognitæ & determinatæ, hoc est, punctum D ut datum, & quæratur exinde longitudo z, puta ipsius DB vel BL, vel BG, vel AG (prout hoc illudve simplicius videbitur) habebit æquatio, longitudinem z exprimens, duas radices æquales quidem, sicubi puncta B & C indistantia, hoc est, punctum D in curva optata fuerit: quare si porro dicta æquatio nota methodo tractetur, & eliminetur ex illa litera z, resultabit alia, quæ relationem indeterminatarum x & y sive rectarum AE, ED, adeoque naturam curvæ quæsitæ exhibet. E quibus concludit, Geometriam vulgarem, si dextre adhibeatur, posse nonnunquam ad ea quoque Problemata extendi, quæ absque reconditiore indivisibilium Geometria solvi non posse credebantur, quanquam cætera cum hac neutiquam comparari mereatur. Speciatim annotat, Evolutam Parabolæ expeditiori calculo sic inveniri, quam super illam ope methodi infinite parvorum repererat. Positis enim Lat. rect.

Parab. = a
AI = $\frac{1}{2}a$
IE = x
ED = y

erit AG = $\frac{zz}{a}$
GF = $\frac{1}{2}a$
EF = $\frac{ay}{2z}$

AI + IE = AG + GF + FE

$\frac{1}{2}a + x = \frac{zz}{a} + \frac{1}{2}a + \frac{ay}{2z}$

$x = \frac{zz}{a} + \frac{ay}{2z}$

BG =

BG=z | $2z^3 * - 2axz + aay = 0$ | $2z^3 * - 2axz + aay = 0.$
0 1 2 3 | 3 2 1 0
$-4axz + 3aay = 0$ | $6z^3 - 2axz = 0$

$z = \frac{3ay}{4x}$ | $3zz - ax = 0$

$zz = \frac{9aayy}{16xx}$ | $zz = \frac{ax}{3}$

unde $\frac{9aayy}{16xx} = \frac{ax}{3}$

& $27ayy = 16x^3$.

ATHENÆ OXONIENSES.

An exact history of all the VVriters and Bishops &c.

id est,

Historia accurata Scriptorum atque Episcoporum, qui prodierunt ex antiquissima & famigeratissima Oxoniensi Academia, ab A. D. 1500 ad A. 1690. Accedunt *FASTI OXONIENSES.*

Volumen I. pertingens ad A. D. 1640.

Londini, impensis Thomæ Bennet, 1691. Plag. 217.

ANonymus laborioſiſſimi operis Autor, ut jam anno ſuperioris p. 152. in Novis Literariis diximus, eſt *Antonius Wood*, vir multæ variæque lectionis, ac ex *Hiſtoria & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis*, Latino ſermone e theatro Sheldoniano A. 1674 editis, in republica literaria percelebris. Hic Joannis *Lelandi*, Joannis *Baléi*, Joannis *Piſæi*, Franciſci *Godwini*, aliorumque minoris famæ hiſtoricorum ſtudium, eruditos claroſque ſuæ gentis viros ab oblivione poſterorum vindicandi, non feliciter tantum æmulatus eſt, ſed &, ſi quid judicamus, non perfunctorie ſuperavit, tum rerum copia, tum modeſta erga diverſæ religionis homines, quam in *Balæo* magnopere deſiderat, tum denique diligenti allegatione authorum, per quos profecit; qua in parte notandus venit *Piſæus*, qui quoties *Lelandum* teſtem laudat, *Baleum* exſcribit, hunc tamen, ceu hæreticum, nomina-

re non audet, cum nihilominus extra dubium ponatur Woodo noſtro, neque illi, neque ulli Pontificiorum acceſſum, dum viveret is, patuiſſe ad *Lelandi* MSCta.

In *Athenis* his *Oxonienſibus* ſpectare licet *nativitatem, fortunam, munia, geſta, obitum* omnium *Authorum* ac *Prælatorum*, quotquot ex Oxonienſi Academia prodierunt, ſive in Anglia ſive extra eam aut naſci, aut fortunarum ſedem nanciſci eis contigerit. Adjiciuntur ſæpe *fata* & *characteres librorum* abs eis compoſitorum. Et quamvis in *FASTIS promotiones* potiſſimum *magiſteriales* & *doctorales, incorporationes in collegia academica* & id genus alia, recenſeantur, attamen ſi forte inter Scriptores Epiſcoposve nomen Graduatorum illorum aut Incorporatorum non compareat, obiter brevis eorum biographia illic adnectitur.

Inter *Scriptores* agmen ducit ipſa *Academia*, cujus nomine inſignitur e. g. *Judicium die 19. Aug. 1690 latum adverſus impium libellum* [Arthuri Bury, Doctoris Theologi ac Rectoris Collegii Exonienſis] *inſcriptum:* The naked Goſpel. Hoc *Nudum Evangelium* omnia fidei principia, quæ unanimi conſenſu a Chriſtianis credita fuerant, evertere dicitur, ac eo nomine Oxonii, eodem tempore, quo Judicium prodiit, combuſtum eſt.

Longum foret, catalogum texere omnium iſtorum *Authorum* aut *Epiſcoporum*. Illi enim numerum attingunt ſexcenteſimum ſeptuageſimum, hi ducenteſimum quartum. Iſtos inter recentiſſimus eſt *Robertus Chamberlaine* poeta Anglus: inter hos *Metrophanes Critopulus*, (quem Woodus conſtanter vocat *Critopylum*,) Patriarcha Alexandrinus, qui nempe A. 1640 claruit, etſi incertum eſt, quo anno obierit. Seligemus tamen e multis, ſpeciminis loco, quosdam, tum
pag. 498. qui inſolentioris argumenti libros concinnarunt, tum quorum notitia ad Acta noſtra emaculanda aut ſupplenda facere videtur. Ex iſtis ſunt, qui opuſculis ſuis homines in Luna aſſertum ivere, Franc. Godvinus, Herefordienſis, & Wilkinſius Ceſtrienſis, Epiſcopi. Robertus *Burtonus* Wilhelmi frater, Lindliaco-Leiceſtrenſis, Mathematicus ac Philologus inſignis, *Democritus junior* inter Oxonienſes vulgo appellatus, natus 8. Febr. 1576, eo tempore, quo ſibi mortem ex themate ſuo genethliaco prædixerat, melancholia extinctus eſt, cum antea *de Melancholia* quoque opus, magno ab Anglis applauſu exceptum ac A.

1624

1624, 1632, 1638, 1652, in Fol. excusum, edidisset. Tumba ejus Oxonii visitur, tum schematismo genethliaco, tum inscriptione notabilis sequenti: *Paucis notus, paucioribus ignotus, hic jacet Democritus junior, cui vitam dedit & mortem melancholia. Obiit VIII Id. Jan. A. C. M DC XXXIX.* pag. 535.

Reprehendit Noster *Isaacum Waltonum*, autorem *Vitæ Henrici Wottoni*, in Supplementis Actorum Eruditorum p. 82. recensitæ, ob varios in Chronologia errores. Sequitur tamen in cæteris, adeo ut & mendum typographicum fraudi ei fuerit, dum refert, Wottonum legatione functum apud *Ducem Wittebergensem*. Nimirum ita legerat doctissimus Vir in *vita* illa, *plagula* [c] *in fine*. At illius loco in *epistolis Wottonianis* p. 292. 490. 498. *Dux Wirtenbergensis* (erat is Johannes Fridericus,) recte legitur. Hunc Stutgardiæ A. 1620 convenerat Wottonus, ut ipsemet in epistolis haud obscure indicat. Ad Acta Erud. A. 1691. p. 5. notare par est ex Woodo p. 601, *Joannem Overallum* 12. Maji 1619 fato suo functum. Itemque ibidem p. 3, ex eodem p. 310, *Robertum Personium* non die 10, sed $\frac{5}{15}$ Apr. 1610, obiisse, qui annus etiam emortualis fuit *Richardo Knollio*, cujus historiam Turcicam, nuperius recusam, sectione Supplementorum prima commemoravimus; latius autem paulo de ea egit Woodus, p. 310. 531.

EPISTOLÆ MEDICINALES VARIIS OCCASIONIBUS CONSCRIPTÆ. Authore Ricardo Carr M. D. & Coll. Reg. Med. Lond. Socio.

Londini, impensis Stafford Anson. 1691 in 8. Constat. plag. 14.

Octodecim quæ fasciculo præsenti comprehenduntur epistolæ, totidem responsa sunt ad diversos ab Autore exarata. *Epist. 1* abusum æque ac usum Pharmicorum exponente, ossis cribrosi foraminula a filamentis æque nerveis ac vasculis lymphaticis illa humectantibus oppleri indigitatur. Autorem quippe Lugduni quondam Batavorum in cadavere, a Schaftio (Schacht) intensissimo frigore disfecto, lymphatica vasa externum cerebri ambitum perreptantia propriis usurpasse oculis, & intuitu horum vasculorum lymphaticorum, narium a frequentioribus sternutatoriis exsiccatorum olfactum quoque deficere in iis, qui sternutatorio nimium delectantur pulvere. E multis au-

tem ptarmicis ſolæ roſæ rubræ ſubtiliſſime pulveriſatæ commendantur. *Ep. II* Nicotianæ fumus biliosis diſſuadetur, in maxillarum vero tumoribus circa collum emergentibus, odontalgia, uteri ſtrangulatu, ſerosis oculorum affectibus, aſthmate &c. præcipitur, modo non effectum uſus ejus quotidianus, propterea fugiendus, fruſtretur. *Ep. III* vires & vitia liquorum in Coffepoliis uſitatorum, Decocti nempe Coffe, Thee, Salviæ neutri horū cedentis, & Chocolatæ, ita recenſentur, ut ſingula deprædicentur proficua, ſi calida & medicamenti inſtar, i. e. rarius uſurpentur, nec unus idemque ſemper liquor, ſed interdum hic, interdum ille pro lubitu ſorbilletur. *Ep. IV* morborum enarrantur myriades, a potu generoſiori mane hauſto propullulantes. *Ep. V* Aquæ Tunbrigienſes ad methodum præſcriptam in doloribus nephriticis extra paroxyſmum ſalutares celebrantur, etiamſi non tam ſpiritum illum gorgoneum extinguant, quam pabulum ſolum ſubtrahant. *Ep. VI* in fœminarum ſterilitate ab uterinis dependente obſtructionibus multum Thermis attribuitur. *Ep. VII* Matres multiplicis poſtulantur criminis, quod infantibus, ubi bene valeant, mammas proprias denegent; vanum enim nonnullarum eſſe metum, ne hyſtericam lactando paſſionem ſibi accerſant. *Ep. IIX* Viro cuidam tabe confecto conſilium impertitur, ut Monspelium contendat, cum aer ibi clementior ſpiret, totique itineris decurſu tam corpus varie exerceatur, quam animus jucunde reficiatur. Fonticulis autem tali in caſu parum fidei habetur, quod pus laudabile ab iis tunc plorari ſolitum non cauſa, ſed effectus melioris videatur valetudinis. *Ep. IX* de Capillitii uſu in cephalalgiis ſedandis diſſeritur. *Ep. X* dum commoda Hæmorrhoidum fluentium in Melancholicis, Lienoſis & Nephriticis aperiuntur, variæ quoque indagantur cauſæ, cur ſanguis peccans ex hæmorrhoidalibus ſaltem venis effundatur. *Ep. XI* Alvi adſtrictæ tum cauſæ, tum medela hiſce proportionata, exponuntur. *Ep. XII* Graviditatem ex urina ſuſtra prædici innuitur, quod veſica urinaria non magis, quam inteſtinum rectum cum utero communicet, nec certo mulierum urina a virorum lotio dignoſci poſſit. Quoad Uroſcopiam alias ſaluberrime a Londinenſi Medicorum Collegio cautum, ne ullus ſive Sociorum, ſive Candidatorum, ſive Permiſſorum conſilii quicquam ſupra urinarum nuda inſpectione impertiat. *Ep. XIV* Contactus Regius in ſtrumoſis ſanandis aliquando proficuus, ſubinde irritus, ſolum non

rocivus, declaratur. *Ep. XV* Valetudini ebrietatem etiam menstruam obesse, rationibus & Theologicis, & Medicis ostenditur, frustra aliis vomitum tunc contingentem laudantibus. *Ep. XVI* de duabus agitur Monialibus, quas Romæ sexum mutasse fama tulit. *Ep. XVII* cœna non omnibus sine discrimine sistitur negligenda; quemadmodum numerus quoque horarum, quibus dormiendum sit, ratione circumstantiarum habita *Ep. XVIII* eaque ultima, determinatur.

DISCOURS POLITIQUES DE MACHIAVEL sur la I Decade de Tite Live.

id est,

Nicolai Machiavelli ad primam Decadem Historiarum Titi Livii Discursus Politici.

Amstelod. apud H. Desbordes, 1691, in 12. Plag. 5½.

NOva hæc est libri non novi, sed jam ultra sesquiseculum doctorum virorum manibus versati Gallica Versio, eum præ se nitorem ferens, quo lingua ista tanto hactenus studio exculta florere hodie creditur. Italico eum idiomate *Nicolaus Machiavellus* A. 1530 primum ediderat, Vir famosus, & qui in Librorum prohibitorum & expurgandorum Indicibus, quales vulgari in Romana Ecclesia consueverunt, non alio quam Athei & Pseudo-Politici elogio mactatur: sed quem in hisce suis ad primam Livii Decadem, qua Romanæ Reipublicæ veteris origo atque incrementa enarrantur, commentationibus profundam prodidisse Politices scientiam, nemo facile negaverit. Utique & exceptus olim cum applausu liber, & dignus postea habitus a viris non ineruditis fuit, qui non in Latinum tantum, sub titulo *Disputationum de Republica*, sed Gallicum etiam atque Anglicum sermonem transfunderetur. Ut adeo de civibus suis non male meritus videri possit, qui posthabito Cleri Romani in Machiavellum odio, in lucem denuo librum hunc producere, styloque ad genium seculi composito gratiorem Lectori reddere sustinuit.

MICHAELIS ANGELI FARDELLÆ UNIVERSÆ Philosophiæ Systema. Tomus I Rationalis & emendatæ Dialecticæ specimen tradens &c.

Venetiis,

Venetiis, apud Hieronymum Albirtium 1691, in 12mo.

Conſtat plagul. 24.

QUamquam Operis hujus titulus univerſæ Philoſophiæ ſyſtema præſe ferat; *Clariſſimus* tamen ejus *Autor* in limine ſtatim modeſte profitetur, brevem tantum ad recte philoſophandum prodromum & apparatum a ſe hic proponi, quo tamen animus ad aſſequendam omnibus numeris abſolutam ſapientiam rite poſſit præparari. Ut vero de totius operis partitione Lectori conſtet, *Philoſophiam* dividit in *Naturalem* & *Moralem*: illius partes tres facit, *Logicam*, *Metaphyſicam* (ad quam *Arithmeticam* & *Matheſin Univerſalem* commode reduci poſſe pronunciat) & eam, quæ circa mundum corporeum, ſeu extenſionis naturam, verſatur. Hæc ſi ſubſtantiam extenſam contemplatur quatenus ſenſibus ſubjacet, ſeu ſenſibilibus qualitatibus & apparentiis exornatur, *Phyſica*; ſi extenſionem pure intelligibilem & idealem, quatenus menſurabilis, & a ſenſuum perceptione ſejuncta eſt, *Geometria*; ſi denique veritates, quæ ideali extenſioni competunt, cum ſenſibili aliqua corporis proprietate conjungit, *Phyſico-Matheſmatica* Autori nuncupatur.

Præmittit cæteris *Logicam*, quod viam hæc ſternat Philoſophiæ primæ: in eaq; veteris & novæ Scholæ placita cum ſuis meditatis confert. Nulli autem ſectæ addictus, nullam ex omni parte rejicit aut amplectitur; in *Peripatum* tamen, ejusque præcipue ſectatores *Scholaſticos*, ſtylum hinc inde, non ſine merito, acuit. Philoſophiæ vero naturalis incrementis plurimum obfuiſſe, immodicam antiquitatis reverentiam; libidinem innovandi; diſputationum abuſum & ſtudium contentionis; methodi recte ratiocinandi defectum (quo *Ariſtotelem*, *Platonem*, *Democritum*, *veteresque Philoſophos* plurimum laboraſſe; ſolumque *Carteſium* naturalem philoſophandi rationem, utut multa ab *Antiquis* emendicaverit, excogitaſſe contendit) neglectum & contemtum ſtudii Chymiæ; ignorantiam Matheſeos; præceptu licium; exorſum a contemplatione ſenſibilium, non vero intelligibilium; fiduciam judicii ſenſuum; terminorum abſtractorum logicorum & generalium in exponenda particularium rerum natura uſum, & vocum non rerum ſolicitudinem, non indiligenti exegeſi oſtendit, cavendisque iis debitas cautelas limitesque præſcribit.

Ipſam *Logicam* dum *artem cogitandi* facit, id muneris ei injungit, ut pri-

ut primum errores noſtros detegat & emendet, præcipuas deinde mentis cogitationes, perceptionem, judicium, ratiocinationem & ordinationem dextre dirigat: unde quinque libri hujus partes *Autori* conſurgunt.

Circa *primam* duplices humanæ mentis defectus notat: neceſſarios, ex ipſa natura rei finitæ (hoc eſt defectuoſæ) pullulantes; & voluntarios, qui culpam involvant, diligentia vero adhibita caveri poſſint. Ex horum genere eos tantum, qui verum reſpiciunt, & vel ignorantiam, oblivionem, confuſionem & obſcuritatem in perceptionem; incertitudinem & præcipitantiam in judicium; pravas conſequentias in ratiocinium invehunt, conſiderat. Horum cauſam propriam & principalem conſtituit libertatis abuſum: occaſionalem, quatenus homo in ordine ad ſe ſpectatur, ſenſus, imaginationem, animique affectus; quatenus comparatur ad ſocietatem, conſortium, educationem parentum, præceptorum diſciplinam, lectionem librorum &c. Priorum (ſenſus, imaginationis &c.) occaſione, quamplures infantiæ, præjudiciis eorum nimis obnoxiæ, opiniones naſci, ex quibus deinde infiniti errores alii originem ducant, qui procedente ætate ſimul adoleſcant, novisque ſemper erroribus firmentur & augeantur, luculentis exemplis demonſtrat.

Conſiderationem errorum excipit *Pars ſecunda, de Humanæ mentis ideis*, ſive formis, per quas mens immediate percipit: quas & perceptiones, notiones & conceptus rei nominat. Tuetur hic ſententiam *Arnaldi*, ideas nihil realiter diverſum eſſe ab ipſa perceptione rei, contra *Malebranchium* ſtatuentis. Diſtinguit tamen eas in innatas & acquiſitas: & illas non eſſe imagines aut ſimulacra ſeu veſtigia, in mentis ſinu expreſſa; ſed in quadam diſpoſitione & facilitate mentis conſiſtere contendit, qua citra excitamentum extraneum ex ſe pro ſuo placito easdem ſine difficultate poſſit excitare. A præjudiciis autem infantiæ, quæ quod ſenſum non afficit aut movet, pro nihilo reputat, oriri aſſerit, quod mentis ideæ, quæ entia ſint realia, pro figmentis aut entibus rationis pluribus Scholaſticis habeantur. Ideas ipſas in ſenſationes, imaginationes & ſimplices intellectiones diſtinguit, easque a mente, non ſenſibus, ortum trahere aſſerit; illudque ſcholarum effatum: Nihil eſt in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu, falſum pronunciat. Ideas porro in claras & diſtinctas, ac

obſcuras & confuſas diſpeſcit, omneque quod per claram Ideam nobis repræſentatur, vel ut rem, vel ut modum rei, vel ut rem modificatam percipi; ſæpiſſime autem modum cum re a Philoſophis confundi enunciat. Res autem quæ clare & diſtincte intelliguntur, duorum tantum facit genera: vel ſpirituales, hoc eſt cogitantes; vel corporeas, hoc eſt extenſas. Arbitrarium eſſe exiſtimat numerum conſtituere claſſium aut generum, eorum quæ clare poſſunt percipi: unde nec in natura fundatum putat denarium Prædicamentorum numerum; & ab aliis ad ſeptem claſſes hoc diſticho

Mens, menſura, quies, motus, poſitura, figura,
Sunt cum materia cunctarum exordia rerum,

comprehenſas, cuncta quæ in Univerſo percipimus referri memorat. Ens ſimpliciter & Infinitum vere & proprie ut rem & ſubſtantiam intelligi; cætera vero ab eo diverſa analogice & per comparationem tantum res dici, tanquam repræſentationes, veſtigia & imitamenta ſubſtantiæ. Ad diſtinctiorem rei intellectum ſingula ejus attributa ſedulo eſſe perpendenda, ac in claſſes ſuas ordinatim diſtribuenda; atque hic cavendum, ne attributa poſitiva cum negativis confundantur: melius autem & clarius rem percipi per attributa poſitiva quam negativa; abſoluta quam relativa: probe etiam modos particulares a communibus, reales ab apparentibus diſcernendos. Plurimum conferre ad diſtinctam notitiam, ſi eadem res pluribus ideis, diverſisque conceptibus inadæquatis percipiatur. Ideas univerſales recte in quinque ſpecies ſeu prædicabilia diſtingui aſſerit: præcipuum autem vulgaris Dialecticæ præjudicium & impedimentum perhibet, quod ad res ipſas transferantur, quæ tantum in conceptu noſtro exiſtunt. Impugnat ſcalam prædicamentalem *Peripateticorum*, ſeu *arborem Porphyrianam*, pluribus ex cauſis, aliamque ſubſtituit, & ab objectionibus vindicat. Tradit deinde regulam, ut vocat, inconcuſſam, ex qua, quæ in rebus creatis ab invicem realiter diſtingantur, colligi poſſit. Ex quo porro improbat diſtinctiones, virtualem *Thomiſtarum*, & formalem *Scotiſtarum*, iisque difficultates circa myſterium SS. Trinitatis non tolli, ſed novis aliis implicatiores reddi, prolixe deducit; easque adeo nec de Deo enunciandas, neque negandas, ſed judicium noſtrum eousque ſuſpendendum eſſe concludit, donec evidentia vel revelatio acceſſerit: modum vero præbet, quo, præciſis his diſtinctionibus, validius

dius occurri possit infidelium argumentis, mysterium hoc oppugnantibus. Præcipua rei rite percipiendæ instrumenta judicat legitimam Definitionem & Divisionem, in quarum naturam diligenter inquirit. Definitionem Hominis per animal rationale, defectuosam & obscuram rei expressionem non unam ob causam pronunciat. Quicquid autem a mente Humana clare & distincte percipitur, ens determinatum & singulare esse, eaquepropter non res, sed tantum conceptus universales dici debere existimat.

Tertia pars regulas tradit recte judicandi. *Judicium* autem non tam ad intellectum quam ad voluntatem spectare affirmat: ita ut etiam assensus respectu primarum veritatum non minus voluntarius dicendus sit, quam consensus ad bonum. Quo loco *Malebranchium* reprehendit, cui intellectus facultas sit mere passiva. Qua autem ratione judicium ad intellectum & rursus ad voluntatem referri possit, ostendit. Proportionem porro seu relationem, quæ in judicio ex parte intellectus percipiatur, nil aliud dicere, nisi ipsa extrema realia, & conceptum comparativum; adeoque relationem formaliter consistere in conceptu, quo extrema mutuo comparantur. Judicium tam diu suspendendum docet, usque dum prævio examine evidentia in perceptione consurgat: unde ex sensuum testimonio & evidentia tantum determinari debeat respectus rerum in ordine ad nos, nil vero de absoluta rei natura judicari.

Quarta parte, omni *ratiocinio* necessario involvi notat proportionem æqualitatis aut inæqualitatis inter duas rerum proportiones; ex qua illico oriatur mentis judicium, quo duo extrema invicem connecti vel repugnare concluditur. Syllogismi Demonstrativi genesin ex clara & distincta. Topici ex obscura extremorum cum medio connexione derivat: hujus etiam exemplum, ex *Peripateticorum* principiis, pro sensu & cognitione brutorum; ex *Cartesii* vero adversus eadem profert. In Sophistico vero vel duplex occurrere medium, vel alterutrum extremorum non per se, sed per accidens, medio connecti monet; & fontes indicat primariorum sophismatum, ex quibus innumeri errores in scholis promanaverint; quorum tres præcipuos in altera Appendice fusius persequitur.

Ultima parte Methodum analyticam seu *inventionis* appellat, cujus ope latentem veritatem venamur, & ad rerum radicalia & primaria at-

ria attributa detegenda ducimur: *doctrinæ* vero, & *syntheticæ*, cujus beneficio inventam & detectam veritatem ordinato sermone aliis invicte suademus. Pro triplici inde veritate (philosoph ca quæ & metaphysicam & physicam complectitur, mathematica, & physicomathematica) invenienda triplicem regulam præscribit, quam lucnlento discursu exemplisque convenientibus illustrat. In specie ratiocinium physicomathematicum elegans exhibet, sibi olim ab amicissimo *Montanario* Patavii obiter indicatum, quo lumen non esse corpus contra Democriteæ philosophiæ placita, speciatim contra *Gassendum* & *Franciscum Mariam Grimaldum*, demonstratur, quod compendio huc redit: in aula spatiosa, nocte profunda, omnique lumine destituta, candela accendatur, observeturque tam intervallum, ex quo oculus sanus nullaque imbecillitate laborans, literas chartæ impressas incipiat distincte cognoscere, quam distantia oculi a candela: duplicetur deinde hæc distantia, retentoque eodem oculi & chartæ intervallo, quatuor candelis, omnino cum priori æqualibus, & prope, ita tamen ne flammulæ miscentur, collocatis, characteres, uti prius poterunt cognosci; triplicata distantia, idem effectus præstabitur novem candelis: atque sic porro, cæteris paribus, numeri candelarum semper erunt ut quadrata distantiarum oculi a candelis. Jam si lux corporea esset substantia, a corpore luminoso quaqua versum in sphæram effluens, oporteret eam expandi juxta leges corporum fluidorum, hoc est spatium occupare æquale suæ capacitati: adeoque cum corpora sint ut cubi radiorum suorum, candelarum numerus deberet esse ut cubus dictæ distantiæ, longeque major quam qui experimento capto obtinetur. Ad Methodi syntheticæ vim & solertiam rite percipiendam, Geometriæ methodum consulere jubet: utriusque autem (*analyticæ* & *syntheticæ*) usum in philosophicis rebus addiscere cupienti, commendat primæ suæ Philosophiæ quæstiones, de Dei, humanæ Mentis & Corporis natura; in quibus utraque via potiora fundamenta, quæ ad naturalem scientiam spectant, exposita esse pronunciat.

Circa *Methodum legendi* quæ observanda sint, uti fideliter dextreque monet; ita non ineruditum delectum recensumque Mathematicorum & Philosophorum instituit, qui tyronibus, ut viam regiam in studiorum suorum cursu teneant, non minori adjumento esse possunt, quam regulæ, quas in delectu & lectione autorum observandas esse salutariter

taritet monet. Præclarum tamen hoc loco de Actis noſtris judicium, prolixiori ejus erga nos affectui, tenuitatis noſtræ probe conſcii, rectius tribuimus, quam ut laborem noſtrum qualemcunque cum aliorum Virorum doctiſſimorum hujus ævi ſcriptis æquiparari (nedum anteferri iis) poſſe opinemur.

Subjungitur Libro gemina *Appendix:* quarum *prima* quæſtiones aliquæ in vulgari Logica, circa Logicæ naturam & neceſſitatem &c. agitata, reſolvuntur. *Secunda* vero triplex ſophiſma ſcholarum detegit & expendit, quorum primum eſt, quando ab idea ſenſibili ad rem concluditur; quo loco nec ex Dei ſumma veracitate infallibilitatem evidentiæ ſenſuũ colligi, nec Scripturarum teſtimonia, negata illa, labefactari oſtendit; *Carteſianam* vero de corporum exiſtentia demonſtrationem, nullius roboris eſſe judicat: reliqua duo, quando vel ab idea obſcura ad rem, vel a nihilo apparenter quoad ſenſum & phantaſiam, ad nihilum abſolute argumentatio inſtituitur. A triplici autem hoc ſophiſmate ſingulas fere opiniones vulgaris & Scholaſticæ philoſophiæ originem traxiſſe, ſinguloruмque uſus aut verius abuſus in ſcholis oſtenditur.

NOVA LITERARIA ex Italia.

P. *Philippus Bonanni e Soc. Jeſu*, autor libri de Teſtaceis in Actis Eruditorum A. 1686 pag. 108 memorati, Opus compoſuit de uſu Microſcopiorum. Dum vero figuræ ad illud ſpectantes in æs inciduntur, Hiſtoriam ſuam de Inſectis, figuris itidem haud paucis illuſtratam, prælo ſubjecit, qua philoſophice argumentum hoc tractat, multaque proditurus dicitur, quæ Aldrovando, Jonſtono, Liſtero, Svvammerdammo aliisque ignorata fuere. Opus vero Bonannianum de Teſtaceis *Franciſcus Deſeine*, cui Bibliothecam Sluſianam in Actis anni ſuperioris pag. 23 laudatam debemus, Gallice vertit. Unde nova illius libri editio, elegantiſſimis nec Bonanno viſis teſtaceis ex Theſauro Regio adaugenda, Lutetiæ Pariſiorum cum tempore proditura eſt. *Joannes Ciampinus* ſæpe nobis laudatus, Vetera ſua Monimenta de Operibus Muſivis ſtrenue Romæ proſequitur: quod opus quinque aut ſex volumina in folio, ut loquuntur, continebit, & quicquid Muſivorum id genus monimentorum, quorũ quidem haud exigua ex Græcia, nec non Conſtantinopoli & Hieroſolymis, copia ad eum jam eſt

delata, toto orbe superest, complectetur. Ejusdē Dissertatio de duobus Philippis Imperatoribus, num Christiani fuerint, propediem in lucem est proditura. Dn. *Tolomei* Primarius Legum in Collegio Sapientiæ Lector, typis commisit Nova Instituta Criminalia, figuris æneis, quibus omnia supplicium genera, quæ unquam in Judiciis juridicis usu recepta fuere, describentur, exornanda. Prælo quoque proxime subjicietur liber hoc titulo: *Museo di Fisica, e di Esperienze illustrato di Piante nuove e rare di Figure, Osservationi, Note Medicinali, e raggionamenti, secondo; principii de' Neoterici, disposto in decade 8. con due Dissertationi nel fine intorno alla generatione de' Funghi con figure, e la Produttione delle Zoophite e delle Piante marine con figure: di* Don Paolo Boccone *Gentilhuomo Siciliano, al presente* Don Silvio *Monaco dell' Ordine Cistercionse della congregatione d' Italia.* Illustrabitur hoc Opus 120 tabulis æneis, quibus cælo insculptæ exhibebuntur circitæ 250 Plantæ novæ & rariæ, a nemine hactenus delineatæ. Continebit præterea 40 Observationes, easque cunctas super materiis novis ac utilibus, secundum principia Scholæ modernæ explicatis. Circa finem accedent duæ Dissertationes de Generatione Fungorum cum figuris, nec non de productione Zoophytorum. Perspectivæ Practicæ *P. Andreæ del Pozzo Soc. Jes.* (qui author est Lacunaris ficta concameratione oculos fallentis aliarumque picturarum scenographicarum, quæ exstant in æde S. Ignatii & aliis Jesuitarum templis) impressio Romæ ad finem pene perducta est in fol. idiomate Latino ac Italico apud Joh. Komareck typographum Bohemum. Ingentem continet hic liber numerum figurarum æri insculptarum. Sunt autem qui censent, non esse fere, nisi exscriptum exemplar Perspectivæ Practicæ Fr. de Breuil de Soc. Jes. Parisiis A. 1647 in 4 tribus voluminibus impressæ. Id tamen, quod in libro hoc singularem mereri considerationem poterit, erunt complura venustiora technasmata practica, pro depingendis fornicibus, talique specie lacunaribus planis concilianda, ut concamerata appareant instar concavi interius basilicarum tecti: qua quidem in re hicce P. del Pozzo multum excellit; prout elegantissima opera per ipsum confecta testantur. Ex typographia S. Congregationis de Propaganda Fide propediem proditurus est *Emanuelis a Schelstrate*, Bibliothecæ Vaticanæ præfecti, Antiquitatis Ecclesiæ Dissertationibus, Monimentis ac Notis illustratæ Tomus I, opus Chronologicum a Cæsaris Imperio usque ad Justiniani obitum, continens: quem deinceps

ceps magni hujus operis tomi plures sequentur. *Diarium Eruditorum Ferrariense* finem invenit, cum vix una ejus alterave sectio lucem adspexisset. Nec est, ut *Parmensis Diarii* ulteriorem nobis continuationem polliceamur, postquam alteri ejus Autori *P. Benedicto Baccino* per adversariorum vim Parma Mantuam discedendi imposita fuit necessitas; alter vero *P. Gaudentius Robertus* antiquioribus potius scriptoribus recudendis, quam novis recensendis operam suam impendere constituerit. Denique, quod primo memorandum loco fuerat, Neapoli absolutum pene est opus Genealogicum tria in fol. volumina complexum, multisque exornatum figuris æneis, quod illustrissimæ *Carafarum* gentis Genealogiam describit, & Illustrissimi atque Excellentissimi Principis *de Butera*, cujus non semel honorifica, ut par erat, facta a nobis fuit mentio, sumptibus editum dicitur. Idem Celsissimus Princeps, ex officina sua typographica, quam Mazzarini in Sicilia adornavit, non ita pridem Hispanici idiomatis librum edidit hoc titulo: *Ocios Morales y Descripciones Simbolicas di Don Felix Lucio Espinosa*; quod opus autore suo dignissimum prædicatur, tametsi id felicitatis ei non contigit, ut illud in lucem editum ipse videret, maturius nempe mundi hujus luce privatus. Nunc vero Doctissimus Princeps occupatur remittendis sub prælum unoque solum volumine edendis duobus suis operibus, nimirum *L' Instruttione a Principi*, & *L' Ambasciatore Politico Cristiano*. Posteriori vero huic junget Additamentum de statu præsenti cunctarum Europæ Aularum, i. e. de cujuslibet Regni origine, ambitu ac situ; de origine Familiæ Principis nunc regentis, ejusdemq; Principis ac ejus cognatorū qualitatibus personalibus, de potentia item ac reditibus, de Confoederatis, de forma regiminis, de Ministris Aulæ & eorum ingenio: quibus tandem accedet Catalogus omnium ejus Aulæ Titularorum atque Magnatum.

LIBRI NOVI.

Henrici Whartoni Anglia Sacra, sive Collectio Historiarum partim antiquitus, partim recenter scriptarum, de Archiepiscopis & Episcopis Angliæ. Pars I. Londini, 1691. fol.

Cabala, sive Scrinia Sacra. Mysteries of State and Government, in Letters of Great Ministers of State, in the Reigns of King Henry VIII, Queen Elisabeth, King James and King Charles. London, 1691. fol.

Joannis Dominici Rainoldi Observationes Criminales, Civiles & Mixtæ. Romæ, 1691. fol. voll. 3.

L'

Le Grand Dictionaire Historique par Mr. Louys Morery. Sixieme edition, avec un Supplement par Mr. Jean Le Clerc. A Utrecht. 1692 fol.

Lettura sopra la Concione di Marfisa a Carlo Magno, contenuta nel Furioso al Canto 38, fatta da Gregorio Calopreſe. In Napoli, 1691 in 4.

Historia Ecclesiastica Seculi XVII, authore Joh. Wolfgango Jagero. Decennium I. Tubingæ, 1692, in 4.

Gottfridi Kirchii Anni XII Ephemeridum Motuum Cœlestium. Ad Annos 1688 82, 83, 84, 85, 86, 87, 88, 89, 90, 91, & 92, cum ortu & occasu diurno Planetarum, aut & eorum Occultationibus. Quibus accedunt Observationes nonnullæ Astronomicæ, Cum figuris æneis. Amstelod. apud Jacobum Vande Velde Bibliopolam in platea vulgo De Zee-dyk, & Lipsiæ apud Authorem.

Hermanni VVitsii Miscellaneorum Sacrorum Libri IV. Trajecti ad Rhen. 1692. fol.

Samuelis Basnagii De Rebus Sacris & Ecclesiasticis, Exercitationes Historico-Criticæ, in quibus Cardinalis Baronii Annales ab A. C. 35, in quo Caussabonus desit, expenduntur. Ultrajecti 1692. in 4.

Arnoldi Geulincx Annotata Majora in Principia Philosophiæ Renati Des-Cartes. Dordraci 1691. in 4.

Petri Gassendi Methaphysica Disquisitio Anti-Cartesiana. Editio tertia. Cui accedit Gerhardi de Vries de R. Cartesii Meditationibus a P. Gassendo impugnatis Dissertatiuncula Historico-Philosophica. Ultrajecti, 1691. in 8.

Tractatus de vera Christi Deitate, adversus Arii & Socini Hæreses; authore Daniele VVhitby. Oxoniæ, 1691. in 4.

De Presbyteratu Dissertatio Quadripartita, Authore Samuele Hill. Lond. 1691. in 8.

A Defense of Diocesan Episcopacy, in Answer to a Book of Mr. David Clarkson entituled Primitive Episcopacy: *by Henry Maurice. London 1691. in 8.*

Antonii Nuck Adenographia curiosa & Uteri feminei Anatome nova. Lugd. Bat. 1692. in 8.

Joannis Antiocheni cognomento Malalæ Historia Chronica. Oxonii, 1691. in 8.

The VVisdom of God manifested in the VVorks of the creation, by John Ray. London 1691. in 8.

De Satan in sijn VVesen, Aert, Bedryf en Guyckel-spel, nebens afweering van 't geene daer tegens ingebracht werd. Door Simon de Vries. Tot Utrecht 1692. in 8.

Relation du Voyage d' Espagne. A la Haye. 1692. in 12.

Nouveau Voyage d' Italie, fait en l' année 1688: avec une Memoire contenant des avis pour ceux qui voudront faire le mesme voyage. A la Haye 1691, in 12.

L' Histoire d' Alexandre Farneze, Duc de Parme & de Plaisanze, Gouverneur de la Belgique. A Amsterdam 1692. in 12.

Histoire de Mr. Constance Premier Ministre du Roy de Siam, & de la derniere revolution de cet Etat. Par le P. d' Orleans. A Paris 1692. in 12.

Lettres choisies de feu Mr. Guy Patin, augmentées de plus de 300 Lettres. A Cologne 1691. in 12.

La Condamnation de Babilone, ou Réponse au livre de Mr. L' Evêque de Meaux sur l' Apocalypse. A la Haye 1691. in 12.

Histoire abregée de la Naissance & du Progrez du Kouakerisme, avec celle de ses dogmes. A Cologne 1692. in 8.

Traité de la Parole, Langues & Ecritures, contenant la Steganographie impenetrable &c. A Bruxelles 1691. in 12

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Februarii, Anno M DC XCII.

AVIS IMPORTANT AUX REFUGIEZ SUR leur prochain retour en France. &c.

i. e.

Admonitio gravis ad Exules de propinquo illorum reditu in Galliam, auctore C. L. A. A. P. D. P.

Amstelodami 1690. in 12. plag. 19.

QUantas editio libelli hujus in Belgio rixas inter viros doctos excitaverit, ex scriptis bene multis, quorum compendium deinceps trademus, satis constat. Itaque etsi libelli Germanis parum æqui recensu plane supersedere constituerāmus, nonnihil tamen de eo vel nunc tandem dicendum nobis visum fuit, postquam fama de eo longe lateque percrebuit. De autore & materia præfatio consulenda est. In hac Admonitio hæc scripta esse perhibetur ab Advocato quodam Parisiensi, non in forensi solum scientia, sed & in controversiis sacris exercitato, qui tamen laudatur, quod non obstante diversitate religionis amicitiam cum Editore libri Reformato coluerit; dein, quod violentum illum convertendi modum (*la Dragonnerie*) non probaverit, pudere sane se illius excessus nomine Ecclesiæ & nationis Gallicæ aperte professus. Reprehenditur vero idem, quod in libello hoc totum Protestantium cœtum, sine omni æquitate & moderatione, acerbissime exagitaverit, & asperrima convitia in præcipuos Protestantium scriptores sparserit, ideo tantum, quod de sævitia in se & Ecclesiam Reformatam exercita paulo liberius conqueri sint ausi. Nec minus protervia ejus culpatur, qua in vituperanda heroica Angliæ liberatione usus est, minime parcens Serenissimo Regi *Gvilielmo*, nec proceribus Britannis. Addit P. 53.

dit ſcriptor præloquii, ſe atrociſſima quæque ex miſſo ad ſe MSto expunxiſſe, quorum tamen in refutatione, quam parari a ſe dicit, obliturus non ſit. Hortatur interim alios, ut criminationes de ſcriptis Reformatorum ſatyricis & ſeditioſis refellant: ea enim non ſolum ab autore *Admonitionis* vehementiſſime perſtringi, ſed & Lutetiæ ad incitandum adverſus exules populum odioſiſſime traduci. Compertum tamen ſibi eſſe teſtatur, libellos, quibus maxime offenſi ſint Galli, a Pontificiis ante exilium Reformatorum compoſitos fuiſſe, & *Novellas* mordaciſſimas in Belgio non ſcribi ab exulibus Gallis. Adjicit elogia Regis Britannici & magnæ illius expeditionis, quam divinis auſpiciis attribui debere non dubitat.

Libellus ipſe incipit a glorioſa commemoratione ſucceſſuum Gallicorum anni 1689, nec minores ſequenti ominatus eſt Autor, ſalſe ridens exules, omnesque, qui ruinam Galliæ ab expeditionibus Fœderatorum ſperaverint, & vanis prophetiis fidem habuerint. Lætari vero ſe dicit de fama, quæ ſpargatur, quod Rex exules in regnum conditionibus honeſtis & æquis revocaturus ſit. In id omnes regni Ordines putat cor ſenſuros eſſe, quia Spiritui ſancto non placuerit, ut cum Eccleſia Catholica reconciliarentur. Humaniſſimam eorum receptionem a plurimis Catholicorum pollicetur; ſed prius ſpeciem quandam luſtrationis, qualis venientibus ex locis lue infectis injungi ſolet, ab iis ſubeundam eſſe monet, & ſic duo illa accuſationis capita ſupra indicata prolixe tractat. Exulibus nempe, aut potius Reformatis omnibus exprobrat primo libellos *ſatyricos*, deinde *ſeditioſos*; eos ſcilicet, in quibus populo jus ſuperius in Reges & olim quidam ſcriptores, v. g. *Knoxus*, *Buchananus*, & qui ſub *Junii Bruti* nomine latere voluit, tum *Paræus*, & hodie omnes aſſertum iverint, qui Anglorum in Jacobum Regem, quam vocat, rebellionem defendant. Hinc etiam argumenta ſumit, quod religio ipſa Proteſtantium minime recta & pia ſit. His invectivis maximam tractatus partem occupavit Autor, ob miram profecto argutiam, elegantiam & allegatorum varietatem inter ſcriptores minime vulgares referendus. Poſt illa ſpeciatim, nec minus operoſe, *Valdenſium* armatum in valles Alpinas reditum perſequitur, negatque ullo modo a perduellionis crimine & ſupplicio abſolvi eos poſſe. Scripta ſunt iſta, antequam ipſe Sabaudiæ Dux exules illos in gratiam receptos contra Gallos militatum mi-

a p. 6. usque 232. p. 233. ad 295.

misisset. Mukus vero in eo est Autor, ut ostendat, Christianis contra persecutiones nullum nisi in patientia & fuga remedium concedi, & ad objectiones respondet. Succedit conclusio sive applicatio dictorum, in qua præcedentia exaggerat, & serio hortatur exules, si favent. p. 290. tibus civibus suis recipi se velint, ut priorum seculorum Christianos in patiendis persecutionibus sequantur, non vero majores suos, qui patriam eruentis seditionibus pene in exitium præcipitaverint. Spem deinde omnem de progressu consiliorum & expeditionum adversus Galliæ Regem præcidit, multoque cum contemtu Fœderatorum, gesta Regis anno 1689 extollit, hostium extenuat, & vanam Novellarum Batavarum jactantiam satyrico defricat sale. Inter ista, Pontificis *Innocentii XI.* acta acriter insectatur, quod Helvetios adversus Gallos, frustra quidem, incitare conatus sit. Supra etiam rancorem animi & consiliorum perversitatem ei objecerat, quod cum bellum sopire potuisset, oleum igni infuderit. Subjungit porro, per quæ demonstrari posse existimat, quod Galliæ Rex ad bellum anno 1688 suscipiendum coactus fuerit, & imparatus ad id accesserit, cum hostes ejus diu antea omnia adversus eum providissent. Contentum scribit Regem fuisse obtentis per conventiones de pace & inducis, & occasione opprimendæ Domus Austriacæ omissa, & externarum rerum cura deposita, interioribus regni sui negotiis in extinctione hæreseos incubuisse. Vix etiam credidisse suorum relationibus, quod bellum sibi tanto cum molimine, & excitata adversus se tota Germania, accitisque in fœdus aut commilitium plerisque Regibus & Principibus, instaret; nocuisse etiam Jacobi M. Britanniæ Regis in acceptandis auxiliis Gallicis cunctationem. Pro certo autem habet, satis patuisse, Anglos ausuros non fuisse, quæ ausi sint, nisi prius Imperator Gallos aggressurum se esse recepisset. Itaque coactum fuisse Regem, ut armis subito & veluti per tumultum arreptis, anno 1688 claustra Rheno imponeret, & transitum Germanorum in Alsatiam & Lotharingiam præveniret. Hac specie invasio Philippoburgi & vastatio civitatum & provinciarum in illo tractu defenditur, & Germani irridentur, quod præparati (ut Autor putat) ad bellum nihil magni gesserint; Regis vero fortuna & gloria admiratione digna esse prædicatur, quod dum paci studet, bello petitus semper victor & superior fuerit. Recenset deinde Autor, nec parum indignatur, quod non solum p. 275. & seqq. p. 329. ad p. 357. p. 329.

Reges & Principes Proteſtantes omnes, ſed & Catholici in Germania, & Rex Hiſpaniarum, ipſe denique Pontifex *Cruciatam* (la
p. 336. Croiſade) ut loquitur, Proteſtantium, ſive bellum ſacrum junctis viribus & conſiliis promoverint, & Regem Catholicum Anglia depulerint. Merito itaque mortem Pontificis anno 1689 a Proteſtantibus deploratam fuiſſe dicit, quod eum ob conſiliorum conſpirationem ſumme fuiſſent venerati; plus tamen hac hæreticorum laude dedecoris acceſſiſſe memoriæ illius judicat, quam prædeceſſoribus ejus per ſatyras Proteſtantium detractum fuerit. Regi itaque ſuo gloriam tribuit, quod ſolus ſuſtineat cauſam Eccleſiæ Catholicæ, eique impia adulatione applicat dictum Eſa. LXIII. *Torcular*
p. 339. *calcavi ſolus*, additque alia plus quam panegyrica. Proteſtantibus e contrario (artificio quidem non ita pridem in Comitiis Imperii ten-
p. 346. tato, ſed exploſo) affingit, quod oppreſſionem Catholicorum meditentur, & ſpeciatim Epiſcopatuum quorundam ad profanum uſum transferendorum denuo cupiditate flagrent. Quos inde in Imperatorem & Angliæ Regem aculeos vibret, referre piget. Mire vero exaggerat Regis Galliæ prudentiam & felicitatem, quod ſolis regni ſui, nullis (ut ſcribere non veretur) acceſſionibus aucti viribus, & deſertus aut impugnatus ab omnibus, par ſit tamen tot hoſtibus, & decies plura præſtet, quam anteceſſores fecerint, fœdere licet exterorum ſubnixi. Longe majora vero Regi promittit, merenti ſcilicet, quia bel-
251. lum pro religione gerat: hoc enim Autor omnibus perſuadere cupit, idque ex hæreticorum actis & ſcriptis conſtare ait. Societatem Turcicam vel negat vel defendit, & ſecundum Proteſtantium principia, qui nolint concedere, quod de religione nunc quæratur, pro licita habet. Quoad victorias ab Imperatore noſtro a Turcis reportatas, mirum in modum ſeſe vertit, & extricare nititur. Inſultat primo iis,
p. 358. qui *Drabitii* vaticiniis crediderunt, cladem Cæſari a Turcis prædicentis; poſtea Regem Galliæ pro pietate ſua lætari de ſucceſſibus Cæſareis contra infideles aſſeverat, quanquam incredibile id Proteſtantibus viſum iri non diſſimulet. Commoda etiam ex arcanis Politicæ Gallicæ aperit. Fore enim ait, ut proſtratis Turcorum rebus, Imperium Orientis a Pontificibus Auſtriacæ Genti tribuatur, & ſic Occidentale ad Galliæ Regem, legitimum ſcilicet Caroli M. deſcendentem & hæredem redeat. In gloriæ tamen extinguendi Ottomannici

domi-

dominatus partem etiam Gallos venturos esse sperat, quod veteres prædictiones celebrentur, Turcos non nisi per Francos destrui posse. Denique missis incertis aut vanis, præsentem etiam utilitatem ex progressibus Cæsaris contra Turcos Galliæ procurari ostendit. Ita enim ratiocinatur: Si Turci in Pannonia feliciter egissent, omnes Principes, Italos præsertim, non trepide & cum restrictionibus, sed aperte & totis viribus Imperatori accessuros fuisse; jam vero fore, ut a victoriis Cæsareis sibi metuentes, multum remissuri sint ex studio illum juvandi, & ad pacem cum Gallis inclinaturi, quæ facilior futura sit, quia regiones inter Rhenum & Mosellam Gallis relinqui, & illis, qui ditiones suas ibi amiserint, æquivalentes in Thracia tribui possint. Ex re enim omnium Germaniæ & Septentrionalium Principum futurum tunc esse, ut Gallorum potentia valde augeatur, ut auctis itidem in immensum accessu Turcicarum provinciarum opibus Austriacis æquilibrium potentiæ esset, nec cogitationes de universali Monarchia Austriaca resuscitentur. Addit quædam, quibus bonam spem facere videtur, fore, ut ex Fœderatis haut pauci ad Regis partes sint transituri, quia eum ament & beneficiis ab illo affecti sint. Circa 365.
res Indicas & mutationem in regno *Siam* ita se expedit, ut parum ibid. & sq.
decessisse Regi suo existimet, gestaque ejus in illis regionibus magnifice deprædicet, multoque magis Jesuitarum felicitatem, qui ab Imperatore Sinensi non multo minus amentur, quam in Germania a Leopoldo Augusto. Ex his artem rhetoricandi, qua valet Autor, haud difficulter deprehendent emunctæ naris Lectores. Finit blanda exulum ad reditum invitatione. Controversias Reformatorum proximis quatuor aut quinque annis infirmatas esse jactat: examen enim sive judicium singulorum de rebus fidei jam etiam a fœminis Catholicis refutari; querelam de prohibitione lectionis sacræ sublatam esse, concesso jam omnibus N. T. usu, & hujus divinitatem melius a Catholicis, quam a quibusdam ex Reformatis, quorum aliquis Canonem Scripturæ denuo in dubium vocaverit, defendi. Meldensis Episcopi scriptis calumniam de Antichristo penitus destructam esse. Itaque cum demonstratum sit, Papam non esse Antichristum, causam schismatis plane intercidere; vaticiniis quoque & miraculis fictis non amplius fidem in Gallia haberi, sed impostores puniri. Objicit postea errorem pessimum, quo rebellionem adversus Reges, subditis in

religione dissentientibus permitti a Reformatis queritur, laudatq; Catholicos, qui contrarium, etiam cum Henricus IV. Galliæ Rex reformatam religionem profiteretur, statuerint, & respondet ad argumentum, quod a *Liga*, quam vocant, Catholica objici solet. In Anglorum novissima acta, quæ ab omnibus Protestantibus publice approbari dicit, vehementissime in epilogo iterum invehitur; concedit tandem, ut libellus hic, sed omisso autoris nomine, typis evulgetur.

EXAMEN D' UN LIBELLE CONTRE LA Religion, contre l' Etat & contre la revolution, d' Angleterre, intitulé: Avis important aux Refugiez, sur leur prochain retour en France.

i. - e.

Examen libelli adversus Religionem, Rempublicam & mutationem in Anglia editi, sub titulo: Admonitio gravis ad exules de instanti illorum reditu in Galliam.

Hagæ Comitum apud Abrahamum Troyel 1691. in 12. plag. 18.

EXaminis hujus autorem in libellis postea editis, de quibus alibi dicendi locus erit, professus se est *D. Petrus Jurius*. Præfatio satis prolixa recentior est aliquot mensibus Tractatu ipso. In ea pluribus indiciis & argumentis confirmandum suscepit Autor, quod in Tractatu ex conjecturis asserere cœperat, *Admonitionem*, quam examinandam sumit, scriptam non esse Lutetiæ aut a Romano-Catholico, sed a Gallo Reformato, qui nunc in Batavia domicilium habeat. Eundem tamen Galliæ Regi ita esse addictum, ut eum veluti Numinis loco colat, averssissimo autem a Guilielmo Angliæ Rege animo sit. Addit alios characteres non paucos, quibus conjecturam, ab ingenio nempe, eruditione & stylo scriptoris it stabilitum; eidem tamen tribuens judicii infirmitatem & profanam in causa religionis mentem. Compertum sibi esse testatur institutum Autoris & aliorum, cum quibus ille factionem quandam inierit, longo terrarum spatio a meridie in septentrionem diffusam. Conspirare enim quosdam Genevæ, instigatos a Gallico Ablegato in urbe illa

illa non aliam ob cauſam verſante, cum exulibus Gallis in Belgio, & hos ſpe reditus in patriam, ſermonibus & libellis id agere, ut potentiam Gallicam pro invincibili venditent, contrariæ partis vires extenuent, ſucceſſus contemnant, & ex his aliisque prætextibus ſuadeant, pacem cum Gallis ſine mora ineundam eſſe, ut ſcilicet illi omnia retineant, quæ aliis Europæ Principibus eripuerunt. Talia libellis in Gallia ſparſis jam ab aliquo tempore proponi & jactari, ſed majorem ſucceſſum ab iis ſperari, qui alibi diſſeminentur, in Belgio maxime, ubi ſcribendi & evulgandi libros magna libertas ſit & facilitas. Inter artificia hominum iſtorum primum fere eſſe, ut diſſidia inter Catholicos & Proteſtantes, qui fœdus adverſus Gallos pacti ſunt, & communibus viribus bellum gerunt, excitentur, & Catholicis inſinuetur, Proteſtantibus propoſitam eſſe oppreſſionem Eccleſiæ Romanæ. Deinde ut Theologos Proteſtantium, Gallos potiſſimum & Anglos, peſſime affectos eſſe criminentur in omnes Reges & Principes, illorumque non ſolum axiomati, ſed ſanguini & vitæ infeſtos, unde & populos ad rebellionem concitent. His calumniis, ait, Proteſtantes Catholicis ſumme odioſos ſuſpectosque faciunt; illos vero terrere conantur magnifica deprædicatione potentiæ & felicitatis Gallicæ. Utrumque diligenter tentatum eſſe ab autore *Admonitionis*; poſterius autem, addita ad pacem exhortatione, a *Genevenſi* quodam ſibi probe noto, qui licet non ſit literatus, peritiam tamen aliquam rerum habeat. Ab hoc compoſitum eſſe libellum, cujus titulum refert: *Entretiens ſur les moyens de faire la paix*, i. e. Dialogi de remediis modisque ad ineundam pacem. Hujus tractatus contenta in præfatione luculenter exponit Jurius, ex qua conditiones pacis a Genevenſi excogitatas breviter recenſebimus. *Argentoratum* & *Philippoburgum*, dejectis tamen munimentis, Electori Palatino aſſignat. *Lotharingiam* Gallis relinqui vult, hæredibus tamen Ducis in Mœſia ſive Servia aliam provinciam aſſignat, ad cujus acquiſitionem Rex Galliæ ſex millia militum mittere & ſuo ære alere teneatur. Electori Brandenburgico partem quandam Juliacenſis ditionis tribuit. Hiſpanis, præter quædam in finibus Cataloniæ, nihil reſtituendum, imo & quæ in Belgio, majori videlicet, ut ait, impendio quam emolumento habent, adimenda eſſe cenſet. Gallis ante omnia Luzemburgicum Ducatum, Burgundiæ Comitatum, & quicquid in Flandria occuparunt, perpe-

perpetuo jure tradenda; adjiciendam etiam esse civitatem Montensem (eam enim tempore editorum dialogorum nondum subegerant.) Batavis cedi debere arbitratur omnibus commerciis in India, aliisque pactis negotiationi illorum prospiciendum: disjici etiam debere munimenta quædam illis suspecta in limite Flandrico. Guilielmum Regem pro legitimo agnosci vult, nec reddendum tamen ei Arausionensem Principatum, sed compensationis loco in finibus Allobrogum, vel etiam in tractu Clivensi aliquid dandum, quod Comitatui Mœrsensi adjunctum *Ducatus Nassovii* titulo cohonestetur. Jacobo Regi Hierosolymitanum regnum procurandum esse suadet. Avenionensem ditionem Galliæ Regi attribuit, ita ut Sabaudiæ Duci *Pignerolium* in Subalpinis & *Casalium* in Insubribus tradat, eo quidem cum onere, ut Pontifici, ob ablatam Avenionem, singulis annis quinquaginta aureorum millia dependat. Hæc prima Genevensis illius commenta esse dicuntur, quæ per Ablegatum, a cujus consilio scriptor ille dependisse perhibetur, ad Regem Galliæ missa & in arce *Versaliarum*, administra *Maintenonia*, correcta & mutata fuerint. Alio itaque dialogo pro *Argentorato*, quod Rex dimissurus non sit, Electori Palatino *Landavia* Alsatiæ oppidum, tum Episcopatus Wormatiensis & Spirensis, nec non *Hailbrunna* urbs Sueviæ Imperialis offeruntur: præterea ex tota Europa octo milliones contribui jubentur ad resarcienda damna, per incendia aliasque vastationes & rapinas inflicta. Helvetiis *Friburgum* Brisgoviæ & *Huningæ* (destructis utrobique prius munimentis) tum oppida Austriacæ ditionis, quæ *Sylvestria* vocantur, & quicquid in Brisgovia & Sundgovia Austriaci juris est, tradi vult. *Trevirensi* Electori omnia restituenda esse censentur; *Bavariæ* vero Electori a Palatino cedendum esse Ducatu Neoburgico. *Tæckelio*, ne amicitiæ Gallicæ illum pœniteat, Moldaviæ & Vallachiæ Principatum tribuit. *Lotharingiæ* confert, quicquid Hispaniæ Rex, præter illa, quæ Galli retenturi sunt, in Belgio possidet. Ut vero pax hæc inviolata maneat, cautionis & evictionis officium Helvetiis defertur, ita nempe, ut acceptis a reliquis Europæ Potentatibus sexcentis aureorum millibus annuis, exercitum quadraginta millium in parato habeant, eumque intra horas viginti quatuor in violatorem pacis educant. Hæc omnia ex dialogis, quos integros vidisse se dicit, enarrat Jurius. Ex septimo vero relatum sibi esse memorat,

morat, exules Gallos in regnum revocandos esse ea cum libertate religionis, qualem Pontificii in Belgio Fœderato habeant, addita prohibitione, ne contra religionem dominantem sive Romanam scribant. Contra Turcos Gallorum societas cum cæteris Reipublicæ Christianæ capitibus offertur, donec *Electori Bavaro* Imperium Constantinopolitanum, *Jacobo* Regi Hierosolyma & Syria, *Lotharingis* Servia & Bulgaria, constituta his regia *Belgrado* sive Alba Julia, acquiratur. Inter hæc quædam delira fere hominis Genevensis consilia in medio relicta esse ab aula Gallica, notat *Jurius*, ut totus ille tractatus privato consilio editus esse videretur; quamvis ex literis mense Januario A. 1691. datis sibi constare asseveret, examinata omnia *Versaliis* & *Genevam* remissa, inde vero cum eo, quem pro autore *Admonitionis* habet, communicata fuisse, & huic mandatum, ut editionem in Belgio procuraret; interveniisse autem rixas inter illum & typographum, aliaque, quibus res emanaverit, confirmata de autoribus suspicione, quam illi incautis sermonibus, quibus in eundem fere sensum res Gallicas commendare, pacisque necessitatem ostendere soliti fuerint, jam ab aliquo tempore incurrerint. Devotum vero Gallis animum & in Fœderatos iniquissimum longe magis detectum esse asserit in *Admonitione*, cujus examen suscipit, eamque indubitanter Gallo exuli tribuit, quem ita designavit describsitque *Jurius*, ut nemini in locis illis ignotum esse potuerit, quem intelligat. Tam callidum vero fuisse contendit, ut duplicem personam sumserit, in præfatione quidem Reformati, in Admonitione ipsa Catholici, & quidem acerrimi. Accessisse & aliam fraudem, ut *Admonitio* prius Lutetiæ typis excusa fuisse diceretur, ostensis aliquot paginis libelli, & confictis literis atque in Relationes Literarias insertis, quibus novam editionem *Admonitionis* Lutetiæ parari, & Autorem cum Archiepiscopo reconciliatum esse narraretur, quem priori editione ob quædam liberius dicta offendisset: rumores denique disseminatos, quibus plurimi pro autoribus Admonitionis diffamati fuerint, *Pelissonius* puta, *Versæus*, *Laroquius*, *Brueysius*. Hæc omnia subdole fingi statuit *Jurius*, & privilegium Regis, quod pagellæ editionis Gallicæ in Belgio ostensæ præ se ferunt, falsi accusat.

Jam ad *Examen* ipsum accedimus. In hoc impense iterum laudat *Jurius* Scriptorem a styli excellentia, nec minus vituperat ob

malitiam singularem, & quod Catholicum se simulet, cum ex forma dictionis, ut scribit, Hugonoticæ, & allegationibus Biblicis aliisque indiciis satis appareat, *Reformatum* esse & in Belgio vivere. Rejicit itaque quicquid de *Pelissonio*, celebri Parisiis viro, & de *Bastidio*, Reformatæ religioni addicto & nunc in Anglia versante jactari ait, ac si ille *Admonitionis*, hic *Præloquii* Autor esset. Refutationem argumentorum, & præcipue duorum illorum capitalium, de libellis famosis pariter & seditiosis, qui Theologis Gallis & Anglis ab *Admonitore* imputantur, scripturum se nunc minime esse protestatur, sed tantum paucis indicare velle, quæ responderi possint. Negat primo pro famosis libellis habenda esse scripta, quibus lamentationes *Reformatorum* de vi sibi illata proponantur; minime omnium tractatum laudatissimum de *Politica Cleri Gallicani*, nec magis *Literas de tempore*, aut *Querelas Protestantium*, quorum autor fuerit vir magnus *Johannes Claudius*. Pro injuriosis & vetitis quoque diffamari non posse responsiones adversus contumeliosissima Pontificiorum scripta, nec ea, quibus concordiam inter Fœderatos suadeant, aut quibus Gallos ad vindicandam libertatem a Rege per nefas ademtam hortentur; hæc enim, ut alia strategemata, belli tempore licita esse. Veteris Ecclesiæ exempla allegat, in qua persecutoribus responsum sit. Pontificios e contrario accusat, quod innumeris pene libellis Protestantes, ab initio statim Reformationis, prosciderint, idque adhuc continuent. In altero capite, quo seditiosi adversus Reges animi scriptores *Reformati* insimulantur, caute versandum esse ei monet, qui in materia hac subtili & periculosa apologiam elaboraturus sit. Duo tamen inprimis tenenda esse suggerit, primo, *nullam potestatem* (abolita Theocratia Judaica) *inter homines immediate a Deo constitutam esse*, licet orthodoxi etiam Theologi certo respectu tale aliquid asseruerint; deinde, *omnem potestatem humanam, civilem & ecclesiasticam, quantacunque ea sit, limites habere, ultra quos extendi non debeat, nec subditorum patientia tentari*. His positis non improbat, quæ contra Reges Galliæ & Hispaniæ, cum terminos illos excessissent, a populis gesta sunt. Ab *Admonitore*, utut pro Principum jure nitatur, destrui duo illa principia non posse, nec negari, quod libertas hominibus innata, & constitutio imperiosum atque divisio bonorum ex sola necessitate, non vero ex natura homi-

hominum ortum habeat, ſecundum hanc vero carere poſſint populi magiſtratibus & ipſa bonorum ſeparatione; & a nulla denique gente Principibus & magiſtratibus poteſtatem illimitatam ad deſtruendum populum concedi poſſe. Hæc inter alia ex *Grotio* Lib. *I. de J. B. & P. c. 4.* confirmat, & pro irrefutabilibus habet; elidit quoque, quæ de contradictione inter Proteſtantes ex eorum ſcriptis, de poteſtate Regum, & contra Pontificium dominatum, Adverſarius eruit & objecit, monens Pontificios quoque circa illa diſſentire. Repellit convitium ab Anglis, quos vocant, Presbyterianis, quaſi Caroli I. Regis parricidium procuraverint; negatque eos, qui præſentis mutationis in Anglia autores fautoresve ſint, flagitium illud probare; ſicuti nec verum ſit, nec neceſſe, ut Principes Catholici *Guilielmo* Regi aſſiſtentes ad cauſam religionis reſpiciant, cum alias ad ſocietatem adverſus hoſtem communem ineundam cauſas habere poſſint. Oſtendit inde diverſa *Caroli* & *Jacobi II* conſilia & inſtituta: illum pro Epiſcopatu, hunc pro Papiſmo laborâſſe; neque Anglos ſucceſſionem regiam deſtruxiſſe, ſed fugiente *Jacobo*, genero & filiæ ejus paruiſſe. Adverſus ea, quæ libro *Junii Bruti*, ſive ejus autor *Philippus Mornæus*, ſive *Hubertus Languetus* fuerit, item *Parei* tractatui Oxoniæ combuſto objiciuntur, multa regerit; ridetque *Admonitionis* autorem, quod exemplo *Danorum*, Regi electitio hæreditarium imperium deferentium, allegato, non videat jus Regum a populo ortum habere, cum tamen contrarium operoſe adſtruere conetur. Non negat, ex limitata Regum poteſtate incommoda oriri, ſed conſiderari jubet etiam ea, quæ ex abſoluta naſcuntur, nullamque regiminis eſſe formam, quæ omni careat periculo. Argumenta ab abſurdo, quæ *Admonitor* laudat, ipſe in ſophismata fere degenerare ait. Reſpondet ad omnes objectiones, ſed in compendio & ita, ut aliis potius indicet, quæ uberius deduci poſſint. Negat, quod Proteſtantium Theologi populo ſupremam poteſtatem in Reges, aut jus acta illorum examinandi tribuant; monet tamen diverſam eſſe regnorum formam, aliamque alia magis abſolutam eſſe. Conſervationem populi ſemper & in omnibus imperiis ſubintelligi, nec prætextu religionis, minime omnium falſæ, ſubverti poſſe. Monſtrat etiam, quomodo differant poteſtas civilis & eccleſiaſtica, utque hæc ultra excommunicationem nullum cogendi modum habeat. Utrique hoc

commune esse ait, ut parendum sit decretis, etiam non satis justis aut æquis, dummodo non tendant ad ruinam politiæ aut religionis. Inde tamen sequi negat, querelas adversus decreta non nisi ab universo populo, uno veluti spiritu concitato proponi, aut reformationem moveri posse: cuique enim pro gravitate excessuum, contra fundamenta societatis aut fidei ingruentium, jus esse remedia inveniendi. Regulam, quod numero suffragiorum standum sit, quam *Admonitor* vehementer urget, positivi seu humani juris esse dicit, cui locus non sit, si agatur de lædenda conscientia aut tollenda defensione naturali. Postulat ab Autore *Admonitionis*, ut in quæstione de potestate Principum, vel Systema *Grotii* (sicuti facere videatur) constanter teneat, vel immanem illam sententiam de illimitata & cum quavis tyrannide & clade populi admittenda potentia palam tueatur. Priorem formam etiam ex ipsius *Grotii* traditis incommoda habere, iterum agnoscit; sed quæ ex altera consequantur, intolerabilia esse censet. Pro *Valdensibus*, qui in fine *Admonitionis* pro rebellibus & extrema meritis exagitantur, multa affert *Jurius*, ut probet, illos ad paritionem decretis injustissimis præstandam obligari non potuisse, & jus gladii pro legitima defensione omnibus dari; casus etiam esse, in quibus privati, ad sua recuperanda, arma sumere possint, licet legibus quibusdam haud immerito caveatur, ne id ordinarie fiat. Confert inde *Valdenses* cum *Belgis*, & illos non minorem partem populi aut provinciæ respectu Ducis sui constituisse existimat, quam hos comparatos cum reliquis nationibus Hispaniæ Regi subjectis. Addit *Valdenses* non Principi suo, sed ejus violento instigatori, Galliæ Regi, repugnasse. Scholasticas itaque rhetoricationes esse scribit, quas *Admonitor* ex Catilinariis Ciceronis collegerit, quæ non magis ad *Valdenses* pertineant, quam ad Gallos exules, qui in castris Fœderatorum militent. Mandatum Christi de fuga in persecutionibus, & exempla patientiæ veteris Ecclesiæ male eo detorqueri, ut nullo modo tyrannis resistere fas sit; moderationem præscribi a Christo; jus naturæ adversus vim plane injustam non tolli. Notari vult vias Dei, qui in exequendis decretis suis, irregularibus quandoque modis & qui temerarii videri possint, procedat; neque necesse esse, ut omnes intentiones & actiones Regum & populorum, qui reformationem moliantur, exactissime justæ & irre-

irreprehensibiles sint; ex eventu tamen & in universum, Dei propositum cognosci, & defectus erroresque circa media bonitate finis compensari. Observat, Deum aliquando aperta vi progressum esse, v. g. cum Judæos in Palæstinam introduceret; alio tempore, videlicet post captivitatem Babylonicam, absque armis & non nisi permissu Regum, populo suo prospexisse. Minime sequi, si Christiani primitivæ Ecclesiæ Imperatoribus tyrannidem exercentibus armâ non opposuerint, quod Galli & Belgæ, qui id fecerint, pro rebellibus haberi debeant, cum Maccabæorum exemplum justissime allegare possint; neque mutatum jus naturale, quo illi usi fuerint, per præceptum Evangelicum de fuga. Ideo *Grotium* reprehendit, qui in odium civium suorum, & *Socinianos* secutus, nimis rigide dictum illud Evangelicum urserit. Nec melioris notæ esse, sed *Deistas*, *Spinosistas*, *Indifferentes* aut majoribus hæresibus infectos, qui aliis libellis, quibus fœdus & bellum adversus Gallos infectantur, eadem defendant. In conclusione *Admonitionis* summam ingenii vafritiem & affectationem pietatis observat, & in ea persistit sententia: præcepta divina de obsequio Magistratibus & parentibus præstando, eo non esse interpretanda, ut exceptiones legitimæ oppositionis prorsus excludant. Elogia quibus Galliæ Rex extollitur, convitia & aculeos in Pontificem & Imperatorem atque Domum Austriacam, defensionem societatis Gallorum cum Turcis, & alia ejusmodi omnia eo tendere dicit, ut exules Galli de restitutione sua in patriam & in libertatem pristinam desperent, & Regi cœco se submittant obsequio; Fœderati quoque animum despondeant, & qualescunque pacis leges accipiant. Confidit, præstituros hos esse posthac, quæ huc usque non præstiterint, & divinam gratiam celebrat, quod illis vires integræ manserint, & Rex Britanniæ ad exequenda, quæ Deus destinaverit, excitatus sit. Parallelismum *Admonitoris* inter Jacobum II Angliæ, & Henricum IV Galliæ Regem rejicit, repetitque denuo, Jacobo non ereptum esse regnum, sed ab eo desertum. Observat etiam differentiam inter utrumque regnum circa potestatem regiminis, & quomodo Angli Reges Parlamenti autoritatem agnoscant, & speciali juramento de tuenda religione Reformata obstricti sint. Aliter igitur de Catholicis Gallis, majorem regni partem constituentibus, qui Henricum Regem, quem pro hæretico habebant, aversati sint, judi-

cari debere; aliter de Anglis orthodoxum totius gentis desiderio expetentibus, cum Catholicorum paucorum contraria machinantium ratio haberi non potuerit. Defendit gesta Anglorum procerum & delectorum ex populo, cum mutationem nuperam decreverint; vituperat e contrario, quæ Liga, quam vocant, Gallica per factiones & tumultum egerit, omnibus Europæ Principibus improbata.

PREMIERE ET SECONDE PARTIE DES DIFFICultez proposées à Mons. Steyaert Docteur & Professeur en Theologie de la Faculté de Louvain.

i. e.

Difficultates D. Steyarto Theologo Lovaniensi propositæ, ex relatione ab illo ad Archiepiscopum Cameracensem perscripta, a quo mandatum habuit de rumoribus adversus Presbyteros Oratorii Montibus Hannoniæ sparsis inquirendi. Pars I. & II.

Coloniæ apud Petrum Grandem 1691. in 12. plag. 41.

DE re, quæ exigua videtur, gravia & multa & præclare scribere, non vulgaris est ingenii aut facundiæ mediocris. Valere itaque utraque dote oportet *Difficultatum* sive dubitationum harum Autorem, quem D. Antonium Arnaldum esse admodum est probabile. Causam sane, quæ *Jansenismi* nomine traduci solet, pari acumine, eadem verborum copia & elegantia alius tueri difficulter potuisset. Occasio satis magni libri hæc est. Congregatio *Presbyterorum Oratorii* in Italia a *Philippo Nerio* seculo superiori cœpta, autoritate Berulli Cardinalis in Gallia recepta & aucta, cum Montibus Hannoniæ Collegium haberet, deducere inde veluti coloniam quandam in urbem Leodiensem voluit. Quæ Congregationi illi cum Societate Jesuitica simultates intercedant, haud ignotum est. Ut igitur incrementum hoc æmulorum impediret Jesuitæ, quantum quidem ex libro hoc intelligi potest, diffamare acriter multis nominibus Presbyteros illos cœperunt, effecerunt-que ut Magistratus Montenses (Scabinos vocant) literis Leodium datis receptionem Presbyterorum dissuaderent. Presbyteri

edita

edita Gallice apologia, quam Remonſtrationem *juſtificativam* inſcripſerunt, famam ſuam impigre tutati ſunt, non ſine querela de Scabinis. Hac offenſi iſti ſcriptum illud manu carnificis publice comburi fecerunt, vehementer indignantibus non ſolum Presbyteris, ſed & Nuntio Pontificio, qui Cleri privilegiis detractum illa acerbitate exiſtimabat. Cum vero Archiepiſcopus Cameracenſis, Hannoniæ Diœceſanus, a Presbyteris imploratus *D. Steyarto* & duobus aliis mandaſſet, ut de cauſa cognoſcerent, & judicium ſuum de illa ad ſe referrent; ita hoc fecerunt Commiſſarii, ſive, ut Autor Difficultatum aſſerit, *Steyartus*, cæteris autoritate & induſtria potior, ut Presbyteri graviter læſos ſe eſſe putaverint, & Autor hic noſter anſam ſumſerit plurimos relationis & judicii illius defectus Steyarto exprobrandi, idque fecit tractatu in partes ſex diſtributo, ex quibus duas priores nunc enarramus. Ex eo vero, omiſſis minutioribus, annotabimus quædam, quæ non tam ad rixam illam inter Jeſuitas & Presbyteros proprie pertinent, quam ad cognoſcendam factionum in Eccleſia Romana indolem faciunt, & cum profectu quodam obſervari poſſunt. De *Steyarto* ipſo annotavit Autor, quod defectus Eccleſiæ Romanæ in Belgio in exordio relationis ingenue agnoverit, ſcribens: quicquid diſſimulamus, turbatiſſimæ ſunt res noſtræ Eccleſiaſticæ, non hic tantum, ſed paſſim per Belgium totum. Allegatur etiam tractatus ejus, ſive theſes *Theologiæ moralis emendatæ* nomine publicatæ, in quibus probabilitatis Jeſuiticæ dogma acriter impugnaverit, item opiniones peſtilentes de peccato ex ignorantia, ſive materiali & Philoſophico, de attritione; præterea de facilitate in abſolvendis peccatoribus, ſive relaxatione diſciplinæ Eccleſiaſticæ, qua fieri dicit, ut ſanctitas Chriſtiana plane intercidat, Part. I.
continua revolutione, ut loquitur, confeſſionum & criminum. Diff. 2.
Confeſſionum & abſolutionum particularium neceſſitatem & utilitatem jactare, ut notum eſt, vel maxime ſolent Sacerdotes Romani, & utramque in Eccleſiis Proteſtantium requirunt. Qui vero ex illo Ordine ipſi agnoſcunt, quam male confeſſiones & abſolutiones tractentur, ut nihil ad emendationem faciat illarum repetitio, ſi poſt impetratam nulla difficultate abſolutionem, ad eadem aut pejora peccata continuo redeatur, ii arcem religionis ſuæ veluti deſtruunt. Diff. 4.
Steyarti verba citat Autor, quibus Confeſſionarios reprehendit, quod

quod quibuslibet peccatoribus pro pœnitentia recitationem trium *Pater noster & Ave Maria* sufficere existiment, morbosque animi omnes sanari eo modo credant. Tanto magis itaque indignatur, quod ille ipse *Steyartus*, rigoris ecclesiastici assertor, tam laxus indulgensque jam factus sit, ut Jesuitarum metu aut respectu, optimæ Presbyterorum causæ relatione sua nocuerit, imo pro sectariis habeat,

Diffic. 5. qui disciplinam instaurare nituntur. Producit testimonium ejus anno 1690, quo juvenem quendam a studiis, indole, vita & moribus egregie laudarit dignumque esse censuerit, qui sacris ordinibus admoveretur; addiderit tamen veluti limitationis & cautelæ loco: *Ne tamen aliquid Superiores lateat, quod postea infra scripto imputetur, addictus idem est rigidiora sectantibus.* Hoc falsè exagitat Autor, & quem illi *Rigidismum* vocant, verum & genuinum Christianismum & Sacerdotum atque Pastorum officium esse; at qui laxiora profitentur, pro corruptoribus Ecclesiæ haberi debere, pluribus ostendit. Ipsius *Steyarti* theses in eam rem citat, & Augustini dicta. Pastorem

Diff. 6. 7. quendam *Ludovicum Flemallum* prope Namurcum laudat, qui pio zelo ductus, plebem suæ curæ commissam in fide Christiana egregie instruxerit, binas conciones singulis Dominicis ante meridiem, divisa cum Vicariis opera, a meridie Catechesin habuerit; idem privatim fecerit, in confessionibus potissimum; ea tamen diligentia & severitate populum minime offenderit, sed magno cum applausu confluxuque docuerit; iis etiam, qui legere noverant, pios libellos, qui capita doctrinæ continebant, evolvendos dederit: factum inde, ut non solum eximiam notitiam religionis acquirerent auditores, sed & vitia ebrietatis, libidinis & verborum scurrilitatem correxerint, choreas etiam & vana atque ludicra alia ultro omiserint. Successisse e contrario apud illos contemtum rerum fluxarum, summum cœlestium desiderium, patientiam Christianam in calamitatibus bellicis & aliis, mutuam charitatem, cum assiduitate precum, ad quas quotidie summo mane in templo convenerint. Etiam inter labores diurnos mentem ad Deum per suspiria & oratiunculas elevasse, & sero vespere multos domi cum suis precibus vacasse. Quæ de moribus & vita interiori illius viri addit, pietatem maximam indicant, & ideo optat, ut omnes ad eum modum sese gerant, quos *rigidos* vocant; tunc enim felicissimum statum Ecclesiæ esse futurum.

rum. Provocat etiam ad experientiam in Academia Lovaniensi, in qua ante ortam hanc *Rigidorum*, quam sugillant, sectam dissolutissime, nunc vero composite & pie vivat juventus scholastica. Post hæc atroci calumnia proscissos esse queritur *Presbyteros Montenses*, ac si Nestorianismum renovarent, & B. Virginem matrem Dei, sive Deiparam appellare nollent; qua imputatione ipse *Steyartus* eos liberaverit, maligne tamen in relatione sua addens, non satis circumspecte eos locutos esse. Interim tamen Episcoporum Gallorum judicio, in Catechesi ab iis publicata, maximos abusus in cultu Virginis demonstratos esse non dissimulat, illum maxime, quod plurimi in peccatis quotidie versantes, salvari se putent recitatione *rosarii*, aut gestamine *scapularis*; nec parum errare dicit eos, ex Episcoporum illorum sententia, qui nimiam fiduciam in sanctis ponant; hos enim utiliter & pie quidem ex Ecclesiæ instituto invocari, sed spem omnem necessario in Jesu Christo ponendam esse, in quo solo, Scriptura teste, salus quærenda sit. Citat etiam insignem locum ex Cardinalis Camusii scripto; econtrario horrendam *Recollectorum Leodiensium* thesin anno 1676 publicatam execratur, quam ipse quoq; *Steyartus* acriter taxaverit. Erat autem hæc: *Frequens confessio & communio, & cultus B. Virginis, etiam in iis, qui gentiliter vivunt, sunt signum prædestinationis.* Acriori censura persequitur dictum Jesuitæ Lusitani *Francisci Mendoza*, in *Viridario sacræ & profanæ eruditionis* anno 1632 cum approbatione edito, statuentis, *impossibile esse, ut B. Virginis cultor in æternum damnetur*, quia scilicet B. Virgo suo patrocinio semper impetret a Deo auxilia gratiæ congruæ, quibus ejus cultores, alioqui pravi & sceleratí, ad Deum convertantur, reddanturq; *indamnabiles*. Reprehendit porro Autor eos, qui in B. Virgine majorem clementiam quam in Christo esse statuunt, qui tamen est Deus misericordiæ. Concionatores esse narrat, qui publice declamaverint, si fatuæ virgines, cum dicerent, *Domine, Domine, aperi nobis*, dixissent, *Domina, Domina*, impetraturas fuisse, ut portæ aperirentur. Librum, quem in Belgio fere omnes manibus terant, prolixe taxat, in quo diserte statuatur *Deum Filio suo exercitium justitiæ, sanctæ vero Virgini clementiæ & misericordiæ dispensationem commisisse.* Subjungit verba ex Steyarti Theologia Morali, quæ placet adscribe-

Diff. 9. D. 10.

re, quia ad ſimiles caſus applicari poſſunt. *Verentur*, inquit, *quidam, ne ſcandalizentur puſilli & confirmentur hæretici, cum in Eccleſia turpiſſimi arguuntur errores, ideoq; potius tacendum exiſtimant. Sed an forte non magis confirmabuntur hi, & illi perver-tentur, ſi viderint hujusmodi errorum monſtra nemine contradicente in Eccleſia teneri?* Reliqua hujus Partis primæ capita præteri-
Diff. XI. uſq; XV. mus, quanquam multa memoratu non indigna de lite iſthac contineant. Ex *Parte* etiam *ſecunda*, ne in nimiam prolixitatem incidamus, pauca quædam veluti digito indicabimus. Acriter repre-hendit Autor tum Magiſtratum Montenſem, quod Apologiam a Presbyteris Oratorii ad Leodienſes ſcriptam, per carnificem com-buſſerit, & *Steyartum*, quod factum probaverit; eaq; occaſione Je-ſuitas accuſat, quod pari ſuggeſtione *Rothomagi* magno cum pio-rum ſcandalo excellentiſſimum librum Janſenii, *Harmoniam Evan-*
Diff. XVII. *gelicam*, & Aquis Sextiis *Epiſtolas Provinciales* Jeſuitis oppoſitas concremari curaverint. Prodit etiam, verum autorem epiſtolarum pro Jeſuitis ſub nomine Bernardi Stubrock publicatarum fuiſſe *Ho-*
Diff. XXIII. *noratum Fabri*, celebrem ex Societate Jeſuitica virum. Citat tamen & laudat eundem *Steyartum*, quod in ſæpe allegata Theologia ſua acerrime refutaverit ſententiam Jeſuitarum (a Papa quidem inter LXV. famoſas theſes condemnatam) quod *non pecent mortaliter, qui ſui tuendi cauſa adverſario falſum crimen affingant.*

CHRISTIANI DONATI PROF. PUBL. VVITTEN-berg. Inſtitutiones Pneumaticæ ſcholarum uſui accommodatæ.

Wittenb. ap. Joh. Chriſtoph. Göllgiver/A. 1691. 8t. plagul. 33.

CUm quæ de Spiritibus moderni pariter atque veteres com-mentati ſcriptores ſunt, non levi perquiſiviſſet ſtudio Cl. in celeberrima Wittenb. Univerſitate Metaph. & Logicæ Profeſſor, non contemnendum operæ pretium ſibi factu-rus viſus eſt, ſi in diſcipulorum ſuorum gratiam Pneumaticam ſci-entiam tali Syſtemate comprehenſam ederet, in quo & quæ ab aliis optime tradita ſunt, ſua faceret, & quæ vel nondum tacta aliis, vel non ſatis adhuc elaborata, ſuppleret, perficeret, ac ſuopte judicio amplificaret. Illa ergo methodo uſus, quæ in diſciplinis uſitata

quam

quam maxime est, *partem generalem* a *Spiritu* definitione ordiri, & ex illius attributo primo cum cura explicato & probato cætera, maximam partem a se recens constituta & brevi descriptione explicata, partim immediate, partim mediate deducit, atq; interventu ipsius primi cognoscendi principii demonstrat. Eodem modo in *speciali* quoq; *parte*, postquam *Dei*, *Angelorum*, *Animarumque rationalium* existentiam probavit, versatur in ipsorum propriis attributis explicandis, & huic doctrinæ subjicit *actionum* cuiq; Spiritui propriarum, cum internarum, tum externarum, tractationem; ita quidem ut inserat subinde suis quasq; locis *quæstiones controversas*, & graves, & jucundas, & celebres, nec adeo paucas, certis conclusionibus, quarum aliæ sententias falsas rejiciunt, aliæ veras asserunt, definitas. Profitetur vero, id se cumprimis dedisse operam in hac condenda disciplina, ut justo ordine & exponerentur omnia, nihilq; assereretur, quod non suis rationibus esset stabilitum, iisq; haut vulgaribus, sed exquisitis ac veris, & ad animum plane convincendum idoneis; atq; adeo sperat, pletaq; a se justis plenisq; & ad prima usq; principia excurrentibus demonstrationibus esse confirmata.

G. VAN DER MUELEN IN HISTORIAM *Pomponii de Origine Juris Pars prima.*

Trajecti ad Rhenum apud Franciſc. Halma, 1691. in 8. plag. 10.

Ttuli rationem a potiore operis sui parte deducere voluit Autor clarissimus, quando in Historiam Pomponii de Origine Juris, quæ posteriorem legem ff. h. t. conficit, hanc commentationem se suscepisse profitetur. Utut enim non prætermiserit legem priorem d. t. quæ Gajum autorem refert, quoniam tamen ea & brevis est, & formulis excitatoriis tantummodo constat; ideo ordinis magis respectu, quam ob doctrinæ necessitatem recepta videtur. Utrobiq; autem interpretandi genus planum, perspicuum ac amœnum deprehendimus, dum textus ipse, & in lege Pomponii quidem distinctim singuli paragraphi præmittuntur, quos ad verba & loca notabiliora succincta explicatio & paraphrasis excipit. Et nihil hic omisit Autor, quod ex antiquitatibus historiæ Romanæ ad illustrationem hujus materiæ ullo modo facere

possit, ut subinde etiam digressiones prolixiores susceperit. Sic pag. 12. occasione vocis *Civitatis*, in originem & constitutionem hujus societatis altius paulo inquirit, cumq; ad eam liberos nonnisi homines definitio præmissa admittat, fusius deinceps ex sacris potissimum literis adstruere contendit, naturalis hujus libertatis marem, exclusa fœmina capacem esse, eo quod hæc ex ordine creationis mariti imperio subjiciatur. Hanc etenim ob causam primo loco creatum fuisse Adamum, ut secundum tritum proverbium, *qui prior tempore, potior jure*, iste sibi imperium vindicare posset. Accedere & hoc, quod extructa fuerit mulier ex costa Adami, ut posset inde concludere, se nihil habere a se, sed ab alio, scilicet viro; quocirca nullam intercedere inter marem & fœminam æqualitatem seu juris, seu virium, quibus indigent, qui in statu naturæ (secundum Autoris hypothesin) vivunt. Pag. 27. civium Rom. censum, cujus intuitu quinq; classes institutæ erant, exhibet, & ad nostræ monetæ valorem componit. Pag. 37. antiquas Romanorum LL. recenset ex Mosaicis legibus a Numa Pompilio depromtas. Pag. 47. evolvit quæstionem itidem historicam, utrum sub primis Rom. Regibus concessa fuerit provocatio ad populum, & quid hac in re singulare acciderit in judicio criminali, quod contra Horatium ob interemtam sororem parricidii reum habitum fuisse constat. Pag. 61. originem obligationum examinat secundum hypothesin status naturalis, quæ in quæstione anteriori de constitutione civitatis fuit præsupposita. Prolixissimam dehinc digressionem a pag. 87. usq; ad p. 106. decurrentem suppeditat Senatus Romanus, de cujus prima institutione a Romulo facta, & subsecutis allectionibus variis, ex quibus postmodum Senatores in Patricios, Conscriptos, & Pedanos distincti fuere, ubi sufficienter dictum, post Ordinis hujus ornamenta, confessus ac consultandi modus, & quæ hujus generis alia, in conspectum producuntur. Discursum istum proxime excipit p. 107. affinis tractatio de SCtis, quæ pari ubertate explanatur. Pag. 133. species Juris Romani, prout in scriptum & non-scriptum dispescitur, ductu §. 12. d. l. explanantur; in quo ipso §. Autor noster tantispet subsidet.

30 AN-

70 ANNIS DE RAEI PHILOSOPHI AMSTELÆdamensis Primarii Cogitata de Interpretatione, sive de Natura Humani Sermonis &c.

Amstelædami apud Henricum Wetstenium, 1692. in 4.

Constant alphabetis 3. & plag. 19.

Author Libri hujus est Vir, jam dudum in orbe litterato celeberrimus. Siquidem ultra annos XLIV, primum in Academia Lugduno-Batava, deinde in illustri Schola Amstelodamensi Philosophiam, atque olim etiam Medicinam aliquo tempore docuit. Occasionem hunc tractatum scribendi perhibet, quod ab annis circiter quinquaginta multorum Eruditorum animos observasset cœpisse occupare opinionem valde periculosam, positam in eo, quod communiter Viri docti nimium tribuant & nimium confidant novæ quam amant philosophiæ, putantes ea ipsa methodo, qua non contemnendus progressus factus est in Mathematicis & Philosophicis, progrediendum similiter esse in omni alia arte & disciplina: ac si omnes disciplinæ, quæ tot seculis distinctæ fuerunt, Philosophiæ essent partes vel appendices, deberentq; una & eadem methodo, quam Author hujus libri censet artium Mathematicarum & Philosophiæ propriam esse, doceri, & eodem illo præciso, comprehendi sermone, quo Mathematici & Philosophi utuntur. Ut error, opinione Authoris, horum temporum duplex sit; unus in humano intellectu, alter in humano sermone, uterque infinitam post se trahens confusionem, litesq; inter Eruditos perpetuas. Hæc sive censura sive opinio Authoris forsan mira videbitur iis, qui sciunt ipsum magni facere Philosophiam, atq; tueri dignitatem ejus contra quoscunq;, qui eandem vel contemnunt, vel inutilem judicant. Verum prudentiores id ad animum revocabunt altius, & judicabunt haud rem esse debere parvam, quod vir ætate & doctrina venerabilis, magnus sine omni dubio Philosophus, censeat his temporibus & in hoc seculo philosophico, Philosophiæ communiter nimium tribui: eritq; hoc ipsum illis majus argumentum ad rem exquisite ponderandam, & majori cum attentione hunc librum legendum. Narrat vero ipse Author causas magis speciales, quæ ipsum impulere ad scribendum, suaq; de interpretatione & natura humani

sermonis cogitata, deque erroris, de quo diximus, remedio publici tandem juris facienda. Hæc causa imprimis videri potest ipsa erroris vis & magnitudo fuisse, his ipsis præcipue temporibus, quibus in lucem editus liber. Non quod Author nunc primum eum viderit errorem, eique tam sero incipiat se opponere. Initia erroris ipsi prævisa fuerunt olim in Academia, dum doceret, Lugduno-Batava: quin antequam animum ad docendum applicuit. Verum non ita ab initio Author cogitavit de magno & justo remedio. Visa ipsi fuit, quod non erubescit fateri, veritas plana & aperta posse ac debere se ipsam tueri, tum insigni usu suo & in Rep. & in Scholis & in Ecclesia, tum antiquitate, qua venerabilis est. Etiam ab initio error levis videbatur, ita seipsum evertens, infinita quam post se trahit confusione, ut consistere non possit. Attamen fatetur Author, fefellisse eum nonnihil opinionem illam, fefellisse spem istam, & adjungit, fallere hanc opinionem & spem hactenus plurimos, atque eos omnes, qui *errorem quidem, non ita vero*, ut in præfatione loquitur Author, *erroris vim & momentum agnoscunt; forte*, inquit, *quia non satis intelligunt momentum veritatis*. Sed Author noster, ut hi faciunt, cætera boni, non perstitit in opinione, vel spe, vel expectatione ista, sine metu justo, non perstitit olim longo tempore. Ipsis principiis obstandum jam olim judicavit, putatque se dici non posse unquam ea in opinione fuisse, in qua videntur viri magni his temporibus esse quam plurimi, quod nempe error adeo levis vel talis sit natura sua, ut seipsum debeat evertere, ac si necesse non esset, ut de remedio incipiant cogitare moderatores regnorum & rerumpublicarum, ut & ecclesiarum atque academiarum. Sicut error ante plures annos suo modo levis erat, ita levi ac facili videbatur superari posse remedio. Clarissimus Autor, cum inciperet Philosophiam docere, primum Lugd. Bat. deinde Amstelodami, hac de causa accommodatum temporibus istis adhibuit remedium, unum & alterum non sine successu, in Oratione inaugurali, una de differentia cognitionis philosophicæ & vulgaris, & altera de sapientia veterum, quæ extant in Appendice ex olim scriptis. Scilicet eo fere modo, quo Cartesius a primis annis in eas cogitandi vias incidit, per quas non difficile ipsi fuit ad cogitationem pervenire methodi recte utendi ratione, & veritatem investigandi in scientiis, ad

veram

veram quam quærebat Philoſophiam pertinentibus: hujus quoque libri Author, in ipſo ſtudii Academici curriculo cœpit intelligere, diſtinctam eſſe omnino Philoſophiam, ſublimem illam ſcientiam, quam poſt Platonem Carteſius profitetur, ab omni alia cognitione: atque in Philoſophia ſcholarum non tractari primam iſtius veræ philoſophiæ propriam, ſed ſecundam & communem cognitionem; & eatenus multum in ſcholarum philoſophia veritatis inveniri. Narrat etiam Author in Epiſtola penultima, ex hac cogitatione incredibilem ſe in ſtudiis facilitatem & lucem percepiſſe: usque adeo, ut huic potiſſimum cogitationi poſtea ſuperſtruxerit orationem inauguralem unam & alteram, ipſasq; primas prælectiones atque diſputationes publicas, ut & inſtitutionem in ſcholis privatis. Addit in eadem epiſtola, qua ratione, dum fungebatur munere doctoris publici, confirmatus fuerit in his ipſis primis cogitatis, eaque latius deduxerit & diligentius excoluerit. Singulari etiam deputat felicitati, quod in ſtudio Logico, quod his temporibus contemnitur, adoleſcentiæ florem contriverit. Vidit vero tandem, primo per nebulam, & mox clarius, duplicem Logicam, toto cœlo diſtantem, eſſe poſſe & debere, quæ communiter confundi ſoleat, ut olim ab Ariſtotelis, ita hoc tempore a Carteſii ſectatoribus. Unam Logicam advertit Author proprie dialecticam eſſe, ut etiam Carteſius animadvertit, in Epiſtola loco præfationis præmiſſa Principiis Philoſophiæ. Quam poſſumus etiam dicere, quod ſit Logica vulgaris ſive communis, utilis communiter in diſſerendo. Logicam alteram putat Author comprehendi Methodo Carteſii recte utendi ratione, & veritatem inveſtigandi in ſcientiis, eamque diſtinctionis cauſa vocat Logicam Philoſophicam. Narrat porro Author in Epiſtola prima ſub finem appendicis, a Sylvio, celeberrimo quondam in Academia Lugd. Bat. Medicinæ Profeſſore, novam ſibi datam fuiſſe occaſionem, cogitata iſta latius deducendi & ad animum revocandi altius. Sylvius enim conabatur Phyſicam ſcientiam miſcere & confundere cum medica arte, confidenter docens, tam in phyſica quam medicina, id omne quod vere ſcitur, ſola experientia ſciri, ita aperte deſtruens propriam veræ Philoſophiæ cognitionem, quæ ſecundum Platonem & Carteſium tota intellectualis eſt: ſicut alii errore contrario veræ medicinæ cognitionem

ſenſua-

ſenſualem ſive experimentalem (non curioſam, qualis horum temporum eſt, ſed communem qualis fuit tot ſeculis) deſtruunt, quando in medicina docenda vel exercenda nimium tribuunt philoſophiæ. Ita Author ſe fuiſſe excitatum narrat ad cogitandum porro de Medicina, aliisq; diſciplinis & facultatibus, ut vocant, monetque ſe dixiſſe & ſcripſiſſe olim, Medicinam, Jurisprudentiam & Theologiam in communi hominum intellectu habere fundamentum & ſubjectum ſuum; verum hoc pariter dici non debere de Philoſophia. Tandem denique his acceſſit occaſio ſive excitatio ultima, quando circiter una cum Sylvio, Spinoſa, atque hujus Philoſophia S. Scripturæ interpres, cœpit inclareſcere. Ab illo tempore aliquanto magis quam antea cœpit ſollicitus eſſe & adhuc magis ad animum revocare magnum diſcrimen inter duplicem intellectum, ortumq; ex eo humanum ſermonem duplicem. Ita cogitata tot annorum tandem quoque occaſionem dederunt novis magisque elaboratis meditationibus, de interpretatione ſive de natura humani ſermonis. Quem ſermonem oſtendit eſſe poſſe ac debere, unum, omnium aliorum hominum & aliarum artium ſive diſciplinarum communem; alterum veræ Philoſophiæ proprium. Atq; hujus diſtinctionis neglectum vel contemptum infinitæ confuſionis hactenus in artibus & diſciplinis cauſam fuiſſe, ob oculos ponere, non quidem præcipuus, attamen ſecundarius Authoris videtur ſcopus fuiſſe. Neque ſine gravi cauſa Author in præfatione monet lectorem philoſophum (alios enim vix expectat) non tam contradicendi atque errorem, de quo dixerat, impugnandi, quam veritatem docendi ſtudium ſe primum ad ſcribendum excitaſſe. Hanc ob cauſam potior pars hujus commentarii dogmatica eſt, paucis in locis comprehendens erroris detectionem, ſaltem perquandam conſecutionem, quam alicubi, ubi magnitudo erroris id poſtulabat, expreſſit, ſæpius tamen ſuppreſſit.

Dogmaticum hoc imprimis comprehenditur parte prima generali, quæ tractat de diverſa humani ſermonis conſideratione, quam Author unam communem; alteram veræ Philoſophiæ dicit propriam eſſe: quatenus prior ad communem ſenſum, quem ſequimur etiam in omnibus aliis diſciplinis; poſterior ad ſubtiliorem magisque præciſum veræ Philoſophiæ intellectum accommodatus eſt.

est. Ex cujus distinctionis neglectu quanta confusio sequatur in artibus & disciplinis docendis, Author ob oculos ponit. His vero ita præmissis, definitio traditur humani sermonis, ut viva voce peragitur: Etiam ratio signi in voce viva distinguitur ab omnibus aliis signis. Denique latius deducitur & explicatur prima humanæ vocis, quæ significat, formatio ab ineunte ætate &c. usque ad finem partis primæ.

Dogmaticum hujus libri porro comprehenditur parte altera speciali, quæ de prima & simplicissima vocabulorum significatione fuse tractat. Hujus primæ & simplicissimæ significationis bis quatuor, sive octo ordines constituuntur; quatuor scilicet in passionibus, quæ a corpore adveniunt; & quatuor in cogitationibus, quas animus aliquanto magis a se ipso habet, non tam patiente quam agente intellectu. Ut sint voces primi ordinis notæ passionum inter loquendum, quas Grammatici Interjectiones vocant; Ordinis secundi, nomina passionum in anima ab interna causa; Ordinis tertii, nomina passionum in anima ab externa causa, quæ significatio, quam sit errori obnoxia, translata ad rem extra animam, latius deducitur. Voces quarti ordinis, de passione sive specie in sensu intelliguntur ea significatione, quæ magnam partem vera est. Voces quinti ordinis, sive primi in cogitationibus, similiter constituuntur notæ cogitationum tantum. Sexti ordinis, sive secundi in cogitationibus, nomina & verba, quæ de interno in nobis animi actu intelliguntur. Septimi & octavi ordinis voces, de animi actu & cogitatione cum applicatione ad aliam rem intelliguntur: hoc cum discrimine, quod in ordine septimo, fere ut in tertio, falsa; in ordine octavo, fere ut in quarto, communiter vera significatio sit, quæ translata ad rem intelligitur. Quando hi bis quatuor sive octo ordines ita constituti sunt, Author speciatim latius deducit, quæ propria significatio Verbi sit, præcipue substantivi, quod ostendit purum & merum verbum esse, & non significare quicquam rei in extantibus, sed quo animo nos affecti simus erga rem, affirmando quod sit. Hujus verbi significationem, non quidem expresse, attamen tacite etiam in omni nomine inveniri, neq; adeo ullum in humano sermone nomen esse rei omnino non existentis, verum cum omni nomine rem supponi, si non in extan-

tibus, saltem in apparentibus aut cogitatis, latius deducitur.

Ostenditur præterea, & latius deducitur, infinita nomina esse, quæ non tam ullam alteram rem extantem extra nos, quam in nobis affectionem animi, sive qualitatem nostræ cogitationis significant. Hæ qualitates nostræ cogitationis non uno loco distinguuntur a propria & vera qualitate rerum extantium, primum in simplicibus abstractis, deinde in compositis, tum substantivis, tum adjectivis, tum in recto, tum in obliquo. Atque post Operis conclusionem, subnectuntur Notæ, quibus ea quæ in parte prima generali summatim dicta fuerunt, de diversa humani sermonis consideratione in diversis artibus & disciplinis, illustrantur & confirmantur.

Post Notas, totumq; illum Commentarium de natura humani sermonis, accedit propter cognationem Appendix ex olim scriptis non uno tempore, quorum aliqua in Clave Philosophiæ secundum edita leguntur. Ista olim scripta Author ex consilio amicorum censuit addenda esse, ad diluendam objectionem eorum, qui putant, Authorem mutasse opinionem suam, atque jam ab annis plusquam viginti cœpisse deflectere a veteri sua doctrina. In appendice ista Lector poterit videre, quo pacto Author sibi similis ubique sit, atque ultima primis, prima ultimis respondeant, fundamenta quod attinet. Ut non alia de causa videatur Author mutatus esse, quam quia mutata tempora sunt, & quia in docendo & philosophando communis aberratio facta est a prima & veteri simplicitate, quam Author partim rationibus non contemnendis, partim trium principum Philosophorum, Platonis, Aristotelis atque Cartesii consensu tueri conatur, atque in clara luce ponere, hoc suo de natura & recto usu humani sermonis Commentario.

THE VVISDOM OF GOD MANIFESTED IN THE VVorks of the Creation, by John Ray, M. A. &c.

sive

Sapientia Dei manifestata in operibus Creationis, per Joh. Rajum, quondam Collegii Trinitatis, quod Cantabrigiæ est, atque nunc Societatis Regiæ Sodalem.

Londini, apud Sam. Smith, 1691. in 8. Plag. 16.

POstquam nobilissimus hujus libelli Autor diversis jampridem scriptis egregiis, naturalem potissime historiam concernentibus innotuit, jam ne professioni suæ Theologicæ omnino deesse diceretur, tempus esse putavit, ut aliquid etiam ederet e sacra illa disciplina depromtum: maxime cum talem nactus sit functionem, quæ non permittat verbis ad populum publice factis ecclesiam juvare. Scriptionis vero argumentum haud opus habuit longius petere, cum id abunde subministraret tam familiaris ipsi Physiologia, ut qua vix ullam disciplinam fertiliorem reperire datur in suppeditanda materia pro summi Numinis sapientia, potentia ac bonitate deprædicandis, quas nimirum passim in operibus Creationis tam clare relucentes videmus, ut non abs re Autor conjiciat, fore inter alia hanc quoque partem nostrarum occupationum in altera vita, earum contemplationi ad ampliorem tanto celebrationem Gloriæ divinæ vacare: præsertim cum his in terris etiam Sabbathum, typus scilicet æternæ illius quietis, ad memoriam creationis conservandam ejusque opera studiosius expendenda inprimis institutum fuisse appareat. Materia hujus Discursus (qui jam ante hos 30. annos componi cœpit, ut ex *pag. 71.* liquet) præbuerunt maxime Prælectiones matutinæ, antehac in Collegio Trinitatis Cantabrigiensi a Nostro habitæ; quas ipsas nunc variis additamentis, ex recentiorum scriptorum penu petitis, locupletatas publici juris facere visum fuit. Quum vero vim Herculei illius argumenti, a creatione hujus Machinæ mundanæ desumti, quod tamen efficacissimum semper ad homines de existentia & providentia Dei convincendos æstimatum fuit, diversæ sciolorum sectæ, excogitatis de primæva hujus Mundi origine & formatione hypothesibus, enervare conati fuerint, Autor in antecessum *pag. 12. seqq.* in eas inquirit, & quam inanibus absurdisque principiis nitantur, demonstrat. Hinc non modo Aristotelicum illud somnium, ac si mundus ab æterno extiterit, nec non Epicureorum doctrinam de orbe ex fortuito atomorum concursu enato, suis partim, partim conterraneorum suorum, *Tillotsoni*, Johannis *Cestriæ Episcopi*, *Cudworthi*, & *Stillingfleeti* verbis ac rationibus destruere satagit: sed & Cartesianorum hypothesin non minus periculosam hac in

parte arguit, ſtatuentium ſcilicet, omnem cauſarum finalium conſiderationem in univerſum a naturali philoſophia excludendam, prætendendo cunctos fines in imperſcrutabili divinæ ſapientiæ abyſſo æque abſconditos latere, nec alios aliis magis in propatulo eſſe: cujus vero conſequens eſt, neminem ſecure Deo gratias agere poſſe pro conceſſo uſu membrorum ſuorum creaturarumq; variarum, cum ſemper incertus ſit, num hac intentione producta ſint, ut ſibi inſerviret. Hujus tamen dogmatis contrarium vel per ſolam oculi conformationem ſatis evinci autumat, omnibus nempe animalium ſpeciebus ad eundem finem notorie inſervientis, & ſic indubie ejus gratia facti. Pariter & alteram eorundem opinionem taxat, qua cuncta naturæ phænomena ſolvere, rationemque omnigenarum productionum reddere præſumunt, per facilem ſcilicet hypotheſin de materia hoc vel illo modo diviſa & inter ſe commota: cujus falſitatem & inde inter alia oſtendit, quod varia Naturæ phænomena (quorum diverſa allegat) dentur, quæ partim ſuprà vim potentiarum Mechanicarum poſita, partim iiſdem penitus contrariantia appareant, adeoque ex iis deduci omnino nequeant aut ſalvari, abſque cauſis finalibus & vitali quodam principio. Neque vero etiam acquieſcit Noſter in ſententia celeberrimi, at nuper eheu! his terris erepti *Boylii*, volentis, Deum primitus formatæ materiæ univerſalis partes in varios concitaſſe motus, unde ipſa innumeras in portiones diverſæ molis, figuræ ac ſitus diviſa fuerit: at ſimul per infinitam ſuam ſapientiam ac potentiam ita hos motus gubernaſſe, ut tandem venuſta hæc & regularis mundi machina inde fuerit prognata: præterea vero tales leges regulasque localibus his motionibus ſtatuiſſe inter portiones univerſalis illius materiæ, ut mediante ordinario & conſervante ipſius concurſu, diverſæ illæ hujus univerſi partes ſic ſemel completæ, aptæ ſint ingenti huic Syſtemati ac Oeconomiæ mundanorum corporum conſervandis, propagandisque animalium ſpeciebus. Judicat enim Autor opinionem hanc vel ideo inſufficientem, quod materia qualitercunque diviſa motum ſemel ſibi impreſſum abſque aſſiſtente continuo cauſa quadam Efficiente perennare nequeat, cum ejus motionis, tanquam rei transeuntis partes aliæ ab aliis non dependeant; externis vero quibuscunque legibus aut regulis motionis obſervandis ſtupida per ſe materia

teria incapax sit, & vero eæ semetipsas exequi nequeant. Necessarium proinde esse opinatur, ut præter materiam illam legesque stabilitas, efficiens quædam adsit, sive ea sit qualitas aliqua aut potestas materiæ inhærens, quod conceptu difficile: sive agens quoddam intelligens externum; nempe aut immediate Deus ipse, aut inferior quædam (quod mavult Autor cum Cudwortho) *Naturæ Plastica*, cujus subordinato ministerio Deus ad hos effectus perinde utatur, atque Angelorum in operibus Providentiæ. Præterquam enim, quod indignum divina majestate videatur, rebus etiam vilissimis efformandis propriam veluti manum admovere, unde, saltem secundum vulgi captum, Providentia Dei veluti laboriosa, sollicita ac distracta appareat; non satis ita liquere, cur tam lentis gradibus fere procedat rerum plerarumq; generatio, id quod nempe vana & superflua veluti pompa cuiquam videri posset, siquidem agens ipsum omnipotens foret: atque præterea non commode satis excusari sic posse errores illos atque ἁμαρτήματα, stylo Aristotelis, quæ subinde contingunt, ubi materia inepta est aut contumax, unde nempe Agens arguatur non irresistibile esse; cum e diverso, si hoc omnipotentia polleret, nulla materiæ ineptitudo ejus operationem ullatenus sufflaminare valeret. Et quamvis largiatur tandem, in animalium corporibus formandis animam sensitivam operatricis munere defungi posse; non aliter tamen id concedit, quam si ea spiritualis & immaterialis substantia sit: alioqui enim, si materialis statuatur, ipsumque adeo animal pro mero automato habeatur, non minus necessarium autumat ad *Plastica* alicujus *Naturæ* assistentiam recurrere. Non dissimulat tamen, se in istam potius opinionem inclinare, quod nempe bruta etiam exiguo quodam Rationis gradu polleant; partim ob nonnullas eorum actiones, quæ ne vix quidem absque cogitatione ipsorum præcedanea concipi queant: partim ob communem fere sensum, quo compassione quadam moveri nos persentiscimus, ubi *animal* crudeliter nimis tractari aut dilaniari videmus: cujusmodi quid tamen haud experimur, quocunque demum modo *plantam* discerpi aut comminui cernamus: cui accedat, quod cum Bruta iisdem membris ac organis sensuum instructa sint, qualia & nos nacti sumus, probabile appareat, ipsa quoque easdem sensationes & perceptiones nobiscum

habere. Nec obſtare putat objectionem Carteſii, quod ſi Bruta cogitent, oporteat etiam ea gaudere anima immortali, id quod tamen credibile non ſit, ob nimiam quorundam imperfectionem, v. g. oſtreorum, ſpongiarum &c. cum utique idem de omnibus hac in parte judicium ferendum ſit: reſpondet enim, nullam ideo inferri immortalitatis neceſſitatem, cum nil implicet, quo minus animæ tales annihilationem ſubire valeant. His prælibatis, Autor ad rem ipſam ſemet accingit, tali quidem methodo ſervata, ut primum cunctas creaturarum claſſes potiores ſtrictim percurrat, & in iis talia potiſſime conſideret, quæ oculis & notitiæ cujuslibet, utut minus curioſi, contemplatoris obvia & expoſita ſunt: deinde vero duo ſpeciatim ex iſto numero corpora ſeligat, alterum nempe Globi Terraquei, alterum Hominis, eaque exactius expendat, ac in variis eorum partibus emicans artificium incomparabile conſideret: atque ſic in ſingulis veſtigia manifeſta demonſtret Divinæ Sapientiæ paſſim elucentis, tum in ipſa creaturarum formatione, tum in earum ordine & harmonia, tum denique in earum fine ac uſibus. Quemadmodum vero pias ac devotæ gratitudinis plenas meditationes, quas e creaturarum conſideratione Noſter ita colligit, non poſſumus non Lectori ſedulo commendare, in ipſo hoc libro commodius legi, quam hic in compendio recenſeri aptas: ita non pigebit, ex Obſervationibus naturalem hiſtoriam concernentibus (quarum non alias niſi indubiis experimentis comprobatas hic allegatas ſpondet,) nonnullas in gratiam eorum, quibus integrum non eſt iſtum evolvere, excerptas tumultuario, quo ſemet obtulerunt ordine, communicare. Atque mox ſcitu non indigna videntur, quæ *pag. 4. ſeqq.* de numero ſpecierum in regno animali occurrentium diſcurrit. Nimirum poſtquam primo generatim obſervavit, plerumque quo imperfectius ſit animantium aliquod genus, eo numeroſiores ſub eo ſpecies contineri; dum natura magis parcam quaſi ſemet in excellentioribus fœtibus producendis fere exhibuerit; indeq; plures quadrupedibus avium ſpecies, piſciumque adhuc numeroſiores offendi: dein ad computum propius ineundum accedit, notatque terreſtrium animalium, comprehenſis etiam ſerpentibus, ſpecies hactenus notas atque deſcriptas (omnibus tamen v. g. Canum ſpeciebus pro una reputatis) non ultra 150 adſcendere: Avium ſpecies pro-

pe

pe 500 hactenus innotuisse: piscium que totidem circiter; testaceis tamen connumeratis, numerum horum plusquam duplum emergere: conjicit vero, si species nondum cognitæ accederent, quadrupedum aviumque numerum bene tertia, piscium autem dimidia majorem fore. Insectorum in sola Anglia, maribusque adsitis, degentium species ad millenarium adscendere testatur; indeque si eadem proportio obtineat, quæ inter plantas eidem Insulæ domesticas & exoticas deprehensa sit, hoc est, decupla circiter, prodituras pro universo orbis ambitu 10000 species insectorum diversas, & numerum probabiliter majorem potius, quam minorem: cum v. g. solorum Papilionum ultra 150 genera distincta habeantur, totidemque Scarabæorum. *Pag. 9.* ubi demonstrat, quomodo summi Creatoris sapientia pro eodem effectu producendo diversis subinde mediis usa advertatur, inter alia exempla natationis instrumentum concessum piscibus allegat & considerat. Nimirum quamvis in horum plerisque vesica illa aëre turgida notorie id muneris sustineat; tamen quid in Cartilagineis piscibus ejus deficientis vices suppleat, faciatque ut nihilo secius pro libitu adscendere in fluido ac descendere, & in qualibet aquæ profunditate suspendere se queant, hactenus nondum liquere agnoscit. In Cetaceorum vero classe, utpote quæ a quadrupedibus vix aliter, nisi pedum defectu differant, autumat, aerem respirando intra pulmones receptum inservire quadantenus posse ad corpus eorum cum aqua æquilibrandum: atq; hinc ejus constrictionem vel dilatationem, ope diaphragmatis & musculorum respiratoriorum factam, eos probabiliter juvare, quo ascendere vel descendere mediis in aquis valeant, levi modo pinnarum impulsu accedente. *Pag. 56. seq.* ubi expenditur, quomodo jugiter novis aëris suppetiis opus sit ad alendam vitalem flammam, eleganter deducit Autor, qua ratione matris respiratio simul ad fœtus eadem destituti sanguinem particulis aëreis impræg nandum, pro eadem flamma sustentanda sufficiat. Nimirum hunc ipsum primario usum esse autumat, cur sanguinis circulatio per cotyledones in vitulis, &c. &, analogia idem exposcente, per placentam uterinam in fœtu humano gestationis tempore fieri soleat. Atque in hac opinione, quam ab *Edw. Hulsio* primum hausisse se fatetur, confirmatum se fuisse ait per proprias observationes anatomicas

in

in dissectis subinde vaccinis fœtibus factas: ubi nempe adverterit, vasa umbilicalia terminari in corpora certi generis, divisa numerosas, in papillas quasi carneas, intra totidem thecas seu capsulas cotyledonum utero adnascentium taliter infixas, ut ex iisdem absque vi aut laceratione ulla protrahi valeant. Papillas vero has quoad usum similes judicat aristis illis seu radiis, queis branchiæ piscium constant: scilicet sanguinem *maternum*, ad cotyledones tam largiter affluentem, papillas hasce undiquaque ambiendo, per easdem communicare sanguini *fœtus* particulas aëreas, quibus ipse prægnans sit: perinde ut aqua circumfluens carnosos branchiarum radios iisdem impertitur aerem intra se contentum; ut hinc fœtus non incongrue tali tempore vitam piscis vivere dici queat. *Pag.* 77. ostenditur, sano sensu quamlibet arborem non nisi *annuam* plantam appellari debere: quandoquidem & folia & flores & fructus unice provenire cernantur ex tunica, anno proxime elapso superinducta ligno antiquo: ita quidem, ut ea ipsa deinceps tunica nullo amplius tempore quidquam proferat, sed mere cum reliquo ligno anteriori inposterum inserviat pro modulo quasi aut stipite ad gestandam succedaneam porro tunicam annuam. *Pag.* 98. Autor peculiare apum genus commemorat, quod *the Free-Bee*, sive Apis arborea dicatur, cujus miram industriam in penu pro fœtibus suis reponenda deprædicat. Narrat enim ipsam rotundos sibi fornices seu cuniculos excavare in arboribus putridis ad insignem longitudinem, in iisque cylindricos nidos, instar profundioris quasi dactylothecæ, ex collectis concerfitisque rosarum aliisque foliis, glutinosa quadam substantia compaginatis exstruere, ac rubicunda pulticula, consistentiam tenuioris electuarii, nec adeo gratum saporem habente (unde hausta, incertum) implere: impletæque sic capsarum summitati singula imponere ova, atque tandem id omne operculo foliaceo contegere. Ex ovulo hoc paulo post eulam seu termitem pullulare, de pulticula illa semet pascentem, donec mole corporis paulatim completa Nymphæ formam induat, ac tandem perfectam in Apem evadat. Eadem occasione & Formicæ meminit, passim pro parsimoniæ magistra haberi solitæ: quamvis pro mera fictione reputet, quod a Plinio perhibeatur de granis compilatis germen morsu decerpere, ne per humiditatem terræ radices trudere

trudere queant: quin &, nisi Scripturæ autoritas obstaret, ipsam granorum congestionem ægre se crediturum fore fatetur, quandoquidem, in Anglicanis saltem formicis, talismodi coagmentationem nuspiam observare se potuisse testatur. Non minus *p. 102.* inter fabulas recenset, quæ de Talparum cœcitate physicorum plerique tradidere: ex propria enim observatione convictum semet ait, ipsis utique oculos esse, cutem quoque perforantes & sedulo cuilibet scrutatori facile visibiles, utut adeo pusillos, ut minoris aciculæ capitulum mole non multum superent: quales nempe animali in tenebricosis terræ cavernis utplurimum degenti, adeoq; lucis usura parum egenti abunde sufficere, sapientissimus Naturæ Autor censuerit: cum e diverso Lepori, animanti scilicet meticuloso & jugiter pericula prospectanti, oculos tam eminentes cornea præditos concesserit, ut non minus fere, quæ pone tergum, quam quæ ante se fiant, cernere possit. *Pag. 151. seq.* tametsi Autor non satis caute locutos arbitretur, quotquot hominem præ cæteris animantibus os sublime nactum esse prædicent, quo astra tueri commodius possit: cum utique brutorum plura faciem magis cœlum versus supinam ac reclinatam portent, quam homo, utpote cujus vultus situ modo perpendiculari ad horizontem stat: nihilosecius alias egregias ex erecta tali statura utilitates in humanum genus redundare agnoscit: dum ea non solum inservit commodius sustinendo capiti, amplioris proportione corporis, cerebri mole præ brutis gravato; sed & prospectui circumquaque faciendo aptior est, ac præterea liberum incomparabilis illius organi, manus puta, usum nobis indulget, quem pronus incessus tantum non penitus intercepturus fuisset. Ne vero quis forte hanc corporis erectionem arte potius superinductam nobis concipiat, quam a provida Natura destinatam, cum sane infantes more quadrupedū reptare constet: Noster pluscula producit argumenta, quæ contrarium evidenter evincant. Primo enim urget nimiam inæqualitatem longitudinis brachiorum atque crurum, unde homo si non penitus incapax, saltem inter omnes quadrupedes maxime ineptus ad pronum incessum reddatur: unde & pusiones non manibus pedibusque, sed manibus genubusque nitentes repere compertum sit. Deinde allegat positum humanæ faciei, qui in tali gradiendi modo horizonti plane parallelus nos omnium

animalium maxime in terram proclives efficeret. Denique conſiderare jubet inæqualem proportionem inter muſculos brachiorum atque crurum: unde evidens ſit, hæc præ illis ad difficiliorem magisque laborioſam actionem, movendi nempe ac transferendi totum corpus, per naturam dicata eſſe. Illud tamen argumentum, quod hunc in finem a multis, ipſoque jam Ariſtotele adductum fuit, quaſi flexura articulorum contraria ratione fieret in brachiis ac genibus hominum, quam in anterioribus poſterisque brutorum cruribus, falſo penitus fundamento niti monet: cum utique, modo partes ſibi invicem reſpondentes rite comparentur, ſupremi in utrisque articuli, de quibus præſertim ſermo eſt, eadem via flectantur. *Pag. 176.* ubi de ſtupendo oculi artificio ſermo eſt, inter alia tangit Autor obliquam nervi optici in bulbum oculi inſertionem, ejusque rationem allegare ſatagit: ubi quidem eam genuinam non eſſe arguit, quam Pet. Herigonus dare ſuſtinuit; nervum ſcilicet opticum ideo ad latus poni, ne pars imaginis in ejus foramen incidens pictura careat: id enim nunc quoque contingere ait, quod nempe ea objecti pars, cujus radii in centrum ſeu foramen dicti nervi feruntur, pictura ſua excidant, uti e manifeſtis experimentis conſtet, licet id communiter non advertamus. Veram proinde hujus rei rationem hanc potius eſſe ſtatuit, quia, ſi axis optici in ipſum centrum incideret, (uti ſane fieret, ſi nervus recta pone oculum inſereretur) inſigne hoc ſequeretur incommodum, quod ipſum cujuslibet objecti, a nobis ſpectati, meditullium appareret inviſibile, aut ſaltem obſcura ejus loco macula compareret: id quod vero viſioni non parum officeret. *Pag. 183.* Autor iis reſpondet, qui in homine pro defectu quodam reputare auſi ſunt, quod Natura ejus oculo nec *ſeptimum* muſculum, nec *membranam nictitantem* ſeu periophthalmium indulſerit, quibo tamen brutorum non pauca inſtructa compareant: nam muſculum quidem illum ſuſpenſorium inſigni uſui eſſe animalibus gramine veſcentibus ac victum humi conquirentibus, ut quæ abſque moleſtia & laſſitudine oculos tamdiu deorſum pendulos alias vix tenere valerent: homini vero tantum non omnino inutilem fore, cum is nec occaſionem facile, nec fere aptitudinem habeat pronum caput diutius ita demittere. Nictitantem vero membranam quod attinet, ranis, avibus, quadrupedumque

dumque nonnullis datam, ejus usum cum Boylio huc potissimum, redire conjicit, quo ipsius ope talium animantium, sentes, urticas, frondes arborum, algasque acutas frequenter nimis pervadentium cornea ab externis injuriis securior sit, membraneo hoc quasi specillo oculum illæsum conservante, nec tamen interim ob sui pelluciditatem, visionem in totum impediente: quo quidem auxilio homini ob diversam victus rationem non adeo fuerit opus. Plura hujusce modi ex Libello hoc excerpere proclive foret, nisi hæc pro instituti ratione sufficere posse crederemus. Cæterum optamus, ut Nobilissimus Autor, qui plura hujus generis, siquidem hæc bene exciperentur, posthac editurum se spondet, propediem promissi hujus fidem impleat, omnimodam ei prosperitatem & suave otium hunc in finem animitus apprecantes.

MUSARUM ANGLICANARUM ANALECTA, SIve, Poemata quædem melioris notæ, seu hactenus inedita, seu sparsim edita, in unum volumen congesta.

Oxoniæ e theatro Sheldoniano, 1692, 8. plag. 19.

EGregiam gratamque poeticæ studiosis operam navant, qui insignium poetarum monumenta, quæ vel seorsim edita, vel libellis parvis evulgata, injuriæ temporum exposita erant, certissimo exitio subtrahunt, & voluminibus singularibus inclusa, ab interitu vindicant. De Germanorum poëmatis hac ratione bene meritus est quidam *A. F. G. G*, sex tomis anno 1612 editis sub *Deliciarum* nomine ea complexus; Gallorum autem, Italorum & Belgarum monumentis idem officium præstitit, sub eodem titulo quadringentorū poëtarum carmina novem voluminibo comprehensa anno 1608. 1609. & 1614. evulgans *Janus Gruterus*, transpositu literarum *Ranutius Gerus* appellari cupiens, distinctos juxta gentes vatum choros ad posteritatem transmittens. Quem imitatus *Joh. Phil. Pareus* anno 1619 Hungaros poëtas uno collectos libro evulgavit. Istumque secutus *Jo. Scotus Scototarvatius* septem & triginta Scotorum suorum poëmata, sub eodem *Deliciarum* elogio, per *Art. Jonstonum* medicum & poëtam præstantissimum, anno 1637 in publicam lucem emisit; nec absimili studio septem illustrium Italorum poëmata *Balthasar Moretus* anno 1662 & *Dan. Elzevirius* anno 1672

publico dederunt. Eadem cura etiam movit Poëmatum horum Anglicorum collectorem, qui extantiora gentis suæ poëtarum monumenta fasciculo isthoc connexa asservanda duxit. Diversis ea ab autoribus scripta sunt, quorum plerique nobis antea nondum fuerunt cogniti: quam ob causam gratior nobis hic liber est, quod ejus beneficio in notitiam istorum sumus perducti, *Rad.* puta *Bathurſti*, *Th. Maſlert*, *Ph. Felli*, *Jo. Whitfeldi*, *Ed. Hanneſi* & aliorum. Quorum quidam haud infeliciter plectra moverunt in decantandis Regum suorum laudibus, iisque gratulando imperio conjugiove, *p. 22. 24. 33. 57. 172. 194.* aut funeribus eorum deflendis, *p. 27. 54. 61. 182. 189. 206. 211.* clarorum item virorum operibus aut inventis novis celebrandis, *p. 20. 48. 51. 90. 144. 292.* aut descriptionibus locorum institutorumque faciendis, *p. 7. 17. 77. 49. 99. 129. 165.* Satyræ etiam sale haud inficeto consperſæ inter analecta hæc reperiuntur; qualis *Eſtrangei* Epicureos, ex atomis omnia constare asserentes, in muscas transformatos fingentis *p. 41. Hai dingi* artem volandi repertam irridentis *p. 77. Dytoni* Polonorum, nescio quorum, pseudoprotestantium epulas insectantis *p. 82. Newtoni* conventicula fanaticorum dissipata irridentis *p. 86.* Auctio item librariæ tabernæ, cujus institor conturbarat *p. 221.* Sed ut reliqua omnia carmina prolixitate præcellit, sic elegantia nulli cedit *Raphaelis Thorii* pervenustum poëma de herba pæto, seu tabaco, ejusq; laudibus: quod duobus libris anno 1609, & iterum 1625 prodiit, sub titulo *Hymnus tabaci* a Lud. Kinschoto publici juris factum. Hoc recusum jam esse, & insertum syllogæ huic poëmatum a doctis Anglis scriptorum, non poterit non gratum esse his, qui elegantiarum istarum dulcedine ducti eas intercidere ut ægre ferunt, sic in talibus fasciculis constrictas asservari, usibus & delectationi posteritatis, gaudent.

LES COMEDIES DE TERENCE EN FRANCOIS par Madame D.

Comœdiæ Terentii Gallice redditæ, cum notis, Tomi III.

Amstelodami apud Jacobum Ollierum 1691. in 12. plag. 62.

Amste-

HAudquaquam illorum improbandum videtur ſtudium, qui transfundendis in linguam vernaculam Autoribus priſcis ſuam addixere induſtriam. Quam enim majoris pretii operam præſtare ſuis poſſint popularibus, Latinæ & Græcæ aliarumque linguarum expertibus, quam ſi ipſos earum elegantiarum reddant participes, quibus præſtantiſſima exterarum nationum ingenia ſuis civibus diſciplinas omnes ac bonas artes tradiderunt, rerum geſtarum memoriam conſervarunt, aut quibus aliàs quomodocunque tam ſuaviter eorum demulſerunt animos? Et iſto quidem labore jam diu de ſuis bene mereri voluit, quam ſæpius a nobis dictam & laudatam meminimus, doctiſſima fœmina, *Anna, Tanaquilli Fabri* filia, *Dacerio* eruditiſſimo itidem viro in matrimonium collocata. Ipſa enim, ut jam dudum ex Plauto nonnulla, nonnulla ex Ariſtophane, Anacreontis item ac Sapphus Poëmata Gallice reddidit, prout alibi de iisdem in Actis noſtris diximus; ita nunc *Terentii Comœdias ſex* in linguam patriam translatis, & Annotationibus luculentiſſimis illuſtratis, omnes Gallicæ linguæ peritos, inſigni elegantiſſimæ eruditionis monumento denuo ſibi devinxit. Quamvis enim non neſciret, verſiones Poëtæ amœniſſimi Gallicas & olim & nuper non unas fuiſſe adornatas, & multos ex eruditiſſimis Terentio interpretando incubuiſſe, nondum tamen bonum, ut loquitur, nos habere Terentium exiſtimat. Hanc itaq; in ſe ſuſcepit curam, ut quæ homines politiores in eo deſiderare forſitan adhuc poterant, adjiceret, Terentiumque adeo ſine hæſitatione perluſtrandum lectoribus exhiberet. Toti operi *Præfationem* præmiſit, in qua occurrunt non pauca annotatu digniſſima. Ac ab initio quidem inſtituta inter *Plautum* & *Terentium* comparatione, Plautum dicit plus habere ingenii, quam Terentium, quem etiam vivida actione nodisque intricatioribus ſuperet, & qui plus ſemper agendum ſuis quam loquendum injungat; cujus contrarium appareat in Terentio. Terentium tamen ipſum emendatum in compoſitione, & prudentem in argumentorum deductione eſſe; venuſtates autem multo frequentiores atq; gratiores propinare, ita ut nullus fere exiſtat verſus, qui lectores non capiat. Imprimis in *theſi*, ut *Varro* loquitur, ſive effingendis morum characteribus admira-

mirabilem esse, nec parem sibi habere; quod apte atque concinne efficere, quam difficile sit, ingeniose admodum ostendit. Terentium nullas intermiscere sententias, quæ in vitæ civilis commercio non possint locum occupare; Plauti vero affectationis plenas esse, nec ad vitam civilem satis accommodatas. Jocosa dicteria & facetias Terentii infinitæ urbanitatis deprehendi, & sequi eum in iisdem sectandis Platonicos, qui facetias tot semper Gratias esse præceperint; in qua parte tam feliciter se dederit, ut si duo vel tria loca excipiantur, nihil de cætero in eo sit, quod a scrupulosissimo etiam dici non possit: cum Plauti jocationes ex adverso multa ex parte insipidæ sint, & inficetæ. Plauti stylum purum quidem & amœnum, sed alicubi inflatum, alicubi nimis humilem esse & terra repentem; cum Terentii sermo ubique sibi constet, puro amni simillimus. Nec in tota Latinitate simplicius, gratius & politius aliquid reperiri, nec quicquam cum Terentianis dialogis comparari posse; ne ipsas quidem Ciceronis sermocinationes, in quibus characteres sint confusi, & verba licet facientibus Bruto, Lælio, Catone, Fanno aliisque, Cicero tamen sit ipse, quem lectores ubique audiant loquentem. Imprimis vero rem hanc unam consideratu dignam esse, quod quo frequentius legantur Terentianæ Comœdiæ, eo pulchriores videantur, & quod animas sublimiores magis quam mediocres teneant atque oblectent.

Post hæc *Translationis* suæ reddit rationem, quam quidem non verbum ait verbo reddere. Nam ut diversæ in unaquaque lingua Veneres sint, ita sibi hoc præcipue negotium fuisse, ut ipsius Terentii exemplo, suæ linguæ elegantias consectaretur; inde & aliquando circumlocutionibus, ut rem planiorem redderet, vel genio linguæ se attemperaret, opus fuisse. Ubi illis simul respondet, quibus institutum hoc, ut moribus bonis noxium, displiceat: cum & Patribus lectus hic sit Poëta, & alii tam Galli, quam Itali absque offensione idem præstiterint.

Quod ad *Annotationes* spectat, *Donatum* inquit sine dubio optimas concinnasse, si modo restarent nobis integræ; cujus tamen vestigia premenda Commentatoribus subsequentibus, neque tantum circa difficiliora loca explananda, sed & circa elegantias eruendas, fuerint. Patrem suum, *Tanaquillum Fabrum*, integrum Com-

Commentarium in Comicum hunc edere in animo habuisse, nisi mors conatibus ejus intercessisset. Cujus tamen proposito instituram se, ejusque subsidiis usuram esse profitetur. Et profecto istis in notis multa afferuntur summo judicio, quibus vel ritus vetustus explicatur, vel historia declaratur, vel ad mores & affectus pertinentia deducuntur, vel quæcunque antiquitas illustratur. Multa etiam sunt, quibus verus Poëtæ sensus asseritur, quibus suo ex ingenio legitimus verborum positus restituitur, & quibus versionis ratio a Comici textu paululum abludentis, redditur; multa denique alia, quæ ex reconditissima eruditione deprompta apparent.

Quamvis vero ipsarum Comœdiarum ordinem immutare *Daceria* noluerit, licet easdem non secundum temporis rationem, quo actæ sunt, sed ut quæque alteram præstantia superare videretur, a *Volcatio Segidito* dispositas non ignoraret: Scenas tamen & Actus paulo aliter alicubi distribuit; cum adeo confusi alicubi sint, ut loco plane alieno Actus inchoentur, Theatro nondum vacuo. In quibus omnibus, post absolutas in Comicum hunc & prælo jam destinatas curas, mirum in modum confirmatam se fuisse scribit duobus *Manuscriptis* codicibus e regia Bibliotheca sibi communicatis; qui ideo apprime memorabiles sint, quod in frontispicio singularum scenarum figuras exhibeant, quæ in multis Poëtæ lucem affundere possint. In universum tamen quatuor exinde colligit. *Primo*, quanquam non admodum eleganter delineatæ sint, apparere tamen exinde putat, gestus & habitus accurate motibus animi respondere, quos Comicus ipsis Actoribus attribuerit; nec dubitat, quin Terentii tempore Actores gestus plane eosdem egerint. *Deinde* notat, nullum Actorem fuisse, qui faciem persona non obtexerit; inde in frontispicio uniuscujusque Comœdiæ tabulam esse, tot personas exhibentem, quot actores sunt; personas vero ita exhibitas fuisse, ut totum caput involverint, comis etiam adscititiis eisdem appositis; qualium personarum imagines æri incisas Daceria in tabula simul repræsentat, & quales jam a *Fulvio Ursino* in Veteri Triclinio, nisi fallimur, etiam exhibentur. *Porro* pallia mancipiorum tam brevia in iisdem apparere, ut nunc sunt Italorum, Comœdias exhibentium, sed multo laxiora: actores illis fasciarum aut cingulorum in vicem usos fuisse. *Denique* exinde patescere,

januis

januis ædium fere omnium intus velum appensum fuisse, quod si quis foribus adstans remotum cuperet, eorum quæ intus gerunturi, inspiciendorum gratia, istud nodis constringendum fuisse, quod virgularum & annulorum hodie contrahendis sipariis inservientium usus nondum invaluisset. Hæc igitur manuscripta ait annotationes suas egregie stabilire. Ex. gr. cum *Daceria ad Act. IV. Scen. 4. Andr.* ubi *altaris* fit mentio, altare illud monuisse istud esse non posse, quod semper theatro imponebatur Apollini consecratum; sed qualia Athenis conspiciebantur in plateis, ubi unusquisq; altare ejusmodi foribus suis adjunctum habuerit: id ita expresse in figuris istis conspiciendum dari. Sic disputare eruditos, quo in statu sit *Menedemus* in *Heautont.* cum *Chremete* loquens, an ut in agro opus faciens, an ut instrumentis rusticis onustus Lares domesticos repetens; & ultimum se statuisse, nec aliter eundem in imagine repræsentari. Pari modo, quæ in Scenarum & Actuum ordine mutata a se sint, abs Manuscriptis istis plane approbari. Sic Actum V. in *Adelphis* communiter initium sumere a scena: *Ædepol, Syrisce, te curastimolliter*; se vero ostendisse, erratum hoc esse ingens, actum inchoare nondum vacuo theatro; & hanc propterea & sequentem scenam ad Actum quartum pertinere; in quo plane unum ex Manuscriptis consentiat. Sed ne aliquid desset Terentio, adjecit denique etiam ipsius *Vitam Auctoris*, ut a *Suetonio* concinnata est, sed Gallice versam & observationibus eruditis illustratam. Id enim maluit, quam de alia componenda cogitare, in qua tamen nihil novi dicere habuisset.

LES OEUVRES D' HORACE TRADUITES en François &c. hoc est,

Opera Horatii translata in linguam Gallicam; una cum Annotationibus & Observationibus Criticis in totum opus. Auctore Dn. Dacerio. Tomi X.

Lutetiæ Parisiorum apud Thierry & Barbinum. 1691. in 12. Constant Alphabetis novem, in charta augusta, & cum figuris.

VIx recensu Comœdiarum *Terentii* ab eruditissima Dacerii *Uxore* in linguam patriam conversarum & notis illustratarum per-

perfuncti eramus, cum Lyricorum Poetarum princeps, *Q. Horatius Flaccus*, eodem instituto & eadem eruditionis elegantissimæ copia atque accurata diligentia, ab ipsius Marito, *Dacerio* ipso, perpolitus atque exornatus nobis exhibetur. Et animum ipse quidem habuerat, ad loca quædam Horatii male intellecta, aut quorum difficultates hactenus permanserant intactæ, annotationes nonnullas strictiores, easque Latine edendi. Cum vero ab amicis laborem istum sine fructu fore admoneretur, quod eo ipso non tamen omnium locorum explicationem in promptu lectores habituri essent; compulsum se esse ait, ut integro in Poëtam suavissimum Commentario elaborando adjiceret animum, quem tamen Gallice prodire maluerit, ut pluribus prodesset, & magis ipsa novitate placeret. Enimvero cum *sex* præcipue *capita* in Poëtis enucleandis observanda veniant: historia, linguæ elegantia, vocum emphasis, figurarum concinnitas, epithetorum convenientia, sensus allegorici evolutio; non diffitendum est, doctissimum *Dacerium* in singulis egregie spartam susceptam exornasse. Sane enim, quod circa primum vel maxime sollicitus fuit, id quamplurimis Odis clarissimam lucem affudit, cum hac ratione manifestum evaderet, & quo tempore, & qua occasione scriptæ fuerint. Quod utique, ut ipse etiam observat, magnam utilitatem præbere possit vitæ Horatianæ descriptionem multo exactiorem, quam quæ habentur hucusque, molientibus. Ex justa enim Odarum secundum temporis ordinem dispositione, multo certior notitia actionum Horatii præcipuarum, & quicquid urbane ac festive, quicquid etiam occulte & intra velum perfecerit, hauriri potest. Nec minus tamen conflat, in illustratione reliquarum quinque partium, magnum elegantiarum numerum retexisse *Dacerium*, quas vel ante eum nemo animadverterat, vel quas corruperant interpretes, dum explicare instituunt: & vero quantum ex ipsius libri inspectione observare datum est, loca sunt plus minus quadringenta & nonaginta, quibus vel male explicatis sensum genuinum asseruit, aut ubi verum Odæ, Satyræ, vel Epistolæ argumentum idoneis ratiocinationibus eruit. Nam ut ex tam multis pauca saltem afferamus, neminem dicit elegantiam *Odæ VII. Lib. 1.* satis capere posse, si vulgares Interpretum commentationes sequatur, qui Horatium dicant

in eadem voluisse Sybarin molliter luxuriosum & voluptati perdite nimis deditum perstringere: cum Lydiam potius increpet, quod Sybarin sub puellæ habitu apud se latitantem detineat. Ita persuasio circa *Odam XIV. Lib. I.* jam inde usque a quindecim seculis, ipsomet hanc explicationem præeunte Quintiliano, extitit, Horatium sub *navis* nomine *Rempublicam* ipsam alloqui. Sed contra *Dacerius* monstrat, Horatium hanc navim alloqui, qua ipse post Bruti internecionem Philippis in Italiam revehebatur, eodem cursu, quem & illi tenebant, qui antea se comites ipsi in hoc itinere adjunxerant. Isti vero cum non eadem felicitate in Aulæ gratiam insinuare se possent, qua egregie florebat Horatius, hoc ipsis superfuisse reliquum, ut fuga salutem quærerent, Augusti iram & persecutiones evitaturi. Hujus igitur navis discessum suis votis precibusque Poëtam persequi, non aliter ac navem Virgilium vehentem bonis apprecationibus prosecutus sit. Ad *Odam II. Lib. III.* communiter reprehenditur Horatius, quasi alienum nimis episodium attexuerit, cum juvenes acri militiæ operam strenue dantes dilaudasset primo, mox in laudem silentii loco prorsus inconvenienti esset effusus. Sed *Dacerius* ostendit, ipsos interpretes censura hac egregie falli, cum Horatius in hac Oda intrepidum animum, virtutem, & silentium denique commendare sibi proposuerit; ex quibus primus ad bellum, altera ad pacem, & tertium demum ad religionem pertineat. *Lib. II Od. XVI*, de animi tranquillitate & coërcendis cupiditatibus, qua in re vera consistat felicitas, multa præcipit Flaccus. Sed hæc omnia *Dacerius* allata occasione, Horatio ad istam Odam perscribendam suppeditata, illustrat. Cum enim A. U. C. DCC XXIV abire imperio decreverit Augustus, ut in quiete, quod reliquum ætatis supereſſet sibi transigeret, & res hæc multis hominum sermonibus frequentaretur; non dubium supereſſe, quin totius Odæ hoc argumentum sit. Inde enim, cum, ut *Seneca* loquitur, Augusti *omnis sermo ad hoc revolveretur, ut sibi pararet otium*, causam apparere, cur & Odam hanc voce ista *otii* inchoaverit, eandemque sæpius postea repetiverit. Sed hæc brevissimis ex diffusissimo opere, speciminis loco, retulisse sufficiat.

M O-

MONVMENS ANTIQVES,

i. e.

Monumenta antiqua; edita ſtudio ac opera *F. D. A.*

Pariſiis apud Florentinum & Petrum Delaune, itemque Ludovicum Lucam, 1690. in 4. Conſtant plag. 2. & fig. æneis 4.

DOctiſſimus Antiquarius, cujus nomen literæ initiales innuunt, monumenta antiqua, quæ *Galliarum Rex* magnificentia nunquam non admiranda, ex toto paſſim orbe conquiſivit, commentariis illuſtrare induxit animum. Nobis non niſi initium utiliſſimi Operis, vel quoddam potius ejus ſpecimen videre licuit. Concernit id *Sarcophagum* ſenis pedibus longiorem, ex candido marmore exciſum, ac hac epigraphe hactenus inedita notatum:

D. M.
Q. LUTAT. C. F. PRAEF.
CLAS. COS. DES. OB RES
DE POEN. FEL. GESTAS
C. LUTAT. CATUL.
FRATRI
PIENTISSIMO.

Hoc eſt: *Diis Manibus. Quintus Lutatius Caji filius, Præfectus Claſſis, Conſul deſignatus, ob res de Pœnis feliciter geſtas Cajo Lutatio Catulo Fratri pientiſſimo.*

Cajus hic *Lutatius Catulus* cum A. Poſtumio Albino Conſul fuit, ac antequam adverſus Carthaginenſes victoriam obtinuit navalem, in Sicilia, dum fortalitium quoddam oppugnat, grave acceperat vulnus, ex quo negligentius habito, anno ſequenti, poſtquam jam triumphum Romæ egerat, deceſſit, relicto filio cognomine, qui viginti annis poſt cum L. Veturio faſcibus Conſularibus potitus eſt. Iſti ergo ſarcophagum paravit Quintus Lutatius, frater, quem *Cerconis* cognomine gaviſum, numus triumphalis apud Goltzium & Urſinum evincit; quod contra Caſſiodorum probe notandum, non Quinto, ſed Cajo Lutatio, *Cerconis*

cognomen falso tribuentem. Cui rei enarrandæ dum incumbit Autor, Historiam horum fratrum ex Polybio, Livio, Orosio, aliisque contextam, numismatibus e Goltzio adjectis collustrat, quorum tertium, idque ultimum, in altera area intra coronam querceam literas Q. LUTATI, & triremem, in area altera caput Genii urbis Romæ, galea, quæ spica & duabus stellis ornatur, tectum, ac superius vocabulum ROMA, inferius CERCO exhibet, *Triremis*, ut & *stellæ* Castoris & Pollucis, lucem fœnerantur titulo PRÆ Fecti CLASsis; *spica* autem suppeditat conjecturam, magnam frumenti copiam a classe illa Romam aliquando, jussu ac studio Q. Lutatii Cerconis, advectam.

IOSEPHI LANZONI DISSERTATIO DE IAtrophysicis Ferrarienſibus.

Bononiæ apud Jos. de Longis 1691. in 4. Pl. 2.

UT Ferrariam, patriam suam, non Apollini minus quam Marti amicam semper fuisse, Auctor hic Clarissimus, nec *Recuperatorum* tantum Patavii, & *Incitatorum* Faventiæ, sed & *Academiæ Curiosorum* Germaniæ Collega, evinceret, Dissertatione præsenti catalogum texere voluit Medicorum Ferrariensium, & eorum quidem, qui Medicinam scriptis illustraverunt. Incipit ab *Antonio Musa Brasavola*, cui, cum ad annos nonaginta vitam produxerit, ad libros bene multos componendos spatium non defuit: desinit in se ipso, Opusculaque a se edita enumerat, plura, ut apparet, cum tempore editurus.

JOSEPHI LANZONI PHIL. ET MED. D. &c. Dissertatio Medica de Clysteribus.

Ferrariæ apud Hieronymum Filonium, 1691. in Fol. constat plag. 2.

EN novum Lanzoni Opusculum, post Dissertationem jamjam memoratam editum. In eo Clysteris definitione & nominali & reali præmissa, de Clysmatum diversitate & administratione imprimis solicitus, diversitatem eorum cum a materia, tum ab effectu desumit. Ratione nempe materiæ, Clysteres vel simplices, vel compositos; ratione vero effectus, alios alterantes, alios emollientes, alios purgantes, flatus discutientes, adstringentes, glutinantes, dolorem lenientes, vermes necantes, nocturnos, nutrien-

trientes &c. considerat, quorum hos nihilominus non tam nutrire, quam odorum adinstar vires languentes reficere posse asserit. Quoad administrationem autem sive usum enematum, varias circumstantias, v. g. quantitatem eorum & qualitatem, tempus morbi, situm ægri, fidem Pharmacopœi clysteres rancidos & corruptos haud exhibentis, neque saccharo & melli syrupos jam corruptos substituentis &c. perpendit. Tandem, antequam rariorum Symptomatum Clysterum insequentium enarratione finiat, ob analogiam de Recentiorum quoque clysmatica disserit chirurgia, efficaciam hujus salutarem in cane scabioso propria experientia confirmans; canem quippe, cum liquoris sui in scabie appropriati parvam quantitatem in venam injecisset, frequenter primum cœpisse vomere, mox tamen vomitu, cessante comedisse, ac quindecim dierum spatio penitus a scabie immunem evasisse.

PHARMACOPOEA BATEANA. EDITIO ALTERA. Cura J. Shipton Pharmacopœi Londinensis.

Londini apud Sam. Smith. 1691. in 12. plag. 12.

NOndum quadriennium elapsum est, cum Pharmacopœa præsens primum prodiret, a nobis in *Actis A.* 1688. p. 817. recensita. Altera tamen ejus, quæ hic exhibetur, editio priori locupletior, tam vires & doses remediorum plerumq; antea neglectas, quam aliorum etiam medicaminum omissorum compositionem simul edocet, v. g. Apozematis potenter expectorantis, Aquæ Camphoratæ, Aquæ Cinamomi cardiacæ, Aquæ Cinam. hordeatæ, Aquæ Cosmeticæ, Odoriferæ, Stipticæ, Balsami Splenetici, Cataplasmatis Cephalici, Cataplasmatis ad Paronychiam, Cerevisiæ Oxydorcicæ, Decocti analeptici, dysenterici, ad Rachitidem, Rubiæ Tinctorum, Rubicundi, Traumatici, Electuarii chalybeati, Macis, Elixiris Vitæ, Emplastri spasmici, Gargarismatis albi, Julapii antiscorbutici, Ahstmatici, Linctus hæmoptoici, Mixturæ anticolicæ, Noduli Facialis, Panaceæ aureæ, Pastæ regalis pro emulsionibus, Potionis hydropicæ, Pulveris Cardiaci rubei, Pulveris epidemici aurei, Sacchari ambarati, Spiritus Dracunculi, Syrupi ad fissuras, Synapi hæmoptoici, Tabularum Catharticarum, Emeticarum, Vini hydropici, Vitrioli camphorati, Un-

guenti fusci, ophthalmici, & sympathetici. Arcana desuper Goddardiana revelat ex autographo Jonathanis Goddardi M. D. celeberrimi, Collegii Medicorum Londinensium nuper Socii, ac in Collegio Greshamensi Medicinæ Prælectoris desumpta, e. g. Aquam Absinthii compositam, Alexiteriam, Cochleariæ compos. Aquam Cordialem, Balsamum magis comp. minus comp. Electuar. Antepidemicum, Extractum Catharrhale, Infusionem Aperientem, Spiritum Raphani comp. Syrupum Guajaci comp. Tincturam amaram comp. &c. Indicem denique Morborum, Curationum &c. suggerit.

JOHANNIS MOLLERI FLENSBVRGENSIS Isagoge ad historiam Chersonesi Cimbricæ quadripartita: sive, Ἀποσπασμάτιον Cimbriæ literatæ.

Hamburgi, impensis Goth. Liebezeiti. 1691. in 8. plag. 21.

HIstoriam patriam, quam neglectam pene hactenus queritur, diligentius excolere, ejusque interiora adyta accuratius pervestigare, & archæologiam in lucem revocare studens doctus Cimber, Libri hujus Autor, primam hanc curam suam existimavit, ut omnes gentis suæ scriptores evolveret; quorum cum plures quam duas chiliadas sibi suppetere, in Præfatione indicet, quantum exantlandum ipsi sit studium, manifestum est. In quo ut juvetur, opem rogat ab his, qui Monasteriorum bibliothecas, Regum, Principum & Civitatum archiva, aliaque monumenta eo spectantia servant, e quibus patriæ res exactius intelligi possint; quarum Annales, si fabulosa commenta demantur, ne unicæ quidem annorum chiliadis memoriam continere affirmat. In scriptoribus igitur istis perlustrandis dum versatur, *literariam* patriæ historiam sibi natam profitetur, quam quinque abhinc annis in epistola ad Marqu. Gudium promiserat. Istius specimen sive Isagogen, quam vocat, quatuor partibus distinctam editurus, *primam* earum hoc libro nunc exhibet, in qua antiquos pariter atque recentes, editos ac ineditos scriptores recenset, qui historiam Ducatus Slesvicensis & Holsatici (hos enim confundendos haud esse *p. 2.* docet) chorographicam (*cap. 1.*) naturalem (*cap. 2.*) antiquariam (*cap. 3.*) civilem (*cap. 4. 5. 6. 7. 8. 9.*) vel integram condiderunt, vel ex parte juvarunt; eos item, qui Regum Daniæ, inprimis

Olden-

Oldenburgicorum, & Ducum ex ea familia Holſatorum, genealogias contexuerunt, (*cap. 10. 11.*) aut Daniæ Regum vitam, laudes & res geſtas ſeorſim expoſuerunt, (*cap. 12. 13.*) illuſtresque Nobilium familias, Ranzovianam cumprimis, ſcriptis illuſtrarunt, (*cap. 14.*) Juris publici & privati, ac legum, tum Cimbricæ Cherſoneſi univerſæ, tum ſingulorum in ea Ducatuum, Sleſvicenſis & Holſatici, ſeorſim conſideratorum, notitia unde petenda ſit, (*cap. 15.*) oſtendit. Breviter autem licet omnia exequatur, judicia tamen de ſingulis Scriptoribus interponit, & ætatem, editiones, editoresque eorum ſtudioſe annotat, aliaque in medium affert lectu non injucunda, prolixiores de ſingulis auctoribus ac libris, quos memorat, obſervationes in Opere ipſo, cujus veluti delineationem profert, orbi erudito daturus, qui iſtud gratus excipiet; æque ac clariſſimi Viri *Jo. Dan. Majoris* Memorias Cherſoneſi Saxo-Cimbricæ præſtolatur; cujus Operis inſignis ſpem in hoc libro facit Autor, ex epiſtola ipſius ad Jo. Cruſium anno 1686 data nos admonens, in Opere iſto exhibitum iri quicquid antiqui undecunque poteſt corradi de Wagriæ, Stormariæ, Dithmarſiæ, Holſatiæ, Slesuici & Jutiæ, ad promontorium usque Scagenſe, urbibus, arcibus, cœnobiis, prædiis, templis, curiis, ſepulchris, palatiis, ruderibus, & aliis ædificiis publicis ac privatis, ornatu ſacerdotali antiquo, reliquiis, campanis, bibliothecis, harumq; priſcis codicibus, ſigillis, ſtatuis, tabulis, monetis, armis, veſtibus, rebus intra terram aut arbores & muros ac ſepulchra repertis, aut cœlo prodigioſe lapſis, theſauris inventis, & alia ſupellectile omni, iſtarumque rerum inſcriptionibus, delineationibus & cippis ab omni antiquitatum perſcrutabilium abyſſo ad annum uſque 1500. In hoc opere abſolvendo, ut & *Flora Cimbrica* (de qua Autor *p. 13.*) prodenda, nec non *Muſeis rerum naturalium & artificialium* (de quo opere *p. 14.*) exhibendis, ut ſpem noſtram impleat, cum Autore optamus. Ipſum autem reliquas tres Iſagoges hujus partes proxime publico daturum eſſe, nulli dubitamus; quarum in *altera* Hiſtoriæ Ducatuum Slesvicenſis & Holſatici eccleſiaſticæ & literariæ univerſalis; in *tertia* Hiſtoriæ Ducatus Slesvicenſis ejusque provinciarum & civitatum particularis; in *quarta* denique Hiſtoriæ Ducatus Holſatici ejusque regionum & urbium (Lubecenſis inprimis & Hamburgenſis) particularis Scriptores recenſitum iri, Præfatio indicat.

I N-

INTRODUCTION A LA FORTIFICATION, par Mr. de Fer &c.

hoc est

Introductio in Architecturam militarem, auctore Domino de Fer, Regio Delphini Geographo &c. Pars I. & II.

Parisiis apud autorem Anno 1690. & 1691. in folio. Constat paginis omnino 52, quarum 45 sunt iconismorum.

PRæsens Liber duas Operis partes exhibet, quod *Introductionem in architecturam militarem* inscribere visum est Autori. Harum *Prior* circa prima artis rudimenta, hoc est, terminorum in ea occurrentium definitiones occupatur, & res per eosdem notatas ex adverso positis iconismis elegantibus, tyronum oculis luculenter exponit. Quatuor eorum, notiones explicant figurarum, quas architectus e Geometria mutuo sumit; alii sex, terminos arti proprios, beneficio ichnographicarum descriptionum, pentagoni regularis pro angulis & lineis ipsius munitionis intelligendis; hexagoni vero pro operibus externis: quos ichno-ortho-& scenographicæ delineationes excipiunt cum partibus suis; cum figuris diversarum munitionum muniendique modorum, instrumentorum etiam bellicorum, expugnandis defendendisq; locis factorum, una cum specie & apparatu tum oppugnationis alicujus propugnaculi, tum circum-& contravallationis integræ munitionis.

Altera partem exhibet roboris (ut *autor* nuncupat) ipsius Europæ, hoc est, schematismos celebriorum Europæ munimentorum, quæ varia sistunt artificia architectorum hujus seculi insigniorum, & præcipue Gallica. Has præit delineatio castrorum Delphini prope Elzæ & Rheni confluentes autumno anni 1690 positorum, cum conflictui se subduceret insequentis ejus exercitum Electoris nostri Jo. Georgii III. glorioſiſſimæ recordationis. Inter munimenta primo loco conspicua sunt, quæ plurimam pleræq; materiam hactenus Novellis præbuere, *Augusta Taurinorum*, *Pinarolium*, *Casale*, *Veruca* (Verve) *Nicæa*, *Cuneum*, *Mons Melianus*, *Miolanum* (castellum *Montemelano* duabus leucis distans *Colonia Allobrogum*, *castrum Hunningense*, *Landavia*, *Mons regalis* (Mont Royal) *Hermanni Saxum* cum vicina *Confluentia*, *Bonna*, *Moguntia*, *Caletum*, *Dunquerca*, *Montes Dicti Vineci* (Vinoxbergen) *Montes Hannonia*, *Namurcum*, *Athum*, *Antverpia*, *Trajectum ad Mosam*, *Carolo-Regia* (Charleroy) *Dinantium*, *Juliacum*, *Stetinum*, *Wismaria*, *Caminecium*, *Podolia*. Pollicetur vero *Autor* in singulos annos novam operis partem, et numero icones, atque secunda hæc, exhibituram cæterorum Europæ locorum munitiorum: quæ Curiosis, qui horum cognitione capiuntur, & vel ipsa obire loca nequeunt, aut ipsas munitionum rationes oculis usurpare prohibentur, gratissimum præbituræ sunt spectaculum.

(o)

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Martii Anno M DC XCII.

ADENOGRAPHIA CURIOSA ET UTERI Fœminei Anatome nova, cum Epistola ad Amicum de Inventis novis.

Autore

Antonio Nuck, Med. Doct. in Academia Lugduno-Batava Medicinæ Anatomicæ Professore & Collegii Chirurgici Præside.

Lugduni Batavorum, apud Jordanum Luchtmans, 1692. in 8.

Constat plagulis 12. & Figur. Tabul. 9.

Quod *Lymphographia generalis specimen* de glandularum conglobatarum fabrica *Nobilissimus Autor in Sialographia* promisit, cujusque mentionem in *Actis A. 1690. p. 299.* injecimus, in *Adenographia* præsenti optato exhibet *tredecim e capitibus* coagmentata. *Cap. I.* de Glandulis in genere agens accuratiorem glandularum, & conglobatarum & conglomeratarum, texit catalogum, sub quinquaginta tribus eas quoque comprehendentem, quæ a *Whartono* omissæ, postmodum vero ab aliis pariter, atque a *Nostro* inventæ fuerunt, v. g. glandulæ meatus auditorii, labiales, hypoglottidis, occipitales, cervicales, suprascapulares, sterni, submammillares, pulmonum, diaphragmatis &c. *Cap. II.* Glandulas conglomeratas vulgo dictas e minutissimis vasis sive arteriolis, sanguinem variis particulis turgidum vehentibus, ac in duo vascula, venosa nempe & excretio-

cretoria, desinentibus compingi, ope liquoris syringa tum per ductum excretorium, tum per arteriam injecti, glandulas minores a se invicem separantis earumque vascula tenella distendentis, demonstrat. Speciatim in conglomeratis mammarum glandulis continuationem arteriolarum cum excretoriis canaliculis spectandam sistit, quando vel Tincturam quandam paucissimis tamen cognitam per vas arteriosum ad tubulos usque lactiferos propellit, vel Mercurium etiam suum, omni liquore lacteo prius expresso, osculo cuidam excretoriorum ductuum in papilla patentiori dextre injicit, ductus tunc non solum lacteos eleganter ramificatos replentem, sed ad vascula etiam arteriosa iisdem continua penetrantem. Valvulas siquidem ductuum lactiferorum mera nonnullorum figmenta esse, cum quidam horum variis in locis angustati, non tam valvularum ratione, quibus destituuntur, quam intuitu substantiæ adiposæ duriusculæ, tubulos galactiferos nimium aliquando comprimentis, injecto liquori obsistant. Ut verum autem tubulorum lactiferorum delineationem ab Anatomicis hactenus neglectam suppediter, e quavis glandula vasculum excretorium egredi, tria hinc, quatuor, vel quinque eorum in truncos minores diversis in locis coire, atque ex his demum multiplicia, septem, octo, vel novem, vasa excretoria notabilis magnitudinis componi annotat, quæ tamen, antequam papillam totidem osculis quoad situ variantibus perforant, denuo pro involuntario lactis egressu impediendo arctentur, ac anastomosibus quoque inter se, ne uno alterove poro papillari fore obstructo lac in tubulis stagnare cogatur, communicent. Pro lacteis vero partibus a sanguine in arteriarum extremis sequestrandis, ubi hæc glandulas mammarum subeuntia ductuum galactiferorum principia constituunt, tametsi spiritus etiam per nervos numerosissimos affluentes requirat, utpote ductuum porulos expandentes, lactis acrimoniam, si adfuerit, temperantes, gratumque eidem sui admixtione saporem conciliantes; alios nihilominus ductus, quos vel a ventriculo, vel a ductu thoracico ad mammas abire nonnulli comminiscuntur, neutiquam admittit. Purgantium enim v. g. & croci saporem atque odorem non magis per alias vias lacti imprimi, ac per quas subtiliores etiam alimentorum partes e ventriculo ad transpirationis organum deferri, ibique assumptorum quodammodo odorem

rem ſpirare ſoleant; neque ullos unquam ductus demonſtratos fuiſſe, qui e ductu thoracico lactis materiam ad mammas apportarent, facile tamen inſtar aliorum vaſculorum lacteorum, ſi darentur, inveniendos, vel etiam Mercurii adminiculo detegendos, quippe qui ſæpius quidem vaſcula nonnulla ductui thoracico lateraliter inſerta, aſt non lactea, ſed lymphatica ex valvularum renitentia patefecit. *Cap. III.* in mammarum papillis, præter vaſa ſanguinea & nervoſa, cutimque anterius variis foraminibus perviam, interiorem ſtructuram fibroſam glandulis conglobatis analogam declarat, poſtquam omni ſanguine lacteque expreſſo in papilla inflata & in aere libero exſiccata duplicem fibrarum ſeriem ipſi integumento firmiter adnexam microſcopii ſubſidio obſervavit; alteram quidem e majoribus retiformibus, alteram vero e delicatiſſimis fibris, regularem ordinem ſervantibus, compoſitam ac exiguis admodum variæque formæ foraminibus pertuſam. Unde cauſam, cur papillæ ex contactu infantumve ſuctione erigantur, promte in ſanguinem æque copioſiorem fibrarum interſtitia diſtendentem, ac uberiorem ſpirituum acceſſum rejicit, ſimulque papillarum fiſſuras a ſanguine dirius ibi ſtagnando acrimoniam concipiente porosque cutaneos perfringente deducit, ſymbolam tamen & lacte acido vitiataque lactantis infantis ſaliva conferentibus. Aſt tractationem glandularum, quas conglobatas vulgo denominant, primario iniens *Cap. I.* duplicem harum membranam explanat, exteriorem alteram tenuiorem cum ſubjecta ſtrictiſſime plerumque cohærentem ac fibris potiſſimum circularibus conſtantem, alteram interiorem magis craſſam & compactam fibrisque longitudinalibus, circularibus & obliquis ſemet inſinitis ſocis, ſed ordine plane irregulari, tangentibus donatam; quarum prior non a peritonæo, ſed a vaſis potius quatuor, duobus adducentibus & totidem abducentibus, utrique membranæ communibus, reſultare videatur. *Cap. II.* internam glandularum conglobatarum texturam fibroſam duplici encheiriſi eruit: primo quidem Mercurium ſuũ tam per vaſa lactea ad glandulas meſenterii, quam per lymphatica adducentia ad alias glandulas conglobatas impellendo, quo figura ſingularum & ſuperficies exinde mutatæ de internis arteſtarentur cavernulis, occaſionem prinam ante biennium ſubjecto humano violenta morte peremto ſuggeren-

te, cum in hoc quamplurima adhuc vasa lactea chylo turgida mesenterii que glandulæ succo quodam tumentes apparerent. Deinde dum flatum, expulso & expresso omni glandulæ liquore vaseque ex glandula prodeunte ligato, per oppositum vas lymphaticum glandulam subintrans immittit, ac hoc etiam vase ligatura intercepto, glandulam flatu distentam in aere calidiore exsiccat, præter membranam ambientem statim fibrosum ejus deprehendit contextum e fibrillarum, inter se & cum tunica investiente cohærentium, diversis speciebus efformatum. Qui muscum quoniam arboreum fere repræsentat, glandulas conglobatas æque apte *muscosas* appellari posse, ac conglomeratas *vasculosas*, indigitat, omnem fibris hisce cavitatem, ceu quæ nec microscopio adinveniri valeat, denegans. Quod autem glandularum ista compages nunc laxior occurrat, nunc strictior, diversæ lymphæ quantitati eandem magis minusve expandenti adjudicat, prout variantem glandularum colorem, nunc gryseum, nunc flavescentem, nigricantem modo, modo variegatum, a varia humoris naturalis vel vitiosi constitutione, tingente diversimode, derivat, glandularum sæpe interstitia succo non limpido, sed viscoso, & interdum materia plane sabulosa replentibus, aut integris etiam glandulis in calculum, præsertim in homine, degenerantibus. *Cap. III.* quatuor glandularum conglobatarum evolvit vasa, instar fibrarum ab una ad oppositam earum partem diversimode protensa, arteriolas videlicet & venulas Mercurio replendas, adstantes hisce copiosissimos nervulos, & vasa denique lymphatica, non ubivis tunica simplici, nec eadem subtilitate prædita, cum lymphatica majora saccoque chylifero, ductui thoracico, venæ subclaviæ axillarive, propinquiora tunicam reliquis crassiorem obtineant, ductusq; thoracici membrana in duplicem laminam dispesci valeat. In ipsa autem lymphaticorum tunica, quæ pellucida & tenuis nudo oculo conspicitur, microscopio adhibito infinitos advertit globulos, majores & minores, contactu mutuo ita inter se cohærentes, ut nonnulli eorum ductulos aliquos irregulares arearum in modum dispositos variisque anastomosibus inter se junctos æmulari videantur. Similes etiam globulos in duplici quoque ductus thoracici lamina (ob arctiorem sui unionem omnem muscum, quem Bilsius intra eandem fingit, excludente,) microscopii auxilio describit,

bit, sub hac tamen disparitate, quod in exteriori manifestissime corpuscula, tam orbicularia, quam ovalia, racematim hinc inde connexa, in interiori vero eadem, sed minora longe & obscuriora, deprehendantur. E diverso in tenuissimis lymphaticorum valvulis, microscopio examinatis, innumeras cum interjectis corpusculis orbicularibus observat fibras ab una in oppositam partem exporrectas, & totidem quasi fibras motrices repræsentantes, quibus valvulæ contrahi & relaxari possent, usum talem valvularum ductus thoracici valvula confirmante, dum præter fibrillas modo propositas in extrema ora alius naturæ fibrillas obtinet, partim cruciaria figura in sese incumbentes, partim secundum longitudinem extensas & vicinis valvulæ partibus adnexas. Ab aliis tameri, qui vasa lymphatica pro glandularum conglobatarum excretoriis habent, Noster ideo dissentit, quod aliarum partium æque ac mesenterii glandulis lymphatica & adducentia & abducentia obtinentibus, lymphatica illa originem aliunde petant, glandulamque saltem propter lympham subtiliorem in iisdem a spirituum cumprimis accessu reddendam pertranseant, prætereaque tam arctus sæpe inter lymphatica & arterias connexus annotetur, ut flatus arteriolæ immissus lymphaticum simul alicujus glandulæ distendat, ejusque lympha frequenter sanguinea & loturæ carnis adinstar tincta appareat. Vasorum quippe lymphaticorum exortum ab arteriolarum surculis, eumque aliquando intermedia vesicula, aliquando immediatum ab ipsa arteria venave, *Cap. IV.* triplici docet experimento: (1.) enim spiritu in lienis vitulini probe elutriati arteriam fortius adacto, non tantum plurimas exiguas in superficie ejus elevari vesiculas, sed ex his vasa prodire lymphatica flatu pariter turgida & lienem perreptantia, eo quidem copiosiora, quo diutius arteria inflata fuerit. (2.) arteriis item pulmonum hominis prius elotorum copioso aere infarctis, e superficie externa horum lymphatica emanare, varias anastomoses cum vicinis componentia. (3.) denique in testiculo virili venis spermaticis, loco arteriolarum nimis exiguarum, inflatis, e vaginali ejus tunica vas unum alterumve lymphaticum egredi. Sanguinem tamen sub forma sanguinis in statu naturali minime subintrare vasa lymphatica, quia angustissimi arteriarum canaliculi ob pororum formam omnes particulas heterogeneas

neas excludant, transitumque unice liquori lymphatico præbeant, similem in modum, ac arteria splenetica solum aerem injectum, non Mercurium, ad lienis lymphatica transmittit. Veteres proin & Recentiores circa partium descriptarum usum *Cap. V.* erroris convincit, nec eos defendit, qui glandulas conglobatas vel pinguedinis fontes, vel cribra esse voluerunt, cum in multis etiam sanissimis nulla circa glandulas pinguedo occurrat, neque a glandulis lymphatica, sed ab aliis partibus oriantur, prout hactenus demonstravit & ulterius circa renum lymphatica it demonstratum. Nempe *Cap. VI.* postquam in renibus vasa lymphatica partim ex ima renum parte vel recta, uti in canibus, vel glandula interveniente, uti in homine, ad chyli receptaculum tendentia, partim ex gibbosa superficie in duplicem desinentia truncum, superiorem & inferiorem, utrumque ad glandulas immediate perreptantem, annotavit, lymphaticorum horum cum arteriis continuitatem itidem ex eo comprobat, quod flatus modo in arteriam emulgentem, v. gr. apri, modo in venam emulgentem, e. g. subjecti cujusdam juvenilis, modo etiam in ureterem, (vasis tamen sanguiferis prius ligatis aut potius cera repletis) copiosius immissus, ipsa lymphatica in conspectum proferat. *Cap. VII.* lymphatica ovariorum, iliaca & uteri cum naturali ureterum constitutione atque calculorum genesi delineans, arteriarum spermaticarum vasa capillaria non sanguinem, sed lympham potius transmittere, a crassioribus sanguinis partibus ad venas amandandis jamjam in arteriolarum divaricationibus sequestratam, asserit. Experimento hinc enarrato, quod fœtus in ovulis aura seminali fœcundatis, neutiquam in semine virili, quærendos esse confirmat, ipsa vasa lymphatica nunc tribus, nunc quatuor, subinde etiam quinque ramificationibus ab ovario exire, ac multiplici anastomosi, tum inter se, tum cum aliis jungi, annotat, usque demum simplici aut duplici ductu, satis amplo, succum chyliferum subintrent, æque ac lymphatica, quæ ab inferioribus partibus oriunda tam aortæ & arteriæ iliacæ, quam cavæ & venæ iliacæ incumbunt, ac in homine aliquot glandulis, in cane vero una saltem vel altera, trajectis ad idem receptaculum tendunt. Atque lymphaticis hisce iliacis ea vasa lymphatica implantari porro observat, quæ utrumque uteri latus & anterius, & magis conspicue posterius perreptant, in utero tantum-

tantummodo vaccino depicta, quia in humano nondum eadem exactitudine ea detegere valuerit. Ureteres demum non ubivis a renibus ad vesicam æqualiter extensos esse advertit, sed tribus quatuorve, & aliquando quinque in locis, speciatim circa vesicæ ingressum, angustatos conspici, adeoque apte dispositos, qui calculos renales, futurorum in vesica calculorum nucleos, in cursu remorando, exquisitissimo ab iisdem, præsertim acutioribus, dolore afficiantur. Tali namque similive in vesica hærenti nucleo ab urina facile incrustationes lapideas, tanquam stratum super stratum, supervenire, non saltem exemplis & lapidis bezoardici generatione, aliquando etiam bacillum nuclei vice in centro abscondentis, sed & evidenti commonstrat experimento, dum inciso canis vivi hypogastrio globulum ligneum vesicæ pariter vulneratæ dextre immissum, post aliquot septimanarum decursum exiguis calculis, quasi totidem crystallis incrustatum denuo extraxit. Præter mala vero, v. g. cachexiam, ascitem, sterilitatem, quæ a lymphaticis ovarii vasis male affectis *Cap. VII.* hactenus lustrato deducit, *Cap. IIX.* aliquot hydropis ovarii recenset exempla, ab ejus lymphaticis, nunc mirum in modum extensis, nunc in vesiculas saltem sive hydatides elevatis, oriundi. *Cap. IX.* sufficienti liquoris diuretici quantitate per venam cruralem canis vivi primum injecta, pro lymphaticis reddendis conspicuis, hinc vasis lymphaticis circa venarum musculorum superiorum exitum ligatis, commode ramificationes eorum inter musculos abdominis, & speciatim ex membranis dictorum musculorum propriis, nec non inter duplicaturam peritonæi hinc illinc dispersas ac interveniente trunco rursus tamen subdiviso ad glandulam iliacam distributas, eum in finem detegit, ut planum faciat, a lymphaticis hisce peritonæi, nunc in valvularum interstitiis expansis, nunc in nimia abdominis distensione plane ruptis ac lympham intra peritonæi duplicaturam effundentibus, hydropem peritonæi, historiis rarioribus illustratum, vel vesicularem, vel simpliciter dictum ac felicissime paracentesi curandum, produci. Qualia phænomena in lymphaticis pariter tam sacris, quam mesocoli notari posse inculcat, quorum illa glandulas novas transeant, sacras a se appellatas, hæc vero cum duplici glandula prope coli terminum sita communicent. *Cap. X. & ultimo* nova peritonæi producit diverticula, gene-

generationi inguinalis herniæ exponendæ inservientia. In viris enim hernias inguinales non a dilatatis peritonæi processibus, utpote in quadrupedibus, nullatenus in homine, reperiundis, sed a violenta distensione suboriri ejus peritonæi partis, quæ corrugata alias in regione inguinali abdominis conspicitur, ac lateraliter vasa spermatica, sub peritonæo sita, tangit. In fœminis vero similibus herniis gignendis apta peritonæi videri diverticula, in subjecto non minus humano, quam in canibus fœminis, subsidio flatus in peritonæi foramē immissi, quod rotundum uteri ligamentum ingreditur, noviter reperta; in medela tamen earum cautos esse præcipit Chirurgos, ne intestino ei reponendo, cujus membrana exterior cum dicti orificii margine connascitur, manum admoveant, aut cutim incidendo intestina simul prolapsa vulnerent, cum notabili historiæ adductæ testimonio cutis subinde & reliqua integumenta ipsa cute naturaliter disposita longe tenuiora maximoque opere ab excrementis latitantibus tensa existant. Tandem in *Epistola Anatomica* de variis vasis differit lymphaticis, quæ in externis capitis partibus, cervice, tunica pulmonum, spatiis intercostalibus, lumbis, diaphragmate, corde, liene, hepate, vesica fellea, ventriculo, mesenterio, testibus, pedibus, manibus, cerebro, glandula denique pineali, deprehendere sibi licuerit; epitaphio addito glandulæ hujus pinealis, nullam præ reliquis glandulis prærogativam merentis. Cæterum ne nitidas *Figuras quadraginta novem* videamur negligere, quibus Noster Observatis suis compendiose hucusque recensitis multam lucem fœneratur, in Lectoris gratiam novem earum, nempe Fig. 2. 6. 7. 8. 13. 14. 32. 39. & 40. huc transscribere, propriisque Autoris verbis explicare voluimus.

Tab. II. Fig. 1. Mammæ fœmineæ partem delineat.

A. A. Mammæ pars. B. B. Cutis incisa. C. C. C. Glandulosa mammæ substantia. d. d. d. d. Tubulorum lactiferorum capillaria. E. E. E. Tres eorum trunci. F. F. Tubulorum inter se anastomoses. G. Papilla variis foraminibus pertusa.

Fig. 2. Papillæ fibrosam texturam explicat.

A. Papillæ lamina resecta. B. Fibrosa ejus structura, quatenus oculo nudo inspicienti occurrit.

Fig. 3.

Fig. 3. & 4. Papillam microſcopio examinatam notat.
A. Papillæ lamina duplici fibrarum genere inſtructa. B. Fibræ majores minoribus hic deſtitutæ. C. Fibræ minores majorum lateribus firmiter adnexæ. D. Altera Papillæ lamina, partim fibris majoribus, partim minoribus, diſtincte hic conſpicua.

Fig 5. & 6. Glandularum fibroſam texturam proponunt.
A. Lamella glandulæ fibroſæ, oculo nudo inſpecta. B. Eadem particula microſcopio examinata.

Fig. 7. Uterum fœmineum (ſed facie inverſa) una cum lymphæ ductibus depingit.
A. Vena cava. B. Arteria magna. C. C. Venæ emulgentes. D. D. Arteriæ emulgentes. E. E. Venæ ſpermaticæ reſectæ. e. e. Arteriæ ſpermaticæ reſectæ. F. F. Renes. G. G. Vaſa lymphatica renum externa & ſuperiora, intermediis glandulis, in chyli ciſternam H tendentia. I. Ductus thoracici principium hic reſectum. K. K. K. Glandulæ exiguæ vaſis lymphaticis renum tranſitum præbentes. L. L. L. Vaſa lymphatica renum externa & inferiora, mediis glandulis K. K. in chyli cyſtin terminantia. m. m. m. m. Utriusque lateris vaſa lymphatica renum interna, interjectis glandulis, itidem lympham ſuam in chyli ſaccum deponentia. N. N. N. N. Ureteres. O. O. Venæ iliacæ. P. P. Arteriæ iliacæ. Q. Q. Q. Q. Glandulæ iliacæ, lympham ab extremis pedibus excipientes, & per vaſa lymphatica cavæ & aortæ adſita in chyli veſicam ducentia. R. Lymphaticum cavæ. S. Lymphaticum aortæ. T. T. T. T. Vaſa lymphatica ſpermatica utriusque ovarii lympham vehentia in chyli ſaccum. V. V. Vaſa ſpermatica ſanguifera hic reſecta, ut eo diſtinctius lymphatica conſpectui ſe darent. W. W. Ovaria variæ magnitudinis oculis conſpicua. X. X. Ovula. Y. Y. Ornamentum foliaceum. Z. Z. Tubæ Fallopianæ. 1. 1. Uterus. 2. Fundi uterini portio reſecta, utero adhuc adhærens, ut uteri cavum 3. conſpici poſſet. 3. Uteri cavitas. 4. 4. Ligamenta uteri rotunda. 5. Uteri oſculum externum. 6. 6. Vagina inciſa. 7. Vagina integra. 8. 8. Arteriæ hypogaſtricæ, uterum partesque vicinas ſerpentinis ſuis vaſculis egregie exornantes. 9. 9. Veſica urinaria poſt vaginam hic locata. 10. 10. Labia pudendi. 11. Clytoris. 12. 12. Nymphæ. 13. Meatus urinarius. 14. Membrana Hymen. 15. Vaginæ oſtium.

Fig. 8. Peritonæi diverticulum novum ostendens ex cane fœmina.

A. A. Peritonæi pars resecta. B. B. Diverticulum novum naturalis magnitudinis. C. Ligamenti rotundi portio. D. Ejusdem ligamenti terminus.

Fig. 9. Diverticulum novum oculis subjiciens, ex subjecto humano.

A. A. Peritonæi particula. B. Ligamenti uteri rotundi pars. c. c. c. c. Vasa sanguinea ligamentum & diverticulum perreptantia. D. D. Diverticulum. E. Ligamenti rotundi extremitas.

ΙΩΑΝΝΟΥ ΤΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΣ ΤΟΥ ἐπίκλην Μαλάλα χρονικὴ ἱστορία.

Oxonii, e theatro Sheldoniano, 1691. in 4. min. plag. 108.

NUnc primum editur IOANNIS ANTIOCHENI, COGNOMENTO MALALÆ, HISTORIA CHRONICA, cum interpretatione & notis posthumis *Edmundi Chilmeadi*, mortui 19. Febr. 1653. Cum autem codex Bodlejanus, ex quo editio hæc expressa est, capite & calce destituatur, difficile sane fuisset, verum authoris nomen divinatione adsequi, nisi ea, quæ ex Chronico Malaliano allegant *Joannes Damascenus* & *Joannes Tzetzes*, in hoc libro consignata reperisset Chilmeadus, & ante eum *Jo. Gregorius*, vita ac simul paupertate miseriisque aliis, (quas una cum Chilmeado, ob studium erga familiam regiam Stuartinam, perpessus est,) anno 1641 feliciter defunctus.

Cæterum in volumine hoc oculos omnium primo ferit clarissimi viri *Humphredi Hodii*, S. T. B. & Collegii Wadhamensis Socii, *præmonitio de autoris cognomine*, Bentlejo, (de quo mox dicemus) potissimum opposita. Statuitur in ea, cognomen istud, si originem ejus spectes, esse Syriacum, ubi מלאלא *Rhetorem* significat, quemadmodum & alii historiarum scriptores, e. c. Demochares, Priscus, Zacharias, Procopius, Diodorus & *Joannes* alius antiquior *Antiochenus* Græcum Ῥήτορα cognomen gessere. Potuisse in casu recto

recto a Græcis efferri Μαλάλα, veluti apud Theophanem in Chronographia laudatur Ἰωάννης ὁ ἐπίκλην Ἡμῦλα, absque sigma, & apud *Victorem Tununensem* Joannes cognomento Hemula. Magis tamen convenire analogiæ Græcanicæ, ut Μαλάλας exaretur, ea ratione, qua vox *Alleluja* in nomen virile mutata, in nominandi casu cum Σ in codice quodam MSCto: Δεῦλο τῶν δεῦλων τῦ Θεῦ Μαρδάρι μοναχὸς ἐπίκλην ὁ Αλλελεΐας. Μαλάλας etiam ad Syriacam etymologiam, & Jo. Damasceni assensum, rectius esse, quam vulgare Μαλέλας aut Joannis Tzetzæ Μελέλης.

Hanc *præmonitionem* excipiunt ejusdem Hodii *prolegomena* de autore. Agit in eis ante omnia de variis Joannibus Antiochenis, ac cumprimis de illo, cujus excerpta e codice Peirescianо vulgavit Valesius, quique a Malala diversissimus est. Quanquam & ex hoc Constantinus Porphyrogenneta sæculo X. nonnullas pericopas in Collectanea sua congesit, quas vero Valesius luce indignas judicavit. Negat, Malalam nostrum Antiochenorum patriarcham fuisse. Promittit *Diatribam de scriptoribus Græcis variis, cum profanis, tum ecclesiasticis, maxime ex codd. MSS.* propediem edendam. Rejicit conjecturas Fr. Combefisii in *Manipulo de originibus rerum Constantinopolitanarum*, quod Joannes noster Antiochenus (e Damasceni oratione ipsi notus,) sit presbyter hujus nominis, qui contra Eutychianos scripsisse memoratur Gennadio Massilienſi & Marcellino Comiti, itemque *Joannes* ille historicus, cui cognomen est Διακεχυμένῳ, h. e. Eutychiano. Nam Malalas longe junior est, quod vel hinc patet, quia historia ejus in codice hoc Bodlejano nec initium nec finem habente, a temporibus mythicis pertingit (libro XVII.) ad annum usque XXXVIII Justiniani Senioris, adeoque A. D. 564. At Gennadius librum suum absolvit A. D. 495, annis circiter 70 ante Justiniani extrema fata. *Diacrinomenus* etiam ille *Joannes* citatur jam a *Theodoro Lectore*, florente sub Justino, Justiniano antecessore. Præterea Orthodoxis potius, quam Διακεχυμένοις, adnumerandum asseverat Hodius Malalam. Hunc Justiniano coævum crediderē hactenus eruditi, ipseque interpres Chilmeadus, qui ὑποθέσῃ huic suæ δεῦλον, verba authoris, non ut par erat, quandoque exprimit. Eam opinionē vel inde refutat Hodius, quod crassissimos errores in historia Justiniani committat Malalas. Sæculi vero IX scriptorem esse

non dubitat, idq; & ἀνασκδαστικῶς, & καταστευαστικῶς probat. Gravi dein censuræ subjicit nugacissimum hunc historiarum consarcinatorem, quod & passim a Chilmeado in notis factum est. Tam sæpe enim misellus iste Græculus probatissimis historicis contradicit, ut nihil supra; plerumque Domnini & quorundam aliorum hujus furfuris obscurorum virorum monumentis solum innixus.

Tandem de *Georgio Hamartolo*, sæculi IX. chronographo, pluribus agit, eo quod cum e libris Malalæ deessent primus & secundi initium, ex Chronico istius Hamartoli resarserit defectum *Chilmeadus*; uti quidem ait Hodius. Nam dubitare quis posset, & excerpta illa (p. 1--24.) accepta referre potius alteri editori *Joanni Gregorio*, quia Chilmeadus ad p. 25. notat: *Huc usque Chronici Alexandrini author; deinceps Antiochenum ipsum habes.* Ignoravit ergo Chilmeadus, undenam hæc excerpta essent transscripta, & propter loca quædam parallela, quæ in Chronico Alexandrino legisse se meminerat, ex eodem & hæc esse desumpta, falso conjectavit.

Sequitur mox *Index authorum* a Malala citatorum, quorum paucissimi superstunt, reliquorum verbis ita deformatis, ut ipsi ea videntes pro suis difficulter agnituri fuissent; porro *Opus* ipsum *Hamartoli & Malalæ*, cum substratis *E. Chilmeadi* annotationibus; deinceps *appendix* ad has annotationes, authore eodem *Hodio*, ut putamus, itemque *index vocum barbararum*, apud Malalam, non item in Glossario Græcitatis Caroli du Fresne, reperiundarum, ut & *rerum* in historia Malalæ *notabilium*.

Extremam voluminis partem constituit prolixa pariter ac varia eruditione referta epistola Cl. V. *Richardi Bentleji* ad celebertrimum *Joannem Millium* S. T. P. Oxonienssem, qua multa Malalæ loca illustrantur, emendantur, aut obelo confodiuntur. Disputat is ante omnia de trino *Dei Orphici* nomine, Μῆτις, Φάνης, Ηερικεπαῖος, eaque occasione ex Cod. MSC. Oxonienssi *quindecim* recensset de mysteriis fidei Christianæ oracula, quibus *Apollinis Delphici*, *Astani* (sive *Osthanis* Magi) *Platonis*, *Aristotelis*, *Plutarchi*, &c. nomina prætexuere piarum istarum, imo impiarum, fraudum architecti. *Hecataum*, ex quo Justinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Theodorus, alii veterum Patrum, dicta subinde Gentilium allegant, tenebrionis cujusdam Hellenistæ abortum esse non uno loco suspicatur,

catur, præsertim vero certissimus est, Sophocli adscribi per injuriam, quod Hecatæi fide pro Sophocleo habuit *Clemens*, carmen:

Ἐν τοῖς ἀληθείαισιν εἷς θεὸς, κτλ.

De *Euripide* omnium maxime bene mereri studuit, quem miseris modis laceraverat Malalas. Obiter heic nunciam affert lectu valde injucundum, se nempe jam nolle luci publicæ exponere grande illud opus, quo *fragmenta omnium Poetarum Græcorum, cum emendationibus & notis*, editum abs eo iri speraverat orbis eruditus. Sibi enim nunc ait usurpandum proverbium illud: Ἄλλος βίος, ἄλλη διαίτα. Hinc si non *aliud vitæ genus*, majus saltem otium ei apprecamur, ut laudabile institutum, ad quod quasi natus videtur, persequatur amplius ac ad finem perducat. Dum in Euripideis versatur, arripit ansam, aliorum subinde authorum loca castigandi, peculiari cura *Hesychio* impensa, multisque vocabulis *νοθείας* convictis, quæ a Lexicographo illo serie sua, ac si genuina essent, reponuntur, v.g. Φολκάζει, Εὐδεκάτευσα, Διατένουσαι, Ἐρεθένθα, Ἐπαλογῆς, Ἀτρεμῆ, Ἀρισῆραι, Χωρεγομεῖν [ὀρχίζεσθαι,] &c. quæ, oscitantia Hesychii enata sunt ex Φ ὁλκάζει, ἐδεκάτευσα, ἐρεθένθα, ἐπαλλαγῆς & ἀπάγωλῆς, ἀρτεμῆ, δρησῆραι, vel potius δρήσειραι, χειρονομεῖν [ὀρχεῖσθαι,] &c. Quin immo quinque plus minus millia mendorum in Hesychio, aliis nondum adversa, ostendere se posse profitetur; unde optandum, ut cum illo ea communicentur, qui novam Hesychii editionem in Belgio moliri dicitur. Tragœdos, quos Bulengerus, Stanlejus, alii, Scholiasten Æschyli veterem improvide secuti commemorant, *Theonim*, *Minoem*, *Auleam*, mera esse portenta autumat, subque his larvis latere ait *Thespiden*, *Jonem*, *Æschylum*, de quorum ætate & operibus fusam lectuque dignissimam digressionem instituit. Vanissima barbararum vocum κναξζοβι, χθύπης, Φλεγμώ, δερψ, &c. mysteria scite aperit, atque ea ratione libro V Stromatum *Clementis* haud pœnitendam lucem affundit. Prolixe denique contendit, quod autor noster in casu recto non *Malala*, sed *Malelas* vel *Malalas* dicendus sit.

In *Addendis ad epistolam* aliquando vineta propria ingenue cædit, sæpius autem conjecturas suas novis argumentis statuminat. Sub finem eorum gratulatur orbi de *editione N. T.* quam incredibili diligentia ad antiquissimos codices adcuravit *Millius*, quamque a colophone proxime abesse confidimus. Ea occasione criticam

virgulam ſtringit in *epiſt. ad Galat. c. IV. v. 24. 25. 26.* ac expunctis quibusdam, quæ putat, gloſſematibus, transpoſitisque voculis nonnullis, legendum eſſe ſtatuit, ut commodus enaſcatur ſenſus, hunc in modum: Ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα· αὗται γάρ εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι· μία μὲν ἀπὸ ὄρους Σινᾶ, εἰς δουλείαν γεννῶσα, ἥτις ἐστὶν Ἀγαρ. Τὴ δὲ Ἀγαρ συστοιχεῖ ἡ νῦν Ἱερουσαλὴμ, δουλεύει γὰρ μετὰ τέκνων αὐτῆς. Ἡ δὲ ἄνω Ἱερουσαλὴμ ἐλευθέρα ἐστὶν, ἥτις ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν.

J. B. ADDITAMENTUM AD SOLUTIONEM Curvæ Cauſticæ fratris Jo. Bernoulli, una cum Meditatione de Natura Evolutarum, & variis oſculationum generibus.

Conferantur Acta Eruditorum præſentis anni, pag. 30. & figuræ tabula I expreſſæ.

ANtequam *Frater* hanc ſuam lucubratiunculam Geneva mihi transmiſiſſet, pervenit ad nos *September Actorum*, ubi Cel. *Leibnitius* in *excuſatione Solutionum Problematis Catenarii* (de quarum pulcro conſenſu nobis multum gratulamur) occaſionem captat recordandi ſubtiliſſimæ ſuæ *meditationis de Contactu* (quem ſignificanter vocat) *oſculi*, memorando, *Hugenium* primum animadvertiſſe, quod centra oſculorum curvas oſculantium perpetuo incidant in lineas iſtas, quas proxime contemplati ſumus, eas ſcilicet, ex quarum evolutione illæ deſcribuntur. Qua occaſione Evolutas aliter reperire, inſimulque Oſculorum naturam Geometris paucis hactenus ſatis perſpectam, plenius cognoſcere didici; quod jam oſtendo. Pono iterum (fig. V) AE = *x*, ED = *y*, DB = *z*, & BG vel AG = *u*: conſideroque tres priores ut datas, hoc eſt, ſuper puncto dato D concipio deſcriptum eſſe circulum radio DB, & quæro exinde per naturam curvæ ACB quartam *u*, cujus valor exprimetur per æquationem tot dimenſionum, in quot diverſis punctis circulus iſte curvam ſecat, vel ſecare poteſt. Sint duæ interſectiones proximæ B & C, ac intelligatur ſuper D novus deſcribi circulus, radio continuo majori vel minori, quousque puncta B & C propius ſubinde coeuntia tandem

dem in unum coalescant, quod sit B; quo facto & ipsæ CH & BG uniuntur, radixque æquationis *n* duos æquales valores acquirit, radius vero DB fit curvæ perpendicularis, ipsamque cum secasset antea, nunc tangit circulus: ad quem proin contactum inveniendum multiplico repertam æquationem per Progress. Arithm. & quod provenit cum dicta æquatione (aliave per aliam progress. arithm. similiter quæsita) methodo, qua supra usus est *Frater*, confero, ut eliminata litera *n* habeam novam æquationem inter *x* & *y* (quam tamen necessario etiam ingredietur *z*). Quare si hac data manente, cæteræ *x* & *y* spectentur ut indeterminatæ, denotabit æquatio ultima lineam, in qua sumto ubivis puncto D, circulus super illo descriptus radio constanti DB curvam AB tangit. Quod si nunc radius DB sive *z* continuo major minorve assumatur, nascentur subinde aliæ curvæ infinitæ, quæ omnes inter se & principali AB erunt parallelæ, ceu eodem constanti intervallo perpendiculari DB ab illa distantes, hacque inter se affinitate gaudent, quod ab evolutione ejusdem curvæ ID per filum DB, (in infinitum, si vis, ex parte B productum) facta simul omnes describantur; unde principali AB *condescriptæ* dici possunt.



Porro si circulus OCBPQS (ut in ea quam hic sistimus figura) præter contactum curvæ TCBPRS in puncto B, eandem insuper secat alibi in punctis C, P, S, ab alterutra vel utraque parte: tum fluere intelligatur centrum D in recta indefinita DB, & novi subinde concipiantur circuli per B transeuntes; sic manebit quidem contactus singulorum cum curva fixus in B, at intersectiones reliquæ erunt ambulatoriæ, permeabuntque omnia curvæ puncta: nimirum si circulus curvam tangat exterius in B, & centrum D fluat versus idem punctum; aut si tan-

si tangat illam interius, & recedat centrum ab eodem, futurum utcoque modo, ut intersectiones P, C, contactui B proximæ huic continuo appropinquent, quousque alterutra earum, puta C, in illum incidat, & sic duabus intersectionibus, quibus contactus B æquivalet, tertiam jungendo, osculum primi gradus efficiat: ubi hoc singulare evenit, quod postquam C cum B coaluit, (P nondum attingente ipsum B, vel etiam nulla existente intersectione P,) arcuum circuli CO (hoc est, BCO) & BP alter ab intra, alter ab extra curvam osculatur, eamque adeo revera secat, non tangit, ipso contactus genere perfectiori contactum quasi destruente, & in sectionem transformante. Quod si durante fluxu puncti D per rectam BD contingat, ut ambæ intersectiones C & P eodem momento ad punctum B appellant (quod accidit, cum portiones curvæ BC, BP, aut prorsus similares sunt, aut saltem in partibus suis minimis ipsi B proximis eandem flexionem, curvedinem seu declivitatem habent,) tum circulus curvam in puncto B excipiet osculo secundi gradus, coincidentibus ibidem quatuor intersectionibus, sed sectione jam iterum in contactum abeunte; vel potius (quia ob simultaneum appulsum punctorum C & P nulla in B sectio præcesit) ipso contactu externo tantum in internum verso, aut vicissim; qui vero altera vice sectionis naturam indueret, si quinta intersectio accederet, & denuo rediret in contactum, uti sexta. In genere osculationes graduum a numero impari denominatorum sunt sectiones, a pari contactus. Jam vero tametsi ulteriori fluxu puncti D per rectam BD, circuli, quorum centrum est, crescere vel decrescere pergant, nulla amplius reliquarum intersectionum osculo in B addi potest; præterquam enim quod intersectiones P & C in contactu B non stabiles manent, sed ex eodem subinde emergentes ad oppositas curvæ partes prorepunt, aut prorsus evanescunt; cæteræ (qualis S) a contactu B perpetuo longius recedere coguntur; tantum abest ut ei appropinquent: ad hoc enim efficiendum requireretur, ut novi isti circuli, imaginatione supplendi, curvam nostram, & prius ipsum circulum hic expressum (quem in B tangere supponuntur) alicubi inter P & S secarent, quod absurdum: unde discimus, quod si circulus quamcunque curvam primi vel secundi gradus osculo amplectitur, nullus alius circulus inter ipsum curvamque duci potest. Secus

sentien-

ſentiendum de hyperbolis & ellipſibus: quia enim duæ hyperbolæ vel ellipſes diverſorum laterum cum transverſi tum recti, in vertice ſe tangentes, in duobus quoque aliis punctis ſe ſecare queunt, fieri poteſt, ut dum una earum fluxu lateris ſui recti ampliatur vel contrahitur, alteram tandem oſculo ſecundi gradus ſalutare incipiat, collectis in ipſo vertice duabus illis interſectionibus, quod contingit, ubi ambo recta latera æquata fuerint: quocirca ſubſtituta in *ſchem. noſtro* loco circuli hyperbola, quæ propoſitam curvam TCBPR itidem ſecundi gradus oſculo amplectatur, & eandem præterea ſecet alibi, poterunt utique duæ interſectiones proximæ hinc inde exiſtentes fluxu transverſi lateris ad punctum B adduci, oſculumque ſic duobus gradibus perfici, quippe quod manente latere recto interea non turbari potuit: atque tum inter hyperbolam & curvam alteram nulla amplius hyperbola interjici poterit. At hoc non impedit, quo minus altera curvarum (quam magis compoſitam ſupponimus) ampliatione vel contractione ſui inter angulum oſculi RPQ ſe inſinuare, & ſectionem S ad punctum P vel B adducendo perfectiorem congreſſum efficere valeat. Oſculum duarum curvarum, quod fluxu ſolius ſimplicioris curvæ dividi amplius nequit, dicetur oſculum *completum*; quod fluxu neutrius ita dividi valet, ut alibi nova curvarum ſectio oriatur, *coitus* appellabitur. Curva curvam *complete* tum oſculatur, cum illam tanti gradus oſculo complectitur, quot ordinarie punctis *aliam ſui nominis* ſecare poteſt, quanquam ſubinde inferior gradus ſufficere poſſit. Ita Parabola aliam Parabolam quatuor quidem punctis ſecare poteſt; at quia nunquam omnes hæ quatuor interſectiones coaleſcere poſſunt, fit ut ſi quam curvam ſecundo, nonnunquam etiam primo tantum gradu oſculatur, jam complete oſculetur: uti recta quamcunque tangit, complete tangit: Hyperbolæ vero vel Ellipſis oſculum niſi tertiæ vel quartæ ſit perfectionis, completum non eſt: Quod ſi omnes interſectiones, quibus alias datæ curvæ *ſe mutuo* ſecare poſſunt, in unum punctum confluant, oritur *coitus*, qui eſt conſummatiſſimus earum congreſſus, quo quam maxime fieri poteſt, ſibi aſſimilantur & uniuntur; quanquam in diverſis curvarum generibus unus alio perfectior eſſe poſſit; nec datur perfectiſſimus, niſi fortaſſe curvarum congruentiam perfectiſſimum coitum appellare velis.

Jam vero relictis ſuperiorum graduum oſculis ad conſiderationem Evolutarum deſcendamus, reaſſumto in eum finem primi gradus oſculo. Hoc quia conſiſtit in concurſu trium interſectionum, pono nuperam æquationem pro his interſectionibus inventam habere tres radices æquales, eamque proinde bis multiplico per Progreſs. Arithm. aut brevius ſemel per productum duarum, & quod reſultat, cum alia aliisve per productum 2 progr. ſimiliter quæſitis æquationibus varie confero, donec eliſa non tantum lit. u, ſed & ipſa z, æquationem inveniam, quam ſolæ x & y (ſed tamen ambæ neceſſario) ingrediantur: Ea enim ſuppeditabit lineam, in qua ſumtum quodvis punctum centrum eſſe poteſt circuli alicujus curvam propoſitam primo gradu oſculantis, cujusque cum Evoluta identitatem *Hugenium* notaſſe ex relatione Cel. *Leibnitii* conſtare, ſupra diximus. Ipſa vero z, hoc eſt, radius circuli oſculatoris, ſeu longitudo fili evolventis, ex ſe indeterminata, per ipſam x vel y determinationem accipit. Exemplum Parabolæ reaſſumo; fig. V:



sive ponendo

$$t = x - \tfrac{1}{2}a, \quad \text{--} \quad \text{--} \quad u = \frac{3ay}{4t} \;\&\; uu = \frac{9aayy}{16tt} = \frac{at}{3}$$

unde $27\,ayy = 16t^3$

Ad inveniendum circulum, qui curvam propoſitam ſecundo gradu oſculetur, coincidentibus in puncto oſculi quatuor interſectionibus, pono æquationem habere 4 radices æquales, eamque multiplico per productum trium progreſſionum arithm. quod aliquoties repeto, donec via conſtet, non tantum ipſas u & z, ſed alteru-

terutram quoque ipſarum x vel y ex æquatione eliminandi: ſic reliqua determinata erit, & per ipſam etiam cæteræ determinabuntur. Itaque non niſi definitus exiſtit circulorum numerus, qui curvam quampiam ſecundi gradus oſculo complecti poſſunt, ſecus ac illorum, qui eandem duntaxat primo gradu oſculantur. Contra vero horum circulorum non poſſunt alibi quam in ipſis Evolutis exiſtere, quandoquidem quatuor radices æquales etiam tres, & oſculatio perfectior imperfectiorem continet: non hærent autem in mediis Evolutarum partibus, quia circulus oſculator ſuper quovis Evolutæ puncto intermedio deſcriptus, curvam neceſſario ſecat, contra naturam oſculi ſecundi gradus. Sit N centrum, NB radius circuli oſculatoris, erit NB ($=$ NM$+$MC) $>$ recta NC: iterum ſit M centrum & MC radius, erit MC ($=$ NB$-$NM) $<$ recta MB; quare circulus oſculator verſus principium evolutionis jacet extra, verſus finem intra curvam, ideoque ſecat. Hærent ergo contra illa in extremitatibus Evolutarum, earumque mutuis contactibus: unde quot locis curva oſculi ſecundæ perfectionis capax eſt, (eſt vero, ubi curvedo ejus maxima eſt vel minima) tot requiruntur ad illam evolutione deſcribendam aliæ curvæ, & una præterea. Ita Semiparabola Cubica AEG, in hac figura (in qua vid. abſciſſæ AB ſunt ut cubi ordinatarum BE) tametſi in eandem partem cava ſit, nec pars ejus ulla ſimilaris alteri, non poteſt unius ſolius curvæ evolutione tota deſcribi, ſed requiruntur duæ, quarum una DH, axi AC aſymptotos, inſervit deſcribendæ portioni EA, altera DI portioni EG, quæque communi extremitate ſua D centrum definiunt circuli, curvam in E ſecundo gradu oſculantis. Reperitur autem circulus hic oſculator (poſito latere recto Parabolæ 1) faciendo AC $= \frac{2YY+4}{9}$, CD $= \frac{2}{3YY+4}$, DE $= \frac{1}{3}YY\frac{8}{9}$, ut fiat BE $=$ $\frac{1}{YY+4}$.



Summa-

Summatim dicta recolligo: *Contactus* simplex circuli & curvæ cujusvis invenitur per *duas* radices æquales, & locus centri ejus est ad infinitas lineas condescriptas, hoc est, *superficiem: Osculum primi gradus* reperitur per *tres* radices æquales, & locus centri osculantis circuli est ad *lineam* (sc. Evolutam). *Osculum secundi gradus* indagatur per *quatuor* radices æquales, & locus centri osculantis circuli est ad *punctum*, vel *puncta* (Evolutarum sc. extremitates.)

Quæ cum ita se habeant, difficulter capio, quo sensu verum esse possit, quod dicitur, contactum inveniri per 2 radices æquales, flexum contrarium per tres, & osculum primi gradus per 4, seu duos contactus coincidentes, &c. Vidimus enim, in osculo pr. gr. tres tantum intersectiones coincidere, non duos contactus, qui quatuor intersectionibus æquivalent: Potest quidem centrum osculatoris circuli seu punctum evolutæ D (fig. V) considerari ut concursus duarum curvæ perpendicularium minime distantium BD, CD; at tum reperitur nec per 3 nec per 4, sed per 2 tantum radices æquales, ut supra ex *Fratris* schediasmate liquet. Et quanquam si perpendiculares istæ habentur pro radiis circulorum centro D descriptorum & per B & C transeuntium, eatenus concursus harum perpendicularium spectari potest ut concursus duorū contactuum, nullo modo tamen per 4 radices æquales ex nostra æquatione elicietur; quoniam eo sensu quantitas z fit indeterminata, hoc est, ipsæ DB, DC, quæ deberent poni radii ejusdem circuli, inæquales redduntur, illa hac perpetuo minore existente, siquidem $DB + DN = BN = NM + MC > ND + DC$; adeoque $DB > DC$.

Quod flexum contrarium spectat, is revera per tres æquales radices invenitur, at non aliam ob causam, quam quod ejus inventio casus tantum specialis est generalis inventionis osculationum primi gradus: In omni enim flexu contrario circulus osculator abit in lineam rectam, fit radii infinite magni; quanquam non vicissim, ubicunque circulus osculator infinite magnus est, ibi requiritur flexus in contrarium. In Paraboloidibus omnibus (excepta Parabola communi) circulus osculator verticis infinite magnus, veruntamen non nisi in illis, quorum potestates a numero impari denominantur, flexus contrarius supervenit, cæteræ ubique versus easdem partes cavæ manent.

LA CA-

LA CABALE CHIMERIQUE, &c.

i. e.

Conſpiratio Chimærica; ſive Refutatio hiſtoriæ fabuloſæ, quæ occaſione propoſitæ formulæ pacis in Examine libelli, qui Admonitio ad Exules *inſcribitur, maligne publicata eſt.*

Roterodami apud R. Leers, 1691. in 12. plag. 13.

PRolixius forte, quam omnibus probabitur, & *Admonitionem* ad Gallos exules, & *Examen* ejus proximo menſe enarravimus. Cauſam dedit materia non vulgaris, & orta inde inter eruditos clarosque viros diſceptatio, plurimis tractatibus intra breve tempus in Belgio magno cum fervore agitata. Curæ jam nobis erit, ut de iis quoq; breviter dicamus, & in autorum gratiam, qui ejusdem gentis & religionis ſunt, omittamus, quæ illis acerbiora exciderunt. *Jurius* in Examine nuper relato multis argumentis comperiſſe ſe exiſtimaverat, autorem *Admonitionis* eſſe *Bailium*, Profeſſorem Philoſoph. & Hiſt. Roterodamenſem, cujus eruditio ſingularis & Gallici ſtyli elegantia jamdudum orbi literato innotuit. Illum tacito licet nomine ita deſcripſerat, ut latere ex doctis in Belgio neminem facile potuerit, quem deſignaret. Hic vero graviſſimum periculum ſibi ſtrui ratus, ſi ingrati in Rempublicam Batavorum animi, nec non profanæ in rebus ſacris ſententiæ convinceretur, hoc libello defenſionem orſus eſt, in quo Jurium pro delatore ſuo palam agnoſcit. Cum vero duo ſint accuſationis capita; unum quod Dialogos illos Genevenſes, de quibus in Examine Juriano ſatis dictum eſt, malo conſilio publicare voluerit; alterum, quod ipſius quoque *Admonitionis* autor ſit: ſecundum hoc ſimpliciter negat Bailius, & probationem ejus intrepide poſcit, impoſſibilem tamen eſſe contendit. De priori, quid a ſe factum ſit, inculenter exponit. Fatetur ſibi ab Eccleſiaſte & Profeſſore quodam Genevenſi, viro egregio, quem in tempore & loco nominaturus ſit, Dialogos illos manuſcriptos Geneva, & ſex quidem priores integros, cum exordio ſeptimi miſſos, ſeque rogatum eſſe, ut eos excellentibus quibusdam virisin Belgio &

Anglia, quos nominat, offerret, & judicium de illis peteret. Hoc se, cum nihil secreti aut periculosi tractari arbitraretur, bona fide feciſſe; dialogos vero ipsos, quod a lectione manuscriptorum vehementer abhorreret, & prius quid aliis de iis videretur, expectare vellet, non legiſſe. Refert porro, ut ex iis, quos consulere jussus fuerat, quidam spreverint dialogos, ut somniis sive visionibus & ideis Platonicis repletos similesque Ducis *Snillii* inventionibus; alii nihil respondérint; nemo tamen fuerit, qui periculosi aliquid aut ad Gallorum res promovendas ex publicatione illorum metuendum esse indicaverit. Interea accidiſſe, ut Dialogi ab eo, cui itidem ex præscripto amici Genevenſis describendos, ut communicari cum viris illustribus possent, commisisset, typographo Roterodamensi *Abrahamo Archerio*, se inscio, traditi fuerint, iſte vero se rogaverit, ut editionem horum sibi committeret. Hujus gratificationis spem aliquam se feciſſe non inficiatur, dummodo, quod nondum factum fuerat, a Genevenſibus venia ad edendum impetraretur. Superveniſſe postea literas Geneva, quibus significatum fuerit, autorem in eo esse, ut dialogos sex, quorum exemplum miserat, *Lauſanna* excudi faceret, dum duos reliquos, in quibus non pauca ex prioribus corrigenda essent, elaboraret. Id se *Archerio*, ut ab editionis consilio desisteret, aperuiſſe; hunc vero nihilo minus in proposito perstitiſſe, & petiiſſe, ut pagellas *Lauſanna*, prout ex prælo exirent, submitti sibi curaret. Hunc totum hujus rei ordinem & modum esse, multa cum obtestatione asseverat, ex quo satis patere censet, pessime fingi, ac si conspiratio quædam Genevæ conflata, & in Belgium usque ad se aliosque translata fuerit; cum totum negotium nulla cum secreti affectatione, & non nisi inter se & Professorem illum Genevenſem, atque illos, quorum judicium de Dialogis desiderabatur, gestum fuerit, & typographus per occasionem, & se ab initio minime id intendente, intervenerit. Constanter etiam negat, quidquam sibi Geneva scriptum esse, ex quo intelligere potuerit, dialogos præscitu aut approbatione Ablegati Gallici, qui Genevæ residet, aut Aulæ Regiæ compositos, multo minus sibi compertum aliquid de autore esse, & quid Eccleſiaſten Genevenſem moverit, ut sibi ea, quæ retulit, de Dialogis illis mandaret: unde nec sibi constet, num Dialogos ipsos probaverit, an amico saltem operam qualemcunque,

cunque, proprio ejus periculo, in explorando aliorum judicio præstare voluerit. Hæc ex prima hujus libelli parte, cujus fini dies 8. Maji 1691 adscriptus est, breviter excerpsimus, ex quibus sufficienter, ut putamus, intelligi facti ipsius series potest. Quas vero inde contra *Jurium* querelas ordiatur *Bailius*, & quid ei ad elevandam illius autoritatem & fidem, & pro tuenda fama & fortuna sua objiciat, hic recensere, ut jam professi sumus, minime voluimus. Altera libelli pars inscribitur: *Præludium responsi ad eam Examinis partem, quæ ad librum Admonitionis pertinet.* Integrum ab initio relinquit Bailius judicium Jurii, quod autor *Admonitionis* religioni Protestantium addictus sit, neque se ad illum investigandum & indicandum obligatum esse dicit; futurum tamen esse sperat, ut indagetur. Interim plurimis rationibus asserit, autorem, quicunq; is fuerit, in Gallia vivere, omnesque conjecturas Jurii, qui illum in Belgio quæsivit, destruere nititur, illam maxime, quod libellos quosdam v. g. *prophetias Drabitii, sermonem Merlati, admonitionem Tileni* ad Synodum Rupellanam & similes Lutetiæ ignotos esse existimet Jurius, quos cum aliis multis, quales in relationibus sub nomine *Mercurii Elegantis (Galant)* publicatis copiose exhibentur, notissimos Parisiensibus esse asserit. Futilem inde argumentationem esse dicit, qua Jurius persuadere lectoribus voluerit, autorem *Admonitionis* nomen suum occultaturum non fuisse, si Lutetiæ aut in Gallia versaretur: neque enim unam latendi causam, certe hanc gravissimam esse potuisse, si idem *Admonitionis* & præloquii autor esset, ne detectus summum adiret periculum. Singulatim omnes characteres scriptoris *Admonitionis*, quos Jurius eruit & Bailio applicat, destruere aggreditur. Notat non semper primum alicujus librum ruditatis aut tyrocinii nomine sperni posse, sed veteranorum & exercitatorum autorum laborē ab incipientibus quandoq; æquari; quod exemplo *Literarum de tempore*, & antiquiori, *Provincialium* a *Pascalio* compositarum confirmat. Rejicit & taxat quædam, quæ Jurius de eruditione & stylo *Bailii* specie laudantis, vel etiam cum censura scripserit, sibique defectus suos magis quam cuicunque alii cognitos esse profitetur. Defendit relationem suam mense Februario 1691 publicatam, & amicis quibusdam ostendisse se refert literas Parisienses, quibus significatum sibi fuerit, *Admonitionem* mense Octobri 1690 Lutetiæ

cum

cum privilegio regio edi, eisque satis aperte convinci Jurium existimat falsæ de se atque autore *Admonitionis* suspicionis. Allegat *Bailletum*, qui novem autores nominet, quibus liber sub *Petri Aurelii* nomine editus attributus fuerit, cum tamen hucusque verus demonstrari non potuerit. Sic Apologiæ pro Pastoribus ex Gallia profugis D. Jurium autorem ab omnibus habitum, & vix creditum fuisse Ministro Ecclesiæ Gallicæ Berolinensis *Dartisio*, qui librum illum tandem sibi asseruerit. Elidit quæ Jurius contra fidem privilegii regii editioni *Admonitionis* Parisiensi præfixi oppositi, aliaque minutiora persequitur. Subjungit se masculo & quieto animo accusationem sibi præparatam accepisse, neque aliud a Magistratibus quibusdam petiisse, quam ut sibi quoque aures paterent; neque enim in tanto crimine læsæ reipublicæ & religionis ex suspicionibus & conjecturis condemnari aliquem posse. Ex ipso tamen Jurio sibi ipsi sæpius contradicente patescere dicit, neque *Dialogos* illos Genevenses, neque *Admonitionem* ejus esse ponderis, ut nocere Ordinibus Belgii eorumque Fœderatis valeat, & si quid inde periculi aut turbarum existere posset, culpam in nullum alium magis quam in ipsum Jurium redundaturam esse, qui Dialogos sine necessitate, ex mera iracundia & insectandi alios præcipitantia, per compendium recensuerit, & *Admonitionis* legendæ pruritum intempestiva refutatione excitaverit. Sequuntur multa, quibus demonstratum ire voluit, quod ipse nullo modo autor libri illius esse possit; quæ cum ad mores atque acta & ipsius & Jurii pertineant, satius est, ut hic reticeantur. Non male tamen monet, etiam adversus hostes honestate decenti verborum utendum, & inprimis Regum & Principum personæ parcendum esse. Vehementer impugnat contumeliam de atheismo & contemtu religionis Reformatæ a Jurio sibi inflictam. Educatum se in religione illa esse refert, filium Ecclesiastæ probatissimi, fratrem etiam alterius, qui nuper pro veritate, a qua nec minis nec blanditiis averti potuerit, in vinculis Gallorum decesserit; præstari etiam a se omnia in cultu & disciplina omni consuetо tempore, quæ religio & confessio Reformatorum exigat. Atheismi opprobrium ut atrocissimum repellit, neque tamen negat alienum se esse ab opinionibus fanaticis, ideoque minime probasse Jurii quædam, quæ eo pertineant, & fortasse sua & amicorum opera reten-

retentum illum fuisse, quo minus in earum propalatione progrederetur. In fine viginti quinque accusationis capita ex Examine consignat, quorum probationes clarissimas a Jurio postulat, nisi delatoris falsi & temerarii infamiam & pœnam sustinere velit, & quod sub initium libelli fecerat, denuo offert, se nempe in custodiam publicam sponte iturum esse, si Jurius eandem subeat & cognitionem causæ judiciique eventum, in quamcunque partem is casurus sit, expectare non detrectet.

APOLOGIE DU Sr. JURIEU PASTEUR & Professeur en Theologie addressé aux Pasteurs & Conducteurs des Eglises Wallones des Pays-bas.

i. e.

Apologia D. Petri Jurii, Pastoris & Professoris Theologiæ, ad Pastores & Rectores Ecclesiarum Gallo-Belgicarum in Provinciis Fœderatis.

Hagæ Comitum apud Abrahamum Troyel 1691. in 4. pl. 3½.

NOn dissimulamus, perveniſſe ad nos libellos plures, controversiam inter eruditissimos viros, *Jurium* & *Bailium*, natam concernentes. Vidimus *Responsionem ad primam partem Conspirationis Chimæricæ*, anno superiore (ubi & a quo, dubium) editam: vidimus *Jurii* Apologias non unas, sub titulo *Convictionum* eodem anno vulgatas: vidimus librum hisce, sub titulo *Chimæræ Conspirationis Roterodamensis* oppositum; Dialogos item *de scandalo ex publicatione libri de* Conspiratione Chimærica *orto*, & hujus argumenti opuscula alia, Gallico omnia idiomate composita. Sed iis recensendis excusate forsan supersedemus, cum propemodum non nisi rixas, easque acerrimas, & multas repetitiones atque rejectiones imputationum contineant, quæque brevi multis ex causis cassibusque, ut putamus, in oblivionem venire poterunt. *Apologiam* autem hanc *D. Jurii* ideo non negleximus, quia præter ea, quæ ad litem illam proprie pertinent, haud pauca exhibet, quæ cognitu non sunt

indigna. Detegit enim D. Jurius periculum, quod ex pravis opinionibus quorundam, Ecclesiam Reformatam incurrisse dicit. Sed nulla est, quæ, Deo permittente, idem adire non possit. Expedit itaque nosse talia, & ex damnis alienis cautos fieri. Occasionem narrandi sumit Autor ex odiosa Adversarii de actis scriptisque suis censura, & ut objectum sibi contradicendi studium a se amoliatur, ostendendum a se esse ratus est, quo fine & modo ad edendos contra cives suos eandemque religionem professos, elenchos progressus sit. Non dissimulat insignes Ecclesiæ Reformatæ in Gallia corruptelas, tam ex morum impietate, quam ex frivolis de indifferentia circa fidem & religionem opinionibus; nec dubitat, quin justo Dei judicio persecutio Reformatorum in ultionem depravationis illius secuta sit; cum præsertim non voce solum aut occulta animi sententia, sed editis libris, per modum dogmatis indifferentia ista & tolerantia promiscua atque universalis defendi cœpisset. Feciisse id notat quendam, quem *Fabrum* (le Fevre) nominat, edito Salmurii tractatu Gallico *de Reunione Christianismi*, quem quidem Synodus damnaverit, & autorem ordine moverit. Narrat porro, ut ipse Sedanum ad Professionem Theologicam vocatus, Lutetiam ad *Johannem Claudium*, celebrem tunc Charentonensium Pastorem, excurrerit, & quantum religioni Reformatæ periculum ex novis opinionibus, & præsertim *Pajonii*, Professoris Salmurienſis, & postea Pastoris Aurelianensis, viri quidem docti & sibi amicissimi scriptis instaret, intellexerit, eaque occasione tractatum suum de *Natura & Gratia* (vid. Acta nostra An. 1688. p. 695.) ediderit, secuta inde Pajoniani dogmatis condemnatione. Inductum in errores illum aliosque esse monet libro pessimo *Rhodonis* cujusdam de *Suppositio*, Tolosæ quidem publice combusto, & scriptis *Episcopii* atq; *Curcellei*, haustaque inde opinione heterodoxa in articulis de Trinitate & incarnatione, aut laxa illa circa eos indifferentia, atque tolerantia Socinianismi. Crevisse hominibus istis audaciam, postquam ex Gallia ejecti essent, & absque ephoris & disciplina in alieno solo vagarentur. Sic anno 1686 procusum esse in Belgio *Commentarium Philosophicum*, librum pestilentem & in propugnanda indifferentia & tolerantia religionum audacissimum. Hunc a se refutatum esse tractatu *de Duabus Summis Potestatibus*, *Conscientia nempe & Ma-*

Magiſtratu. Non minus noxium fuiſſe aliud ſcriptum, cui titulus: *Reflexiones ſive conſiderationes controverſiæ de Eccleſia*; cujus autor finxerit, ſe cum Jurio in iſta quæſtione conſentire. Illo libello ait Socinianiſmum recte, Pelagianiſmum aperte propinari, a ſe autem, cum alio labore occupatus eſſet, refelli tunc non potuiſſe; inſeruiſſe ſe tamen brevem animadverſionem *Novellis de Rep. literaria*, cui, quod ſciat, hucusque nihil reſponſum ſit. Eodem tempore Roterodami prodiiſſe refert tractatum, in Anglia a juvene quodam Gallo, ſed ab aliis adjuto compoſitum, cum titulo: *Fides intra juſtos terminos redacta*; in quo itidem dogmata de Trinitate & Incarnatione pro indifferentibus habeantur. Hoc ſcriptum, ſe denunciante, in Synodo Hagienſi anno 1688 condemnatum, & autorem remotum a Miniſterio fuiſſe, qui poſtea in Galliam regreſſus religionem Reformatam abjuraverit; ſe vero *epiſtolam paſtoralem* eo de caſu ad inſtruendos atque contra ſcandalum præmuniendos pios edidiſſe. Reprehenſum quoque a ſe eſſe memorat Paſtorem Gallorum *Hamburgenſem*, Socinianiſmi ſuſpectum & pro tali in Synodo Amſtelodamenſi habitum. Queritur de Gallo quodam in Anglia ejusdem erroris defenſore, qui Epiſcopo Londinenſi ſubrepſerit, & ne quicquam renitente venerabili inter Gallos Eccleſiaſtas Sene *Bordæo*, facultatem docendi impetraverit. Illum poſtea palam ſtatuiſſe, ſufficere, ſi Chriſtus vocetur filius Dei, nec inquiratur aut explicetur qualis ſit, quodque nemo propter errores in fide damnetur. Plusquam duodecim alios ſimilia docentes, & Curcelleum atque Pajonium ſectantes, ad Miniſterium in Anglia promotos eſſe, notat. His intellectis, publicatas a ſe eſſe indicat epiſtolas, quæ poſtea in volumen congeſtæ ſint cum titulo, *Repræſentatio Socinianiſmi* (vid. Acta noſtra 1691. p. 449.) Contra illas pro excuſanda Socinianorum ſecta prodiiſſe Animadverſiones, de quibus orthodoxi in Anglia queſti fuerint, illorumque monitu & ſuo ſuaſu excerptas ex ejusmodi libris propoſitiones in Synodo Amſtelodamenſi anno 1690 cenſuram paſſas eſſe, magna quidem cum invidia ſua & multiplici adverſus decreta Synodi oppoſitione, cui etiam calumniæ acceſſerint, ac ſi Synodus ultra limites officii progreſſa jus magiſtratuum in improbanda tolerantia invaſiſſet. De hoc argumento multa diſſerit, & demonſtrat, quatenus Miniſtri Eccleſiæ Magiſtratui ſua-

dere aut disſuadere posſint, quæ adverſus hæreſes & ſchiſmata agenda ſint. Reſpondet etiam objectioni, quod Theologis, qui hæreſes denuntiant, a ſuffragiis in Synodo abſtinendum ſit, monetque hoc contra jus & praxin Eccleſiæ poſtulari. Addit ſpem eſſe, fore, ut novis his ſectis frænum injiciatur, nec fruſtra ſint, quæ ipſe cum Epiſcopo Londinenſi hac de re egerit, & ad ipſam Sereniſſimam Angliæ Reginam ſcripſerit. Exponit etiam litem ſuam cum *Jaquelotio* exule Paſtore Gallo, Hagæ nunc agente, quem Socinianiſmo favere, & ſalutem Ethnicis, qui neque Chriſtum, neque Deum, ignorantia ſcilicet invincibili cognoſcant, adjudicare ſcribit, qui etiam in ſubſcriptione Synodi Amſtelodamenſis expreſſe reſervaverit, neminem religionis cauſa affligendum eſſe; quod Jurius eo interpretatur, ut Magiſtratui omnis cura contra hæreſes auferatur, ex improbo principio, quod ad ſalutem in omnibus religionibus via pateat, quæ ipſiſſima ſit *Commentarii Philoſophici* ſententia, cujus autorem ſaltem ex parte fuiſſe *Jaquelotium* vehementer ſuſpicatur. Hæc ſunt, quæ ex Apologia iſta referenda eſſe duximus, omiſis, ut profeſſi ſumus, quæ de Bailio aliisque, quibus cum litigat, interſerit, quorum notitia ad hiſtoriam literariam parum facit.

Ad Illuſtriſſimum Dominum, DN. MAURIT. HENRICUM L. B. A MILTIZ, Dynaſtam Bazdorfſii, &c. Epiſtola altera CHRISTFRIDI WÆCHTLERI, D.

Dresdæ apud Immanuel. Bergen, 1692. in fol. Plag. 3.

QUoniam perſpectum Clariſſimus Autor habuit, quod Patrono, ad quem ſcribit, Potentiſſ. Saxoniæ Electoris ad Comitia Ratisbonenſia hoc tempore Legato, nihil ſoleat majori eſſe voluptati, quam negotiis gravioribus peractis, Eccleſiæ priſcæ pietatem cum modernæ cultu componere, Patrum felicitatem ex noſtro lumine metiri, ad gentiliſmi ſeu origines, ſeu propagines reſpicere, nunc Phœnicum, atque Colchorum, & Syrorum ritus, moresve patrios

Ægy-

Ægyptiorum intueri, nunc patris historiarum Herodoti mentem dispicere cum judicio, nunc Flavii Josephi scriptionem pressus indagare; placita nonnulla Johannis Spenceri de, *Circumcisione* sub examen revocanda censuit.

Negat vero, ut epistolæ argumentum obiter attingamus, ulla nos cogi necessitate, ut cum Spencero circumcisionem duplicem fingamus, *Patriarchalem*, & *Mosaicam*. Posteriori huic obstare Christi verba, *Moses dedit vobis circumcisionem*, οὐχ ὅτι ἐκ τοῦ Μωσέως ἐστὶν, ἀλλ' ἐκ τῶν πατέρων; Joh. VII, 22. id est, non tanquam rem novam protulit, sed mandatum de pueris circumcidendis Abrahæ traditum. Genes. XVII. renovavit: nec minus effatum Pauli, asserentis fuisse Christum circumcisionis ministrum εἰς τὸ βεβαιῶσαι τὰς ἐπαγγελίας τῶν πατέρων, Rom. XV, 8. Illisque dictis Mosaicam aliquam, Patriarchali contradistinguendam, destrui aperte nimis ac everti.

Circa Patriarchalem observat, divulsisse Spencerum verba Pauli (*Abraham signum accepit circumcisionis, signaculum justiciæ fidei, quæ est in præputio*, Rom. IV, 11.) signumque temporis illius sigillo salutis opposuisse temere. Nihil enim aliud Paulina verba sibi velle, quam: Abraham accepit circumcisionem, sigillum ejus justiciæ, quam fide sua consecutus est, cum adhuc esset in præputio, seu, cum nondum esset circumcisus. His positis Irenæi, atque Tertulliani loca, Spencero adducta Autor vindicat, & priorem quidem loqui ostendit de circumcisione, prout actus carnalis sive corporalis est; eo autem justiciam non acquiri, nedum consummari, oppido esse manifestum: in posteriore, prærogativam quidem salutis negari Abrahamo in ordine ad æque fideles alios, minime vero efficaciam Sacramenti. Porro, Circumcisionem cordis, quæ in sacris passim præcipitur, negat mere moralem esse, quod *primo* fieri dicatur ἐν πνεύματι, καὶ ἐν τῷ καρδίᾳ, Rom. II, 28. seq. non enim filice peragitur, glandis pelliculam resecante, ut Paraphrastes loquitur, sed Spiritu pravas cupiditates omnes ab animo recidente: quodque *secundo loco* circumcisio Christi ideo nominetur, Col. II, 11, 12. neque Divum Jacobum, πᾶσαν ῥυπαρίαν, καὶ περισσείαν κακίας deponere jubentem I. cap. v. 21, alludere ad rejectionem pelliculæ superfluæ, quæ per circumcisionem fiat, voluisse, quod in causa peccati τὸ περισσὸν nunquam idem sit, quod *superfluum*:

fluum: quodve ipſa pelliculæ præciſio totum potius corpus peccatis contaminatum, exuendum eſſe innuat: id quod Damaſceni, Epiphanii, Auguſtini, atque Athanaſii autoritate uberius ſtabilitur.

Præterea, temere omnino a Spencero putat conjici, fuiſſe circumciſionem ſignum προφυλακτικὸν, & ad Cacodæmonis injurias, a perſonis illo charactere munitis propulſandas, ex Dei gratia valuiſſe; utut opinione iſta non leviter tinctus videatur Origenes. Neq; fortes illos ſexaginta, circa lectum Salomonis conſtitutos, fortitudinis ſuæ præſidium in circumciſionis charactere collocaſſe. Id enim ſi feciſſent, adeo illis non fuiſſe dæmones, qui in nocte ambulant, timendos, ut vel ſuavi ſomno indulgere licuerit omnibus. Neque conjecturam ejus generis ulla Clementis Alexandrini autoritate ſuffulciri, licet baptiſmum (circumciſioni ſuccedentem) perfectam cuſtodiam appellet: in ſenſus enim multo ſubtiliores Patrum diſertiſſimum excurreret. Tacemus, quod longe aliud ipſius Domini, ſtatim a baptiſmate tentari, exemplum ſuadeat; aliud etiam quintæ petitionis neceſſitas.

Signum deinde politicum fuiſſe circumciſionem, quo peregrini in album civium Reip. Judaicæ adſcriberentur, affirmari quidem a Spencero; negari tamen Bezæ, Thomæque Taillorio, Theologo Britanno: ſed ejus commatis inventa non exhaurire pondus ait, ac valorem ſanctiſſimæ inſtitutionis: aliam quoque mentem Joſuæ fuiſſe, circumcidentis egreſſos ex deſerto. Quo loco obſervat, non deeſſe, qui omiſſionem hujus Sacramenti invaleſcentem in deſerto ad caſtigationem parentum malint, quam ad impedimentum & moleſtiam continui itineris referre, propterea quod Ebræorum caſtra non ſingulis diebus, ſed poſt intervalla ſubinde eximia, etiam menſtrua, mota legantur atque permutata, Num. IX, 22. Negat quoque, præputium dici hic ſignum ſervitutis Ægyptiacæ, non ſolum quod nati in Ægypto, vel medio ſervitutis tempore, fuerint circumciſi; verum etiam quod præputium victorum & miraculoſe liberatorum inepte habeatur pro ſigno ſervitutis patrum: & quidem ejus ſervitutis, quæ juſtiſſimo Numinis judicio, in perpetuum Ægyptiorum opprobrium fuerit vindicata. Neque divum Apoſtolum quicquam minus, quam ſignum politicum in mente habuiſſe, Eph. II, 12, 13, 19. quod eo in loco alienati quidem a republ.

publ. Iſraelis dicantur Epheſii; verum non intuitu honorum aut dignitatum civilium, ad quas in eadem adſpirare præputiatis non licuerit; ſed ratione ſpiritualis fœderis. Fuiſſe enim characterem præcipuum τῆς πολιτείας τοῦ Ισραὴλ, non eſſe amplius χωρὶς χριστοῦ, ſed συμπολίτας τῶν ἁγίων καὶ οἰκείους τοῦ Θεοῦ, eoque eſſe prope factum ἐν τῷ αἵματι τοῦ χριστοῦ. Sigilli quidem rationem & officium circumciſionem præſtitiſſe, verum non tam eo nomine, quod Deum adſtrinxerit ad repræſentanda promiſſa, niſi notam fidei violatæ ſubire voluiſſet; quam quod medii partes ſuſtinuerit, juſticiamq; Abrahami fide impetratam, obſignaverit. Id quod verbis Ludovici de Dieu, ad Rom. IV, 13. diſſerentis illuſtratur. Porro disquiritur, num ex parte hominum vis hujus ſigilli coarctari intra jugi legalis terminos debuerit: quod Autor negandum cenſet, ne infringatur περισσὸν τοῦ Ιουδαίου, ad Rom. III, 1. confirmatum, neve minuatur gloria, ad Rom. IX, 4. eidem genti attributa. Non tamen opus eſſe, ut propter gentis hocce decus eximium, cum Lightfooto ex baptiſmo faciamus circumciſionis appendicem, utut adſint eorum exempla, qui & circumciſi fuerint & baptiſati: licet etiam de baptiſmo matrum, Saræ, Rebeccæ, Rachelis, Leæ, apud *Raymundum* in Pugione fidei, & alios, veſtigia quædam conſpiciantur.

Quod reliquum eſt Epiſtolæ, in nova *Marshami* ſententia de circumciſionis origine & antiquitate, refutanda conſumitur, & quamvis conteſtetur Spencerus, nolle ſe in re tam ſacra & perplexa partes ſumere Judicis; pellucere tamen ex hoc ipſo *Wachterus* notat ſtudium, quo Scriptor laboret, partium, & perinde eſſe, ac ſi aperte profiteatur, cauſſam Abrahami multo debiliorem videri, quam Ægyptiorum, & Herodoti autoritatem autoritati Moſis longe præferendam eſſe. Ad locum itaque ex Herodoto productum, reſpondet paucis, phraſin ἀπ' ἀρχῆς non de gentis initio, aut rerum Ægyptiarum primordio eſſe capiendam, ſed de principio ætatis, ſeu nativitatis cujusque & vitæ. Cum enim Arabes, quod ex Joſepho diſcimus, poſt annum demum ætatis decimum tertium circumciderentur; diſpar ſaltem Ægyptiorum vicinorumque inſtitutum hic ab Herodoto oſtendi, quod Ægyptii ſtatim à principio nativitatis ſuos circumcidant pueros. Fatetur quippe

eodem

eodem in loco, circumcidi ab Ægyptiis τὰ αἰδοῖα τῶν σπιγνομένων, hoc eſt, recens natorum genitalia: imo nec diſſimulat, ob antiquitatem valde remotam dicere ſe non poſſe, utri ab utris didicerint, num Æthiopes ab Ægyptiis, num hi ab illis. Tacemus, quod vulgi potius opinionem, Judæorum majores, quod ex Ægypto venerint, habentis pro Ægyptiis, (ut ex Joſephi libris contra Apionem conſtat) quam certum quoddam fundamentum Herodotus hac in relatione ſua ſecutus videatur, eoque minus mirum eſt, teſtimonium illius, & quicquid Græcia mendax audet in hiſtoria, apud cordatiores parum invenire fidei. Hinc & Joſephi teſtimonium, Libro I. contra Apionem Herodoti locum adducentis, a *Wachtlero* excutitur, aſſerturque, fruſtra queri Spencerum, quod Joſephi lacinia in hodiernis Herodoti exemplaribus deſideretur; cum cenſuræ & ſententiæ, quæ ipſius Joſephi erat propria, cum textu Herodoti nihil commercii eſſe poſſit aut debeat. Relationem Herodoti dicto quidem in loco non impugnari a Joſepho; verum nec approbari ideo, quod quæſtio de prima circumciſionis origine, a Flavii ſcopo nunc aliena fuerit, probare ſolum contendentis, τρόπον τινὰ & aliquo ſaltem modo, mentionem Judæorum factam fuiſſe ab Herodoto: alibi vero, præſertim L. VIII Antiq. Jud. c. IV. (X) non obſcure eundem in hac ipſa cauſa erroris argui. Et quamvis Moſes c. XVII Geneſ. forte non dixerit, primum mortalium Abrahamum circumciſum eſſe; dixiſſe tamen haud dubie, primum Dei mandato circumciſum, eoque nullatenus imitatum fuiſſe Ethnicos: aut denique litem intentari omnem Moſi, quod, an Deus illos, an illi Deum fuerint æmulati, an Hebræi fuerint Ægyptiorum, num hi iſtorum ſimii, non expreſſerit: ex Jeremiæ c. IX, 25. aperte intelligi, retuliſſe Deum ipſum Ægyptios ad incircumciſos, eoque ſtigma, ſi quod fuit Ægyptiorum, divino judicio æſtimari præputium & ſuperſtitionem, quod vim medii fœderalis minime omnium habuerit. Rem tandem adeo manifeſtam videri, ut oppoſitam ſententiam Spencerus approbarit ipſe in Theodoreto: *Hoc*, inquiens, *ſcite obſervavit Theodoretus in Ez. XX. Circumciſionem Idumæos quoque habuiſſe, qui ab Eſau ducebant genus: Ismaelitas ſimiliter: Ægyptios etiam a Judæis hanc edoctos, obſervare ſtuduiſſe.* adductisque locis Theodoreti gemellis, certum eſſe concludit, de prima Ægyptiorum, Æthiopum, Colchorum circumciſione nulla extare veſtigia.

DIFFICUL-

DIFFICULTEZ PROPOSEES A Mr. Steyaert &c. i.e. *Difficultates D. Steyarto, Theologo Lovanienſi, propoſitæ &c. Pars III. IV. V. VI.*

DE prioribus duabus Operis hujus partibus menſe Februario pag. 62. & ſqq. diximus. Nunc quatuor reliquas perluſtrabimus. Propugnat iterum Autor diſciplinam ſtrictiorem, quam in confeſſionibus obſervant *Patres Oratorii*, & Steyarto exprobrat, quod eos, qui id faciunt, Janſeniſtarum & Rigoriſtarum cognomine diffamet, cum tamen in Belgio & Gallia optimi quique ex Clero eandem ſeveritatem tueantur. Motos enim eſſe ait plerosque in Gallia Paſtores publicato a *D. Arnaldo* libro famigeratiſſimo de *frequenti communione*, cum tam crebros relapſus poſt confeſſiones & abſolutiones in priſtina vitia, ſive ut alibi loquitur, *perpetuum circulum confeſſionum & peccatorum* viderent: parciores itaq; factos eſſe in impertienda abſolutione, & de emendatione prius certiores fieri voluiſſe. Idem ſuaſiſſe libris editis *Huygenium* Theologum Lovanienſem, in *Methodo dimittendi & remittendi peccata*; *Roucurtium* Paſtorem Bruxellenſem, in *Inſtructione de pœnitentia*; *Felonium* de *Converſione peccatoris*. Tractatus iſtos omnes Gallice verſos, & Lutetiæ cum privilegio Regis excuſos eſſe memorat, ante annos circiter XIV. Refert ordinationem Synodalem Cardinalis *Camuſii*, Epiſcopi Gratianopolitani, anno 1690 in Diœceſi ſua publicatam, in qua ſecutus fuerit leges a Cardinali *Grimaldo*, Archiepiſcopo Aquenſi, anno 1674 promulgatas, quarum approbatio a plus quam quinquaginta Epiſcopis in Gallia impetrari potuiſſet. Inſerit decreta utriusque Cardinalis Gallice verſa, quibus inter alia cavetur, denegandam eſſe abſolutionem omnibus habitualiter peccantibus: inter peccata vero nominatim recenſent Epiſcopi concubinatum, uſurariam pravitatem, ebrietatem, inimicitias capitales, profanationem Sabbathi, luxum fœminarum in veſtibus & corporum denudatione ac fuco, negatam reſtitutionem ablatorum, itemque negatam ſolutionem legatorum ad pias cauſas: nec magis ad abſolutionem admittunt eos, qui nullum veræ & ſupernaturalis contritionis indicium dant, nec moniti occaſiones peccandi proximas evi- P. III.

tant, dataque eam ob causam a Pastoribus consilia negligunt, denique etiam illos, qui liberos famulosque ad catechisationem non mittunt. Allegat praeterea Autor in hanc sententiam theses *D. Hennebelii* ex Systemate Sacramenti poenitentiae, & contra exceptionem *Steyarti*, quod *Rigoristae*, quos vocant, receptae consuetudini ecclesiasticae adversentur, opponit decretum Episcopi *Atrebatensis* plusquam triginta aliis Episcopis probatum, in quo decidit, *consuetudinis Ecclesiasticae nomen non mereri relaxationem disciplinae, quam ignorantia, itemque lectio malorum autorum, respectus utilitatis, turpis denique assentatio apud multos Pastores introduxerit.* Provocat ad ipsius *Steyarti* scripta, in quibus de *Confessariis* queritur, qui in *gloriae titulis ponant, quod nunquam in vita quenquam sine absolutione dimiserint*, quodque idem testetur, praxin in hac parte corruptiorem esse theoria. Cætera, quae illi magna cum severitate objicit, brevitatis studio omittimus. Constat tamen ex dictis, esse hoc tempore in Gallia & Belgio Episcopos, qui hanc labem Ecclesiae suae in relaxatione disciplinae serio abstergere cupiant. Illos omni laude dignos praedicat Autor, & Cardinalis *Caroli Borromaei*, Archiepiscopi Mediolanensis, qui inter Sanctos nostro seculo relatus est, exemplo animat, nullamque aliam viam corrigendae disciplinae supereſſe contendit, rejectis & elisis remediis, quae *Steyartus* proposuit.

p. 42.

Non minus graviter tractat materiam de lectione S. Scripturae laicis minime interdicenda. Hac disputatione maximam libri partem, quartam nempe & quintam, simul occupat Autor, vehementer *Steyartum* insectans, quod Belgis in ditione Hispanica beneficium hoc eripere conetur. Parte igitur IV duas quaestiones proponit, (1) An libri sacri tantum in Cleri, non vero in omnium fidelium, qui nunc sunt aut futuri sunt, usum scripti sint? (2) Posito, quod ad omnium utilitatem pertineant, an nihilominus, quia plurimis nullum aut exiguum afferunt profectum, ab omnibus, viris foeminisque, divitibus & pauperibus, doctis & indoctis, legendi sint? Non dissimulat, improbat potius & deplorat, quod *Malletus*, Archidiaconus Rhotomagensis, aliique contra lectionem Scripturae populo permittendam publice hoc tempore scripserint, quorum tractatus congestos esse dicit in volumen cum titulo: *Collectio autorum versiones vulgatae damnantium.* Putat tamen, ab illa sententia, quod sacer-

P. IV. p. 7.

codex

codex tantum in usum Cleri scriptus sit, omnes probos Catholicos abhorrere. Provocat ad librum contra *Malletum*, in quo invictis argumentis refutatus sit. Nunc uno sed palmario, pro affirmanda quæstione altera utitur, quod veritas in Scripturis revelata ab omnibus fidelibus cujuscunq; sexus, ætatis & cõditionis, legi & percipi debeat. Confirmat hoc exemplo Timothei, qui patre gentili genitus, *ab infantia*, teste Paulo, *sacras literas didicerit*, easdemque legerint mater & avia illius. Urget plerarumque epistolarum Paulinarum inscriptiones toti cœtui factas, cum tamen plerique civitatum illarum Christiani ex infima plebe fuerint, testante id Apostolo I. Cor. I. 26. 27. Licet vero in epistolis ad Galatas & Thessalonicenses non omnes singulosve, sed Ecclesias compellet, dubium tamen ait non esse, quin omnes alloquatur. Petrum quoque priorem epistolam *advenis dispersionis*, i. e. reliquis Israelitarum ex omnibus tribubus; alteram iis, qui *coæqualem sortiti sunt fidem*, i. e. gentilibus conversis inscripsisse: ad omnes etiam Christianos pertinere, cum II. Petr. I. 19. dicitur, quod *bene faciant attendentes sermoni Prophetico:* inique excludi fœminas, cum non sit *in Christo masculus nec fœmina*, Gal. III. 26. & Christus summum de adoratione Dei in Spiritu & veritate mysterium, Joh. IV. 24. fœminæ proposuerit. Vehementer p. 19. it. itaque reprehendit Steyartum, quod puellas in oppido *Binchensi*, 30. it. quæ post sacra die Dominico ad legendum Novum Testamentum Part. V. p. privatim convenerant, vituperet, & Montenses, quibus contrarium (ex Jesuitarum instigatione) placuerit, his verbis laudet: *Prælectio Sacræ Scripturæ (cum, vel sine explicatione) per fœminas coram aliis fœminis vel puellis facta, meritissimo in hoc oppido Montensi abolita est: nec minus merito curabitur, ne resumatur. Sola novitas periculosa sufficit pro ratione. Quin & lectio promiscua Sacræ Scripturæ, vel saltem Novi Testamenti, etiam inter viros periculosa videtur.* Insignia testimonia Patrũ affert, qui promiscuam Scripturæ lectionem p. 26. suaserint, & *Malletum* summæ impudentiæ pessimæque fidei accusat, qui contrarium ex veterum sententia & observatione asserere non sit veritus. Citat decretum Concilii Aquisgranensis sub *Ludovico Pio* habiti, quo fœminis religiosis lectio Scripturæ injungitur. Steyartum notat, quod ad quæstionem hanc, an plebejis concedenda sit lectio S. Codicis, diserte respondere noluerit. Urget di-

ctum Rom. XV. 4. quod ad omnes Christianos pertinere minime ambigit. Laudat libros Gallicos admodum pios & utiles, sed a Steyarto improbatos, quorum alter titulum habet: *Monilia in epistolas S. Pauli*; alter, *Annus Christianus*. Armaturam spiritualem, & speciatim *gladium Spiritu, qui est verbum Dei*, ex præcepto Pauli Ephes. VI. omnibus & singulis Christianis sumendum esse urget, & emolumentum lectionis Biblicæ II. Tim. III. 16. 17. indicatum non solum ad Doctores Ecclesiæ, sed ad omnes Christianos spectare ostendit, nec difficile esse, ut etiam plebeji illud percipiant, præsertim in quæstionibus moralibus. Id exemplo Gallorum probat, qui, nisi lectione Scripturæ populariter imbuti fuissent, a pravis illis opinionibus, quas Jesuitæ de probabilitate aliisque ejusmodi morum corruptelis disseminaverint, tam facile non fuissent revocati. Ex Steyarti sententia Abrahamum non putat dicere debuisse, *habent Moysen & Prophetas*, sed, *habent Pastores & Doctores*.

p. 75. Refutat, quicquid de obscuritate Scripturæ objici solet, falsumque esse ait, quod hodie populus non, ut olim, Episcopis Pastoribusque

p. 87. suis, si probi sint, obsequatur. Immorigeros sane omni tempore fuisse non negat, neque tamen ideo ab ullo veterum Episcoporum plebem a lectione Scripturæ repulsam fuisse. Rejicit etiam, quod dicitur, veteres Episcopos desideraſſe, ut populus Scripturas legens ex-

p. 97 plicationes ab Ecclesia peteret; nullum enim hujus cautelæ vestigium extare. Vehementer itaque queritur, quod Virginibus sacris li-

p. 100. bri Biblici auferantur, & fœminæ devotæ cum canibus comparen-

p. 109. tur, quibus panis filiorum dandus nō sit. Ex Origene, Cæsario, Augustino & Chrysostomo, egregiis dictis sententiam firmat, & pernegat ullum Patrum credidisse, quod ea notitia religionis populo suffi-

p. 116. ciat, quam ex concionibus Pastorum haurire possit: quod tamen illo tempore facilius fuisset, quo plurima ex Scripturis, & quidem lingua patria sive intelligibili, populo prælegebantur. Ostendit quoque, qua ratione sæpe lectio utilior sit, quam auditus, & quam inepte hodie populo, Scripturæ & piarum commentationum loco, a Jesuitis com-

p. 128. mendentur libri inutiles, nominatim *Psalterium Marianum*, quod

p. 132. 135. falso *Bonaventuræ* tribui putat. Exquisita præterea Patrum loca adducit, quibus lectio Sacræ Scripturæ omni generi hominum, & speciatim fœminis virginibusque saluberrima esse evincitur.

Cum

Cum vero primarium argumentum, ut a lectione Biblica laici removeantur, ex constitutionibus Pontificiis petatur, *Parte V.* de illis prolixe agitur. P. V.

Extat nempe in Indicibus librorum prohibitorum, a plurimis Pontificibus confirmatis, Romæque publicatis *Regula IV.* qua cavetur, *quoniam experimento manifestum sit, plus detrimenti ob hominum temeritatem, quam utilitatis oriri, si sacra Biblia lingua vulgari passim sine discrimine legi permittantur, ut Episcopi & Inquisitores consultis Pastoribus & Confessariis, iis tantum lectionis facultatem concedant, de quibus constet, quod inde non damnum, sed augmentum fidei capere possint.* Extenditur id *Regula VI.* ad libros vulgari lingua de controversiis religionis editos, & *Regula IV.* observatio additur, qua concessionis facultas magis restringitur, & compendia etiam vel summaria Biblica, etsi historica tantum essent, vetantur. Hic primum disquirit Autor, an Index iste cum regulis suis autores habeat Patres Concilii Tridentini, idque negat, & ex actis Sess. XVIII. & XXV. refert, datum quidem negotium fuisse Delegatis quibusdam ad investigandos & prohibendos libros suspectos & pernicioſos, sed inter hos, Biblicos nullo modo referri potuisse. Addit, Cardinalem *Madruccium*, cum *Pacecus* Cardinalis Hispanus etiam Bibliorum lectione populo interdicendum esse diceret, (fatente id Pallavicino Hist. Conc. Trid. Part. I. Lib. VI. cap. XII.) sese oppositisse, & cum Pacecus prohibitionem Bibliorum a Paulo II. in Hispania publicatam allegaret, regessisse, Pontificem illum & alium quemcunque falli potuisse, minime vero Paulum Apostolum, studium Scripturæ ab omnibus poscentem; quam sententiam, quod Pontifex in rebus facti & experientiæ falli possit, Autor mirifice probat. Contendit inde, de allegata in *Indice* experientia non satis inquisitum & cognitum fuisse, neq; libertatem per quindecim secula in Ecclesia exercitam per prætextum illius periculi auferri populo debuisse. Argumentatus inter alia, quæ omittimus, Steyartus erat ex decreto Pontificis, quo anno 1679 quotidianæ communionis usum in Hispania, a quibusdam intempestive introduci cœptum, licet notum sit, eam antiquæ Ecclesiæ consuetudine receptam fuisse, abrogavit aut restrinxit. Respondet Noster, merito decretum illud condidisse Pontificem, ob summos abusus quotidianæ illius communionis; de quibus *Johannem Sanctum* & Jesuitam *Mascarenium* horrenda referre notat: interim arbitrio Confessariorum

p. 18. & seqq.

p. 16.

p. 76.

rum detuliſſe, ut eam pro perſonarum ratione & pietate concederent. At non æque reſtringi poſſe lectionem Bibliorum, quæ ab antiquo Chriſtianis omnibus, imo & nondum converſis libera fuerit. Teſtatur porro, regulas illas *Indicis* nec in Gallia, neque in Polonia, Hungaria, Germania aut Belgio publicatas aut receptas, ideoque quia uſu Eccleſiæ non comprobentur, obſtante jure Chriſtianorum omnium generali, pro legibus validis habendas non eſſe, parumque probat, p. 106. quod in Italia & Hiſpania obſerventur. Decretis Synodalibus anno 1584 & 1609 in Gallia habitis, tantum verſiones ab Hæreticis compoſitas p. 118. prohiberi dicit; in Belgio vero jam anno 1546 prodiiſſe verſionem Bibliorum Gallicam cum privilegio Caroli V. Laudat inprimis edictum Caroli (quod *Interimiſticum* vocari ſolet) anno 1548 publicatum, quo lectio Biblica populo egregie commendatur. Idem p. 135. ſæpe decreviſſe dicit Epiſcopos & Synodos in Belgio. Periculum quoque lectionis ceſſare hodie ait, poſtquam plebs Romano-Catholica non, ut hæretici, definitionem in controverſiis ex Scriptura, ſed ab Eccleſia, i. e. Pontifice expectet, & ſic absque noxa magnoque cum fructu, quoad mores præſertim, Biblia legat. Citat teſtimonium *Poſſevini* Jeſuitæ, Wieckium ex eadem Societate laudantis, qui Biblia aliosque libros ſacros & utiles Polonice verterit, cura Archiepiſcopi p. 144. Gneſnenſis, magno cum Catholicorum emolumento publicatos. Provocat ad *Veronii* ſcriptum, qui dimiſſus ex Societate Jeſuitica, multum in converſione Reformatorum in Gallia contulerit, & utilitatem p. 159. 160. lectionis popularis, edito tractatu, egregie demonſtraverit. Severe poſtea & paſſim taxat *Richardum Simonem*, famoſum Critices ſacræ autorem, qui in Jeſuitarum gratiam de lectione populo non permittenda multa commentatus ſit, eumque Rabbiniſmi & Pyrrhoniſmi accuſat. p. 179. Econtrario Regis Galliarum ſtudium & munificentiam laudat, qui maximis impenſis Novum Teſtamentum & Pſalterium, Gallice verſa, ad uſum converſorum excudi & diſtribui fecerit, multo rectius quam Jeſuitæ, qui Pſalterium, de quo ſupra dictum eſt, Marianum aliosque ejusmodi libros ſuis commendent, faciantque, ut homines in ſanctis fiduciam ponant, & Chriſti obliviſcantur. Denique rigorem prohibitionis Romæ ſeculo ſuperiori factæ fervori contenp. 324. & ſeqq. tionis cum Proteſtantibus imputat: fatetur quoque, quod antiquitatis Eccleſiaſticæ & Patrum doctrinæ non ea tunc fuerit notitia

quæ

quæ hodie; id quod Cardinalis Perronii & Bellarmini exemplo demonſtrat, hac ipſa in quæſtione ex ignorantia priſcæ conſuetudinis errantium.

Pars VI. tota fere oppoſita eſt *Richardo* illi *Simoni*, cui non niſi perfunctoriam quandam rerum variarum notitiam tribuit, judicio vero carere, & plurima temere & ſecum pugnantia effutiiſſe eum dicit. Refellit inprimis, quæ is Lib. I. Crit. Vet. Teſt. c. 23. & 24. contra verſionem Novi Teſtamenti Montenſem, & contra cenſuram Lovanienſium & Duacenſium Theologorum adverſus Jeſuitas, in quæſtione de inſpiratione librorum ſacrorum commentatus eſt. Hanc Autor egregie aſſerit, nec *Simonem* ſolum, ſed etiam quos ille ſectatur, *Grotium* & *Cornelium a Lapide* acriter perſtringit, & Socinianis ac Spinoſæ fere accenſet. Inſignia maxime ſunt, quibus contra eundem *Simonem* authentiam dicti I. Joh. V. 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo &c.* præcipue ex Cypriano & Epiſcopis Africanis, qui Hunerico Vandalorum Regi Ariano fidei confeſſionem anno 484 exhibuerunt, eximie propugnat. Multa præterea, quæ Philologiam ſacram juvant, erudite annotavit, & tandem plura ſe de Montenſi verſione, & ut ea injuſte prohibita, nihilominus tamen per totam Galliam & in Belgicis provinciis vulgata, omnibusque grata & utilis ſit, poſthac editurum eſſe pollicetur.

COURS ENTIER DE PHILOSOPHIE &c.

Curſus integer philoſophicus, ſive Syſtema generale ſecundum Principia Carteſii, continens Doctrinam Logicam, Metaphyſicam, Phyſicam, & Moralem. Autore Petro Sylvano Regis.

Amſtelodami ad exemplar Pariſinum apud Hugetanos, 1691. in 4. Tomi III. Alph. 10. plag. 10. cum figuris æneis.

IN Præfatione clariſſimus Autor ait, ſeſe jam decem & amplius abhinc annis opus hoc ſuum fuiſſe editurum, niſi fortuna vel invidia obſtitiſſet. Excitatum ſeſe ad hunc laborem, quod nullum Philoſophiæ (Carteſianam intelligit) Syſtema completum & conſentiens extaret.

taret. Logicæ putat ultra ea, quæ habentur in Autore *Artis Cogitandi*, vix posse aliquid addi; cæteras Philosophiæ partes augeri posse. Partitionem Operis in Præfatione tradit. Præmittit Dissertationem de Philosophia, qua Historiam ejus quandam compendio tradit, in reprehendendis veteribus paulo fortasse severior. *Thaletem* ait, omnia animata credidisse; sed nihil esse facilius hoc philosophandi genere, quod omnes difficultates ad rei animam referat. *Pythagoricorum* silentium ipsi ridiculum videtur, obscuritasque in docendo indigna Philosophis; etsi censeant alii, *Pythagoram* arcaniora quædam non temere spargenda putasse. *Platonem* docuisse nihil sciri, dum omnia ad simplices ideas qualitatibus nudatas retulerit; Mundum animatum credidisse, quia mundo nihil excellentius, debili, ut putat, argumento. *Aristotelis* Logicam & Ethicam laudat; Physicam spernit: tametsi videtur *Carteſius* potissimum *Aristotelis* de continuo & pleno sententias secutus, ut in cæteris Democriti. *Stoicos* Autor parvi facit, etsi Ethica *Carteſii* tota videri possit Stoica. *Epicurum* præ cæteris laudat; *Democriti* ne meminit quidem; *Scholasticos* paucis attingit. *Galilæum* ut Philosophiæ repurgatorem primo loco ponit, qui pro egregiis inventis id pretii tulerit, ut quinque vel sex annis in carceribus Inquisitionis haberetur, & ad abjurandum Systema *Copernici* cogeretur. *Gassendum* deinde ex merito laudat; postremo in *Carteſio* conquiescit, sub finem tamen monens, æque inconsultum fore Carteſio aut veteribus nimium tribuere. *Baconum*, *Gilbertum* & *Keplerum*, qui multum contulere ad emendationem philosophiæ, plane præterit.

In *Logica* explicat quatuor operationes mentis: percipere, judicare, ratiocinari, ordinare seu methodo uti. Perceptiones seu ideas putat claras esse in se, non clarasſemper, si referantur ad objecta. Loco decem Prædicamentorum recentiores reducere ait ideas ad Classes septem; Cogitationem, Extensionem, Magnitudinem, Figuram, Motum, Quietem, Situm. Observat, in terminis compositis epitheta esse vel explicationes, vel determinationes: e. g. si dicam, *Lutetia metropolis Galliæ*, erit explicatio; sin dicam, *Homo sapiens*, erit determinatio vel restrictio. Propositionem tunc esse axioma, cum ad hujus veritatem cognoscendam, solam subjecti ideam mediocri attentione considerare opus est; sin alia præterea idea sit assumenda, opus

opus esse demonstratione. Asserit res non esse dividendas in substantias & accidentia, sed in substantias & modos. Regulas Syllogisticas omittit, velut non magni usus in Praxi. Methodum dividit in eam, qua nos docemus, & qua alios. Illam esse Analysin, hanc Synthesin arbitratur; illam comparat Progonologiæ, hanc Genealogiæ. Regulas utriusque tradit ex *Cartesio*, & Autore *Artis cogitandi*. Parte quarta Logicæ cap. 6, tradit aliqua indicia, quibus cognoscatur utrum aliqua idea sit vere, an apparenter clara. Notat ideas simplices semper esse reales; sed complexas esse vel reales, vel non reales; & has posse vel falsas esse, vel chimæricas, vel inventitias. Falsas esse, quæ falsum judicium involvunt, ut cum calorem concipimus velut rerum qualitatem, cum tamen (ex *Cartesianorum* sententia scilicet) sit in nobis; chimæricas esse, cum conjunguntur incompatibilia; inventitias denique esse, ut universalia, abstracta. Supersunt tamen de ideis multo profundiora, & majoris momenti, ad quæ introductionis loco esse possit G. G. L. *Schediasma de veris & falsis ideis* in his Actis A. 1684. editum. Præjudicia ad hæc capita reducit: magistros, opinionem plerorumque vel potiorum, consuetudinem, præsertim quæ est inde ab infantia, suppositionem principii incerti, amorem novitatis. Quæstionum has quinque species ponit: quærere quid sit res; quæ ejus causa; quis effectus; cui toti res insit tanquam pars; quænam pars alia insit eidem toti cui res data inest. Sophismatum capita ex *Aristotele* enumerat. p. 537. 540.

Metaphysicam ait tractare non tam de veritatibus abstractis, ut vulgo credant Philosophi, quam de substantiis a materia separatis, seu de spiritibus: itaque Metaphysica ipsi est, quæ non paucis Philosophis appellatur Pneumatica, ut adeo de nomine tantum lis sit. Putat Geometras didicisse sua a Metaphysicis, ex eo principio, quod quicquid clare percipitur, sit verum. Primum nos cognoscere ex cogitationibus nostris, quod existamus. Axiomatibus istis utitur: Nihili nullæ sunt proprietates: Omnis effectus præsupponit causam: Effectus non plus habet perfectionis, quam a causa recepit: Unumquodque quantum in ipso est, persistit in suo statu, seu, Omnis mutatio procedit a causa externa. Putat eos loqui exactius qui dicunt, *Ego sum cogitatio*, quam qui dicunt, *Ego sum substantia cogitans*. Sic & per sensationes ait sese intelligere cogitationes, quæ repræsentant ea, quæ sunt in nobis; per ideas autem vel perceptiones repræsentari ea p. 72.

p. 74. quæ ſunt extra nos. Cæterum hæc axiomata addit prioribus: Modus omnis præſupponit ſubſtantiam in qua exiſtat: Modus non poteſt transferri ab una ſubſtantia in aliam: Quicquid exiſtit ſubſtantia eſt, aut modus: Eſſentiæ rerum ſunt indiviſibiles: Privationes & negationes cognoſcuntur per realitates oppoſitas. Exiſtentiam corporis ita probare conatur: Extenſionis ideam habeo, eius autem ideæ in me non habeo cauſſam: Ergo cauſam oportet eſſe extra me, quæ non alia eſt quam corpus. Et ſi quis objiceret, ſubſtantiam aliquam ſuperiorem (veluti Deum) ingenerare nobis poſſe talem ideam; reſpondet, ſubſtantiam illam, quantumcunque perfectam, non poſſe efficere, ut idea extenſionis mihi potius repræſentet extenſionem quam aliud, niſi exiſtat ipſa extenſio. Si quis objiciat palatia fictitia, quæ concipiuntur, etſi non exiſtant; diſtinguit inter ideas ſimplices & compoſitas: putat enim compoſitas formari arbitrio noſtro, ſimplices non item. Atque hæc Autori occaſionem præbent talia ponendi axiomata: Res non cognoſcitur, niſi per ideam: Omnis idea dependet ab obiecto, tanquam cauſa exemplari: Cauſa exemplaris continet formaliter perfectiones ab idea repræſentatas. Ens ſumme perfectum exiſtere, concludit ex eo, quod non cognoſcamus rerum imperfectiones, niſi ex idea entis perfectiſſimi. Hanc autem ideam habere cauſam exemplarem ſeu objectivam, id eſt Ens ſumme perfectum. Subſtantiam extenſam Autor putat eſſe eſſentialiter imperfectam, ſed non ſubſtantiam cogitantem, itaque & DEUM cogitare. Supponit ſcilicet extenſionem omnem eſſe diviſibilem & mobilem. Ex immutabilitate Dei ita deducit ſubſtantiarum durationem: DEUM ſemper velle, quod vult immediate; velle autem immediate ſubſtantias, ſed mediate modos, & proinde modos ſubſtantiarum eſſe mutabiles.

p. 90. Statuit, Deum ante determinationem voluntatis tantum ſuam eſſentiam videre, & ita ipſas veritates & poſſibilitates pendere a divina voluntate. Negat Deo voluntates, generalem & particularem, antecedentem & conſequentem. Duplicem interim in Deo facit potentiam, ordinariam & extraordinariam. Demonſtrationes ſuas exiſtentiæ ſui (ſeu animæ,) corporis, & Dei ſub brevi conſpectu exhibet.

p. 108. Tempus ait attribuendum non eſſe ſubſtantiis, etiam creatis, ſed tantum modis. Appellationem cauſarum occaſionalium reſpectu DEI rejicit.

rejicit. Pergit inde ad unionem animæ & corporis, ſtatuitque nihil aliud eſſe Animam abſtractive, ut loquitur, ſumtam, quam ipſam unionem Spiritus & corporis. Unionem hanc non putat aliter explicari poſſe, quam quod Deus velit actiones vel paſſiones unius reſpondere actionibus vel paſſionibus alterius. Axioma ſtatuit: Quæ diverſi teſtantur, qui inter ſe conſpirare non potuerunt, ea ſunt vera; & huic inniti hiſtoriam & revelationem. Ubi digreditur ad veritatem Scripturæ ſacræ & religionis Chriſtianæ confirmandam, & quædam dogmata de Anima ex *Auguſtino* illuſtrat. Poſtea explicat animæ facultates, & quidem intellectum facit facultatem cognoſcendi, voluntatem vero facultatem ſe determinandi. Intellectus eſſe concipere ſpiritualia, imaginari corporalia, ſentire ex unione Spiritus & corporis reſultantia; reminiſci horum omnium; & cum his conjunctos habere motus particulares ſpirituum animalium, quod proprium eſt paſſionum. Anima tamen (*Autori*) cognoſcit extenſionem in genere per ſe ipſam; credit ſe non reminiſci, ſed ſentire, quando tam validus eſt motus fibris intus impreſſus, ut ad extremitates exteriores pertingat; imaginatur per compoſitionem (cum jungit ideas diverſas) per augmentationem vel diminutionem, cum ex homine communi facit gigantem vel pygmæum; denique per accommodationem, ut cum ſpiritum concipit tanquam ventum ſubtilem. Diſputat deinde contra Autorem libri de *Inquirenda veritate*, ſtatuitque animam melius ſe ipſam cognoſcere, quam extenſionem; nec animam corpora in Deo videre, nec Deum eſſe animæ unitum. Ideam DEI agnoſcit eſſe finitam, & tamen repræſentare infinitum. Ab intellectu transgreſſus *Autor* ad voluntatem, huic tribuit facultatem affirmandi & negandi, quod ſcilicet ad hoc ſit opus determinatione. Quia tamen proprie ſolus Deus agat, cætera ſint ejus inſtrumenta; hinc actiones voluntatis revera eſſe paſſiones reſpectu Dei, etſi quodammodo ab anima dependeant reſpectu ejus idearum, & eatenus actiones recte dicantur comparatione paſſionum, quæ dependent ab objectis. Cum autem voluntati omnem affirmationem & negationem adſcribat, dividit voluntatem in intelligentiam (circa per ſe nota,) rationem (circa concluſiones neceſſarias,) judicium (circa veritates contingentes,) voluntatem proprie dictam (quoad facultatem

p. 113.

p. 136.

p. 206.

conjungendi ſe aut ſeparandi cum his, quæ habent relationes convenientiæ aut inconvenientiæ neceſſarias cum anima;) liberum arbitrium (quoad facultatem ſe conjungendi aut ſeparandi reſpectu rerum, relationes convenientiæ aut disconvenientiæ contingentes nobiſcum habentium.) Concludit ex his facultatibus tantummodo judicium & liberum arbitrium cum indifferentia agere. Anima ſecundum
p.224. ipſum bene utitur libertate, cum determinatur per ideas rei proprias; male cum per alienas. Libertatem divinam longe alterius eſſe naturæ ſtatuit, etſi enim agat neceſſario, agere tamen ſine coactione; quia non ab externo, ſed a ſe ſolo determinetur. Et deinde refutat Auto-
p. 244. rem libri de *Inquirenda veritate*, qui ſtatuerat voluptatem ſemper eſſe bonum, & ſecum actualem felicitatem afferre durante fruitione,
p.263. etſi recuſanda ſæpe ſit, ob majora mala quæ ſecum trahit. Statuit,
p.264. cum Adamus ante peccatum perfectior fuerit, quam nos ſumus; conſequens eſſe, ut vel exemtus fuerit a legibus naturæ, vel leges naturæ anteriores per peccatum fuerint mutatæ: hominem enim ſalvis præſenti-
p.260. bus naturæ legibus non poſſe eſſe perfectiorem quam nunc eſt: & in ea eſt perſuaſione, ſi quis infidelis falſis rationibus ad ea, quæ Chriſtiani docent, credenda inducatur, non ideo fore fidelem. Hæc de Logica & Metaphyſica, (multa enim ſtudio a nobis præterita non diſſimulamus) ſuffecerint, ex quibus patet, Auctorem a communibus loquendi modis non raro recedere, & indulgere opinionibus, quas nos aliorum cenſuræ merito relinquimus.

Sed nunc ad *Phyſicam* tranſeamus. Lib. I tractat de natura corporis & motus. Corpus ait eſſe vel phyſicum ut magnes, vel mechanicum ut horologium, vel mathematicum ut cubus. Nihil tamen aliud in corpore agnoſcit, quam extenſionem, aut ejus modos; unde putat vacuũ nec a Deo produci poſſe, & mundum eſſe actu immenſum. Motus ipſi eſt applicatio ſucceſſiva activa ſuperficiei corporis, ad ſuperficies diverſorum corporum immediate tangentium. Activam vult applicationem, quia & quieſcens, ut turris, ſucceſſive applicatur diverſis partibus aëris vento flante; ſed ea applicatio eſt paſſiva. Itaque ſi piſcis in medio flumine ex oppoſito ejusdem ripæ locum tueatur, neceſſe eſt, eum revera moveri. Contra ſi navis ob conflictum venti vela inflantis, & fluminis adverſi eodem loco reſpectu

ctu ripæ maneat, quiescit, quia abest actio ipsius; nam vis agens extranea est. Si quid in aqua eadem, qua ipsa aqua fluit, celeritate natet (ut lignum,) & ita semper ab iisdem ambiatur aquæ partibus, secundum definitionem *Autoris*, ipsomet agnoscente, quiescet. Etsi enim totum ex aqua & ligno compositum moveatur, vult tamen proprii motus solius rationem haberi, cum de ligno quæritur, qui, secundum *Autorem*, ex ambientibus proximis mutatis & simul ipsius actione debet æstimari. Rejicit ergo mutationem situs, respectu corporum remotorum, quæ ut immobilia spectantur, contra ipsius *Carteſii* sententiam; hanc enim relationem non nisi extrinsecam esse. Causam motricem materiæ statuit esse Deum, & vim motricem esse voluntatem Dei; quæ cum sit immutabilis, etiam vim eandem manere. Ad quietem etiam vi opus est, ut patet exemplo navis inter cursum aquæ & motum venti suspensæ. Interim vis motrix est in corpore moto, sed extra quiescens. Et quia obiici potest, si vis motrix sit voluntas Dei, non magis eam intra vel extra corpus motum aut quiescens esse, vult tamen Autor Deum in moto mutationem velle directe & per se; in quiescente per accidens. Addit tamen alibi, corpus quiescens non minus agere quam motum, nec conferre nisi sua impenetrabilitate, qua vim motricem a Deo adhibitam determinat: solere tamen motis plus actionis tribui, dum vis motrix velut in ipsis spectetur. Postremo generalia motus tribuenda esse causæ primæ; specialia secundis, a quarum statu pendent. Statuit omne corpus minimo quovis conatu posse dividi, nisi externa vi in contrariam partem agente retineretur. Vim motricem (ut solent *Carteſiani*) æstimat per quantitatem motus, creditque, si corporis A, velocitatem habentis graduum 2, vis æqualiter dividenda sit inter corpora æqualia A & B, tunc celeritatem eorum fore gradus unius. Ubi notamus obiter, Dn. G. G. L. demonstrare non ita pridem aggressum, rem aliter se habere, & celeritatem ipsorum fore ut radicem quadratam de 2. Refutat eos, qui putant vim magis agere in resistentia, & ideo ictum globi tormentarii esse fortiorem in murum, quam in lanam, nec considerant globum ideo plus perdere virium in lana, quia ea facilius motum recipit. Statuit corpus motum æquale, duplum, triplum &c. incurrens in quiescens, dare ei partem suæ velocitatis dimidiam, tertiam, quartam &c.

p. 360.

p. 311.

p. 309.

p. 320.

p. 333.

p.340. Contra *Perraltum* disputat, motum rectum esse magis naturalem circulari. In tradenda corporum percussione *Hobbium* potius, *Borellum*, aliosque recentiores, quam *Cartesium* sequitur; sed rationem non reddit, cur percussiones sint ut celeritates respectivæ, quibus corpora sibi accedunt, adeoque cur corpus quiescens A, non minus percutiat corpus B, veniens celeritate ut 2, quam si ambo sibi occurrerent celeritate ut 1. Notat quoque determinationem motus semper reflexione mutari in contrariam. Negat tamen reflexionem oriri a sola vi elastica, idque eo argumento, quod pila inflata pavimento appressa non tantum resiliat, quantum projecta in pavimentum; quo argumento usus etiam est *Bernerius*: sed observatum aliis est, si apprimens tam subito removeri queat, ut resilitionem pilæ nulla ratione impediat, nihil interesse quoad resilitionem, utrum appressa sit pila ab apprimente, an a proprio impetu, projectione accepto. De refractione cor-

p.358. porum in aquam oblique impingentium molitur aliquid novi, considerans post dissertationes a *Baylio* Tolosæ editas (quarum citat Dissert. V. Artic. 6.) corpus velut globum, non totum simul immergi; ipsam tamen quantitatem refractionis non videtur sa-

p.367. tis determinare. Tametsi dicat, & probatione in speciem demonstrationis adornata ostendere contendat, angulum, quo corpus resistentiam inveniens deflectitur a linea, esse ut resistentiæ gra-

p.369. dum. Illud bene notat, corpora mollia in concursu partem virium amittere, quia in partes eorum transferatur, motumque ipsis pro communi faciat proprium. Corpora quoque specie graviora esse statuit, quæ in æquali spatio plus habent materiæ propriæ. (Unde infra, Tom. 2. p. 133 observat post *Cartesium*, grave non nisi ea parte secundi elementi premi, quæ ipso descendente potest ascendere.) Specialia quidem tradit de legibus motus corporum elasticorum concurrentium, sed ea præterire placet, quod non satis statuminata videantur: ut cum demonstrasse asserit, duobus corporibus elasticis æqualibus & ejusdem materiæ concurrentibus, velocitate inæquali, velocius tardiori dare dimidium excessus velocitatis; atque ita, si corpus A velocitate ut 6, & corpus B ipsi æquale, velocitate ut 2 concurrant, post concursum ambo itura ad partes, ad quas pendebat A, velocitate ut 4; quæ locum

non

non habere aliqui existimant. Verum autem omnino est, corpus elasticum elastico æquali & homogeneo quiescenti totam suam velocitatem dare; idque eo exactius, quo corpus est magis elasticum. Unde observat, globum ex ligno nucis arboris transferre velocitates ut $\frac{22}{35}$, sed globum ex ebore $\frac{28}{35}$. Disputat deinde contra modum, quo *Mariottus* translationem totius velocitatis a moto in quiescens æquale explicat. De corporum duorum similium, sed inæqualium, motu in medio quædam exhibet ex problematis *Baylii*. p. 375.

Libro Secundo Physicæ agit de Universo, tanquam aggregato corporum, quæ Noster ut entia modalia seu materiæ modificationes considerat. Modos autem substantiarum ait (præf. Lib. 2) non posse nisi mediate a Deo proficisci. Vorticum materiæ originem ex eo deducit, quod corpora varie mota, continue ab occurrentibus detorta, a sua determinatione tandem ivere in orbem, idque adhibita figura eleganter explicat. Tria cum *Carteſio* statuit Elementa, materiam subtilem ex corporibus tornatis natam; globos tornatos motu, & corpora irregularia, quæ inter se cohærere, tornari disiparique nescia. Hæc Noster vocat Ignem, Aerem, Terram; atque porro vortices, fixas, cometas, planetas inde *Carteſiano* more deducit. *Carteſii* modum explicandi gravitatem contra *Bernerii* & *Varignonii* sententias novas tuetur. Refutat etiam, quæ *Rohaltus*, *Gadroſius*, & *Perraltus* a *Carteſio* ea in re diversa dixere. Inprimis *Varignonio* respondetur, qui objecerat non tantum motus Terræ circa suum centrum, sed & circa Solem rationem habendam: Cui Autor respondet, motum circa Solem, cum ipsi terræ centro sit communis, nihil variare accessum aut recessum respectu centri. Negat autem accelerationem gravium descendentium esse revera uniformem, quia scilicet minus imprimatur impetus novi, quo magis accedat ad terram, (quod quidem, nisi in magnis descensibus sensibile non est), & corporis, quod jam est in motu, minus recipiat impressionis, quam quod quiescit. (Sed & huic difficultati jam responsum est, motum acquisitum incomparabiliter minorem esse celeritate impellentis, ut alia taceamus). *Autor* autem non satis sententiam exponit ad mentem Geometrarum. Quæ res effeciſſe videtur, ut non semper exacte sua constituat, cum novi aliquid molitur: tametsi sæpe peringeniosa habeat p. 399. 400. p. 439, 440. p. 442. 443. 444. p. 463.

P.475. habeat cogitata. Oſtendere etiam nititur, corpora verſus Polos graviora eſſe, quam ſub Æquatore, ut rationem ejus reddat, quod deprehenſum eſt pendulum, quod Pariſiis horæ ſpatio facit vibrationes 3600 (ſcil. quod eſt 3 pedum, $8\frac{7}{8}$ linearum) aliquot lineis brevius fieri debere in Inſula Cayana, quæ eſt 5 graduum latitudinis ſeptentrionalis, ut ibi totidem in hora vibrationes abſolvat. Atque hæc quidem ex Tomo primo. De duobus reliquis, ne in nimiam molem relatio excreſcat, proximo menſe dicemus

LES PHILOSOPHES A L' ENCAN. i.e.
Philoſophi ſub haſta venales.
Pariſiis apud I. Muſier, 1690. in 8. Plag. 8.

CUm libelli hujus Auctor, quisquis eſt, animo ſecum reputaſſet, Gallicam *Luciani* verſionem, quam *Ablancurtio* debemus, magno quidem apud omnes eſſe in pretio, ſed gratiorem multo futuram, ſi in eorum, qui in hiſtoria antiquitatis verſati adeo ſtudioſe non ſunt, gratiam commentariis illuſtraretur: conſilium videtur cepiſſe defectum iſtum ſupplendi, novamque Scriptoris Græcorum facile elegantiſſimi, editionem Gallicam adornandi. Itaque ut ſeu ſpecimen inſtituti ſui ederet, ſeu aliis idem forte tentaturis præberet, Luciani Dialogum, qui ΒΙΩΝ ΠΡΑΣΙΣ, i.e. *Vitarum Auctio* inſcribitur, nova verſione Gallica donatum notisque explicatum exhibuit. Cum enim iſto in Dialogo Lucianus Jovem finxerit, Mercurio præcone Philoſophos antiquos auctionis in modum mercatoribus vendentem, eaque occaſione plerasque eorum ſectas, & quæ in unaquaque earum ridicula maxime viſa ipſi erant, lepide exagitaverit; hunc dignum arbitratus eſt, cui primo manum admoveret, & ſubjectis ex hiſtoria litteraria notis lucem non contemnendam affunderet: ita enim acumen Satyræ Luciani omnes putavit rectius aſſecuturos, quibus veterum illorum Philoſophorum vitæ & dogmata familiarius forte non innotuerunt. Quin & Dialogo Luciani alterum adjecit proprio Marte elaboratum, in quo Lucianum (perinde ac *Fontenellius* non infeliciter in *Novis Mortuorum Dialogis*, de quibus in *Actis* hiſce *A. 1683, pag. 381, & A. 1684, pag. 438* diximus, fecerat) imitatus, Philoſophos Luciano omiſſos, *Antiſthenem, Cratetem, Platonem, Zenonem, Thaletem,* Lectori deridendos propinat.

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipſiæ
Calendis Aprilis Anno M DC XCII.

PETRI DANIELIS HVETII, EPISCOPI Abrincenſis, Alnetana Quæſtiones de Concordia Rationis & Fidei.

Cadomi & Pariſiis, apud Th. Moette, Lipſiæ recuſæ apud Jo. Groſſii Viduam & Hæredes, A. 1692. in 4. plag. 57.

PLurimis in rebus, quæ in literis divinis credendæ proponuntur, vehemens Fidei cum Ratione videtur eſſe certamen, & adverſis inter ſe frontibus utræque vulgo creduntur ſibi occurrere; dum Rationem expugnare imperioſa Fides, huic autem turbulenta iſta & refractaria usque reſiſtere & ad nutum ſuum omnia flectere nititur. Certam tamen & ſtabilem inter adverſas has partes pacem æquis conditionibus conciliare hoc in libro allaboravit Autor, fama nominis & doctrinæ præſtantia eruditisque ſcriptis jampridem orbi cognitus. Id ſe conſecuturum, & concordiam coaliturum eſſe ſperavit, ſi in ordinem prius bona cum utriusque gratia eæ redigerentur; ita ut Fides præcederet, Ratio ſequeretur, neque prius in conſilium hæc adhiberetur ab animo, quam is ſe regendum iſti haud invitus permiſerit; ne ſi violenter altera ab altera raperetur, utræque corruerent inque præceps prolaberentur. *Rationem* eſſe dicit (*p.* 7.) facultatem animi noſtri, qua conatur verum cognoſcere, ſive per ratiocinationem, ſive per ſimplicem apprehenſionem. *Fidem* autem definit donum Dei, quo fit ut poſtquam mentem is noſtram cæleſti luce colluſtravit, & voluntatem afflatu ſuo excitavit, aſſentiamus iis, quæ nobis ab eo ad credendum propoſita ſunt. Huic ut iſta æquiori animo ſe ſubjici permittat, adducendam eam putat (*p.* 8.) in notitiam ſui, ſuæque imbecillitatis & obſcuritatis coarguendam; ad quam ipſi demonſtrandam Scepticæ Philoſophiæ principia conducere, quæ aſſenſiones animi cohiben-

das esse decernunt, & nunc *p. 3. 15. 44.* affirmat, & antea in *Demonstrat. Evang. p. 5. ed. in fol.* asseruit. Hanc ad errandum proclivitatem ubi intellexerit, nec expedire se posse tenebris, quibus undique obsepta est, senserit; a Fide, cum aliunde non possit, hoc beneficium Rationem expetituram, inque ejus obsequium ac ductum se trahituram esse existimat. Id postquam fecerit, & se Fidei submiserit; ejus imperium qua ratione definiendum, & quæ conditiones ferendæ sint, paci inter utramque constituendæ, exponit. Cui rei potissimum conducere docet, si ostendatur in multis jam olim convenisse utramque, plurimaque tam Fidei dogmata, quam vitæ agendæ præcepta, profanam Philosophiam habuisse Christianæ consentanea. Nati hinc Autori *tres* sunt libri, conscripti in Dialogi modum cum Jo. Bapt. Hamelio, præstantissimo ætatis hujus Philosopho, in *Alnetano* agro, unde his Quæstionibus nomen, instituti; (quod genus scribendi, priscis Philosophis usitatum, Nostro præ cæteris placere, ex ejus *de optimo genere interpretandi* libro, triginta abhinc annis edito, discimus) quorum summa capita delibabimus.

In *primo* Rationis imbecillitatem & Fidei potentiam autoritatemque, tum stabiliendæ inter utramque concordiæ rationem ostendit; suum utrique locum ad signans, & Fidei dignitate asserta, in ordinem autem Ratione redacta, pacis initæ statuens conditiones, & utriusque definiens ac circumscribens limites. Esse aliquam Rationi lucem concedit, nec a Fide omnem ejus usum atque opem removeri cupit, ita ut homo quidvis arripere absque ulla dijudicatione, suasque actiones alias omnes suspendere debeat; cum ipse Apostolus Corinthios ὡς φρονίμοις judicare jubeat de verbis suis *1. Cor. X, 15.* Siquidem instrumentum ex parte nostra apprehendens verum conceptum revelationis divinæ, & formans notitiam in intellectu hominis, nullum aliud sit, quam ipsa Ratio hominis; eaque sola per inditam naturalem vim dijudicare queat connexionem terminorum; quorum qualitas per naturam cognoscatur, non veritas, ut ex Augustino tradant Theologi. Et quamvis præcipua ac propria Fidei causa sit interior ille Dei afflatus, quo ad assentiendum impellimur; accedere tamen ait externa adminicula etiam posse, quibus vel Fidei sternatur via, vel parta roboretur, certioresque reddamur. Tres hoc loco (*p. 13.*) certitudinis in cognoscendis

dis rebus tradit esse gradus: (*p. 13.*) supremum, quo Beati fruuntur in cœlo; alterum, quo in terris homines gaudent per Fidem; postremum, quo res intelligunt per Rationem. Ultimus hic etsi ad captum naturæ humanæ expensus videatur perfectus; quod nihil hominibus Ratione certius indulserit Deus; tamen cum per eam haud satis tuta pateat via, qua eatur ad veritatem, sed dubitationi perpetuæ exposita mens fluctuet, certiorem ad veritatem adipiscendam quærendum esse ducem affirmat *cap. I.* quem in Fide quam Deo præstamus, dum promto obsequio eum audimus & sequimur, nos reperire, eamque unice tutam, rectam, minimeque fallacem ad veritatem viam esse, docet *cap. II.* Priorem tamen Fide Rationem esse, istique prævertere, demonstrat, (*p. 18.*) & adversus dissentientes hunc ordinem tuetur; (*p. 28.*) ita tamen eundem limitans, ut Rationem instrumentum Fidei, non causam credendi; huic præire ut satellitem, ut præcursorem, non ut ducem; ministerii gratia, non dignitatis; ut velitem in prælio, non ut imperatorem dicat; (*p. 30.*) adeoque assiduum comitem Fidei constituat, & antequam hæc animum hominis occupat, & postquam insedit in animo, *cap. III.* sed ita, ut semper modum sibi Ratio a Fide sumat, seque ad istius normam componat, nec ultra positos ab hac terminos evagetur. Hac mutua Fidem inter & Rationem necessitudine ostensa, leges conditionesque constituuntur *cap. IV.* cumque tria possint incidere momenta, ut admissa Fide vel assensum suum deneget Ratio, vel penitus obmutescat, vel suffragetur; (*p. 45.*) priori casu, etsi non semper ea ad credendum proponat Fides, quæ communi Rationis usui omnino consentanea sint, nunquam tamen plane ei adversari existimat; cum omnia dogmata, quæ ad credendum nobis proposita sunt, ita temperaverit autor Fidei Deus, ut quamvis non semper propitiam consentientemque Rationem habeant, in se tamen adversis frontibus nunquam incurrant: præterea Rationis in his rebus isthoc saltem officium sit, ut arripiat quid credendum sit, & exploret argumenta, quæ mentem ad credendum invitant, eaque refellat quæ absterrent a credendo, & omnia Fidei impedimenta removeat. Quapropter Petri Pomponatii tradita aliorumque doctrinam notat (*p. 49.*) qui eandem propositionem veram in Theologia, falsam in Philosophia asseruerint, & dupli-

cem veritatem commenti, ſuum Fidei, ſuum Rationi tribunal, ſuum utrique judicium, ſuam utrique veritatem attribuerint; bene obſervans, tantum de Fidei dignitate & integritate detrahi, quantum Rationi ab ejus imperio deficienti dubitantive tribuitur; falſumque neceſſario eſſe quod repugnat Fidei, verum quod conſentiat, annotans; ac Carteſium & Maimonidem, qui aliter ſenſerunt, reprehendens *p. 51.* Nam cum Ratio nos doceat, Fidem a judicio intellectus & a voluntate proficiſci, quæ gratiæ divinæ inſtinctu illuſtratam a Deo mentem flectit ad aſſentiendum iis, quæ ad credendum proponuntur; nec Fidem cum Ratione pugnare, etſi aliquando eam ſuperat; & ea quæ ad credendum proponuntur ejusmodi eſſe debere, ut credibilia videantur, hoc eſt, ut cauſa nulla ſit, quamobrem mens judicet, talia credi nec poſſe nec debere; hanc autem mentis dijudicationem fieri adhibita Ratione; neque cujusquam mentem inſtigari a Deo, ut incredibilibus aſſentiat, docet *p. 55.* Altero caſu, cum penitus obmuteſcit Ratio, multo magis ſuam Fidei dignitatem integritatemque conſtare, affirmat *cap. V.* Neque enim quicquam ei decedere, cum ſola incedit, Ratione non ſtipata; ut nihil de ſplendore ſuo deperdit Sol, ſi ad eum lucerna non adhibeatur, *p. 57.* Originem Philoſophiæ hac occaſione, & ut Fides prior extiterit ea, orta cum a Ratione Fides ſperneretur, nihil autem non pervium ſibi liciturnque putaverit, vitæ incolumitati, mentis integritati, definitionumque & diviſionum ſubtilitati ſtudens, unde Phyſica, Ethica, & Logica nata, tradit *p. 58.* Fidei igitur in locum ubi ſuccedere allaboravit Ratio ſeque extollere, prognatam eſſe Philoſophiam, per quam oppreſſa Fide in omnem impietatem humanum genus prolapſum ſit, haud dubitat aſſerere *p. 62.* Tertio caſu, cum Fidei ſuffragatur Ratio, expeditiores videntur concordiæ inter utramque conciliatæ conditiones, de quibus diſſerit *cap. VI.* Magnam tamen & hic adhibendam cautionem obſervat, quod multis modis ſuccenturiata eſſe poſſit Ratio Fidei, (quos exponit *p. 67.*) qui non omnes ad Fidem pertineant, ut eæ concluſiones, quæ per obſcuram conſequentiam educuntur e capitibus Fidei; (*p. 70.*) ac proinde firmiter tenendum eſſe (*p. 72.*) inculcat, neque admittendam, neque retinendam eſſe Fidem propter Rationem, ſed propter primam veritatem revelantem, qui

eſt

est Deus; cum dignitatem omnem amissura sit Fides, si Ratione nitatur. Inde fieri annotat, ut nec ea se Rationis rebus nihil ad se pertinentibus interponat, sed peculium sibi Rationem habere patiatur, *cap. VII.* Ubi perverse eos agere tradit, qui quæstiones nihil ad Fidem pertinentes in ejus tamen referre censum, quique controversias mere Philosophicas Scripturæ sacræ autoritate dirimere studeant (*p. 74.*) eos item qui in rerum naturalium causis exquirendis ad potentiam Dei confugiunt, integumentum hoc inscitiæ suæ obducentes *p. 76.* *Spinosam* quoque in *tractatu theologico-politico*, Rationis regnum, quod veritate & sapientia; & Theologiæ regnum, quod pietate & obedientia constet, fingentem, aliaque impia effutientem castigat *p. 77.* Tandem certis terminis Fidei & Rationis munia circumscribit, ad Rationem Sensuum quoque referens usus, *cap. VIII.* cumque res ad religionem Christianam pertinentes vel cognoscantur per solam Rationem, vel per Rationem atque Fidem, vel per solam Fidem; de quavis classe seorsim agit, & exemplis quæ docet illustrat: inter alia (ubi Scripturam Sacram ejusque divinitatem cognosci per Fidem sine Scriptura, & per Rationem ex Scriptura, tradit) Petro Jurio respondens, qui in libro *Esprit de Monsieur Arnauld* ipsum in Demonstratione Evangelica contrarium asseruisse insimulaverat, *p. 83.* Ultimo loco, firmius constantiusque humanam mentem ei quod per Fidem cognitum est, quam quod per Rationem lumenque naturæ innotuit, assentiri statuit *p. 87.*

In *secundo* libro doctrinæ Christianorum & Ethnicorum comparationem instituit, eorumque consensionem demonstrat. Ad confirmandam enim conglutinandamque Rationis & Fidei concordiam, & extinguendas omnes dissensionis causas, maxime consentaneum credit, si ostendatur, ex omnibus Fidei decretis & doctrinæ Christianæ præceptis, quæ hominibus ad credendum vitamque pie & sancte ducendam proposita sunt, nullum esse tam alienum a Ratione & opinione omnium, cui non similem rem aliquam admiserint ii, quos Ratione optime usos esse vulgo creditum est. Igitur concentum & convenientiam *dogmatum*, seu eorum quæ credenda nobis proposuit Deus, hoc in secundo libro; in tertio consensionem *præceptorum*, quæ ad vivendum & agendum tulit,

oſtendit, & communia utraque Chriſtianis cum Ethnicis fuiſſe hodieque eſſe, ex Philoſophorum ſcriptis, antiquiſſimarumque gentium, Phœnicum, Ægyptiorum, Græcorum & Romanorum fabulis (quibus religionem eorum contineri *p. 94.* aſſerit) nec non Hodœporicis quæ hac ætate prodierunt, probat. Luculentum hujus argumenti jam dedit ſpecimen in *Demonſtratione Evangelica*, in qua priſcæ Mythologiæ larvam ita detraxit, ut nihil aliud eſſe, quam meram ſacræ Hiſtoriæ adumbrationem, appareat. Id latius hoc in Opere Alnetanarum Quæſtionum executus eſt, ac inter dogmata, quæ credenda in ſacris literis a Deo tradita ſunt, & quæ Gentiles ductu rationis ſunt aſſecuti, ita comparationem inſtituit, ut mirificum in plerisque Chriſtianorum Ethnicorumque concentum eſſe pateat. Hunc e Philoſophia veterum fuſe probat in doctrina de Deo, ſuprema omnium rerum cauſa *cap. I.* ejusque proprietatibus ſeu attributis, quod incorporeus, materiæ expers, individuus, ſibi ſufficiens, perfecte pulcher, bonus, infinitus, immenſus, immutabilis, immobilis, affectionibus & paſſionibus non obnoxius, æternus, immortalis, unus, ignotus, ineffabilis, omniſcius, verus, boni fons, principium, cauſa, finis, rex, dominus, primus, ſupremus, omnipotens, & beatus ſit, *cap. II.* Quæ utpote rectæ Rationi pervia, Gentiles etiam cognoviſſe facile creditur: at reconditum illud ſanctæ Trinitatis myſterium eosdem, licet per nubila & caliginem, vidiſſe, *cap. III.* ex eorum libris manifeſtum reddere nititur. De Angelis bonis & malis, eorumque natura, lapſu, & quam hominibus præſtant tutela *cap. IV.* de mundi origine *cap. V.* ejusque gubernatione & divina providentia *cap. VI.* de hominis creatione & ad Dei ſimilitudinem effigiatione *cap. VII.* de anima a Deo condita, corporis & interitus experte *cap. VIII.* de peccato in genus humanum a prima origine transmiſſo *cap. IX.* de libero arbitrio hominis, ſeu facultate homini innata, qua libere ſe velle & agere is ſentit, unumque alteri anteferre *cap. X.* de paradiſo terreſtri *cap. XI.* pleraque ſacris literis conſentanea Gentiles tradiſſe docet. Plurima etiam, quæ in Scriptura ſacra narrantur vel contigiſſe, vel extitiſſe, inuſitata & a communi naturæ ordine remota, v. g. Dei cum Patriarchis & Chriſti cum hominibus familiare conſortium & conſuetudinem deque futuris rebus admonitionem,

tionem, Gigantum inusitatam magnitudinem, primævorum hominum longæ vitatem, diluvium Noachicum in quo pauci beneficio arcæ servati fuerunt, turrim Babylonicam inque ejus extructione ortam linguarum confusionem, circumcisionis ritum, Sodomorum & Gomorrhæorum interitum, rubum Mosi ardere visum igne tamen non consumtum, virgam Mosis & per eam edita prodigia, Ebræos ex Ægypto abeuntes Ægyptios spoliantes, columnam Ebræorum ducem, transitum maris, aquas amaras injectione ligni dulcoratas, coturnices, manna, cibosque ad Israelitas divinitus missos, aquas a Mose aliisque Prophetis impetratas, tabulas legis Mosi a Deo traditas, Urim & Thummim, ignes divinitus emissos, ritum explorandæ mulierum pudicitiæ per aquarum amararum & devotarum potionem, uvam prægrandem ab exploratoribus terræ promissæ Canaan allatam, virgam Aaronis refloreſcentem & amygdalas emittentem, ficum a Christo arefactam, Serpentem æneum, asinam Balaami voces humanas edentem, Solis moram & umbram Solari in horario regressam, comam Samsonis, famem, sterilitatem & siccitatem sæpius a Deo terris inductam, mortuos ad vitam revocatos, Jobum Satanæ permissum & Heliodorum angelis fustigandum traditum, Jonam a ceto absorptum, piscem a Tobia captum ejusque suffitu Dæmones abactos, succo autem cœcitati medente, cæleſtibus equitibus in subsidium Judæis missis; his similia in Gentilium etiam historiis occurrere, eaque ab iis haud invitis fuisse credita; *cap. XII.* ostendit. Jam de Christo quæ nobis credenda Scriptura sacra exhibet, ejusque in carnem adventu, fœderisque inter Deum & homines conciliatione, nativitate ex Virgine, & effulgente sub istud tempus cum natus esset nova stella, baptismo, patratis miraculis, morte ac reditu in vitam; abistis haud aliena Ethnicos scriptores narrare *cap. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XIIX. XIX.* demonstrare nititur. Sacramentis etiam, quæ septem numerat, affinia, & istis quæ sacræ literæ de mundi conflagratione, & renovatione, mortuorum resurrectione, extremo judicio, indeque proventuris bonorum præmiis, malorum pœnis præsagiunt, consentanea Philosophos gentiles tradidisse, *cap. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV.* ex eorum scriptis luculentum facit; nihil adeo alienum a receptis opinionibus dogmata Christianorum per Fidem accipienda continere pro-

probans, cui non plurimorum Ethnicorum, ac eorum præcipue, qui ingenii & eruditionis laude floruerunt, monumenta consentiant, proindeque a Ratione minus aliena eive adversa sint.

In *tertio* libro præcepta ad vitam pie rectèque ducendam proposita, quæ in Scriptura sacra reperiuntur, cum iis quæ in Ethnicorum libris tradita leguntur, convenire; adeoque geminum veritatis adipiscendæ instrumentum Fidem & Rationem hac etiam in parte sibi consentire, ostensurus, primum officia vitæ humanæ quæ ad Dei cultum pertinent; tum quæ sibi ipsi præstare debet homo; tandem quæ cæteris hominibus facere convenit, considerat; & divina in verbo revelato tradita præcepta cum Philosophorum doctrina & moratiorum gentium (etsi divinæ veritatis ignararum) moribus ac placitis conspirare liquido ostendit. Egit & hoc jam Autor celeberrimus in *Demonstrationis Evangelicæ* opere, ubi studiose collectum invenimus, quicquid in exoticis disciplinis Christi doctrinæ consentaneum reperitur; verum hoc in libro plenius argumentum hoc exequitur. Neque tamen omnia attingit vitæ officia; sed prætermissis communibus istis, v. g. neminem esse lædendum, parentes honorandos, proximo benefaciendum, miseris succurrendum, & aliis hujusmodi, quæ ex vitæ usu & naturæ ductu cognoscuntur, muniis, eorum solum concentum inter Christianos & Gentiles explicat, quæ ab hominum moribus pervulgatisque sententiis recedere videntur. Officia quæ Deum spectant, vel posita sunt in eo credendo, vel in præmiis ab eo expectandis, vel in eo diligendo. Hinc tres theologicas virtutes existere Autor ait, *p. 312.* Fidem, Spem, Charitatem. De illa *cap. I.* agit, & Fidem normam scientiæ habuisse, ac necessariam reputasse ad intelligendos Deos, nec requiri demonstrationes, existimasse Gentiles philosophos atque ita docuisse affirmat. Spem in Deos collocandam, ab iisque in vita & post mortem bona expectanda, eosdem tradidisse *cap. II.* annotat, & in qua re beatitudinem, mercedem post mortem hominibus propositam, sitam esse iidem voluerint, indicat, ea ex istis afferens quæ doctrinæ Christianæ conveniunt. In Charitate sive amore Dei religionem contineri asserit, ad quam pertinere decimarum persolutionem, de quibus *cap. III*, festorum celebrationem, de quibus *cap. IV*, juramentorum fidem, de quibus *cap. V*; isti autem adversari

super-

superstitionem, cultumque idolorum, de quo *cap. VI*, ex Gentilium scriptis docet. Etsi enim hi ad simulacrorum cultum prolapsi sunt, apud vetustos tamen, sive Græcos sive Barbaros, nullam fuisse statuarum fabricationem, hodieque multos Gentilium sic existimare, Deum opificem mundi nulla figura exprimi posse, nec effigiem Dei pingi debere (quæ & Pythagoræ sententia fuerit) *p. 329.* tradit. Officia hominis erga se ipsum, tam quæ animum quam quæ corpus spectant, continentur in eo, ut quis nihil sibi ignoscat, *cap. VII*; demississime de se sentiat, hominumque existimationem & gloriam aspernetur, *cap. VIII*; conscientiæ integritate gaudeat, *cap. IX*; animum suum diligenter excutiat, *cap. X*; corporis rationem non magnam habeat, utpote animæ carceris, cui ea mancipata sit supplicii causa, *cap. XI*; voluptates corporis fugiat, dolores potius ei inferat, *cap. XII*; castimoniam servet, *cap. XIII*; peccata per piaculares pœnas eluat, *cap. XIV*; res mundanas contemnat, *cap. XV*; divitias cumprimis aspernetur, *cap. XVI.* Officia erga alios homines ad hoc referuntur præceptum: Diligendos esse eos perinde ut nosmetipsos, de quo *cap. XVII.* agit. Unde sequitur, neutiquam eos lædendos; non cogitatione, non verbis, non factis, sed si maxime inferant nobis injurias, eas esse perferendas, *cap. XVIII*; & maleficiis benefacta rependenda, ac quibuscunque rebus poterimus, commodandum his, qui nos maxime lædunt, *cap. XIX.* Hæc omnia a Christo facere nobis jussa, Gentiles etiam a suis doctoribus tradita accepisse; & quidquid in Christianæ fidei dogmatis præceptisque a communis sensus consuetudine abhorrere videtur, id omne clarissimis Philosophorum gentilium suffragiis comprobari; accurate collectis sapientissimorum veteris ævi hominum gentiumque omnium testimoniis, erudite Autor demonstravit. Indeque mirificam illam Rationis & Fidei consensionem comprobare voluit; cum easdem de rebus divinis sententias, eadem vitæ recte instituendæ præcepta, & his qui Rationem solam secuti sunt, & qui Rationem atque Fidem amiserunt, placuisse docuit; eademque opera intra legitimos fines Rationem coercuit, Fidei jura descripsit, & concordiam inter utramque constituit.

TRACTATVS DE VERA CHRISTI DEITATE adversus Arii & & Socini hæreses. Autore Daniele VVhitby, SS. Theol. D. Ecclesiæ Cathedralis Sarum Præcentore.

Oxoniæ typis L. Lichfield, sumptibus Joh. Howel. 1691. 4. Constat plag. 18.

CUm pessima Socini propago Christianæ fidei fundamenta convellere, & multos in æternam perniciem secum trahere indies pergat, operæ pretium se facturum speravit clarissimus Autor, si Catholicæ Religionis acropolin tueri sustineret, ac veram Christi deitatem contra Christomachos in præsenti tractatu masculè propugnaret. Quatuor autem ille Sectionibus absolvitur. In quarum I. Christum esse verum Deum demonstrat, partim quod cultus religiosus, soli Deo debitus, Christo vere competat: partim quod opera divina, creatio, conservatio, locutio per Prophetas, universale in cœlo pariter ac terra imperium, resuscitatio sui ipsius e sepulchro, Judicii extremi administratio, & totius mundi destructio ipsi tribuantur; partim quod nomina atque attributa soli Deo propria illi vindicentur. Quæ omnia non solum dictis Scripturæ abunde corroborat, sed & Patrum Anti-Nicænorum testimoniis luculenter illustrat. Sub finem hujus sectionis, ostensurus, admissa Socinianorum sententia, invicta Judæis suppeditari argumenta adversus Christi ipsius cultum retorquenda, imo fundamenta illis præberi, quibus Christianam fidem non esse admittendam stabiliant, decem rationes in persona Judæi cujusdam proponit. *Sectione II.* Christi divinitatem Patrum aliquot testimoniis; hymnorum usu inter Christianos ab ipsis Christiani cultus incunabulis recepto; ex Ethnicorum & Judæorum contra Christianam fidem, eo quod Christi divinitatem asserebat, præjudiciis, Patrumque ad eam stabiliendam, atque ab illorum præjudiciis vindicandam studio; & tandem omnium de Christo abjecte sentientium, ceu Novatorum, Cœcorum, Hæreticorum, Apostatarum, usitata orthodoxæ Ecclesiæ Patribus condemnatione, confirmat. *Sectione III.* postquam demonstrasset, Socinianos, qui Unitariorum nomen sibi asserunt, Dei unitatem multis modis violare, eosdemque in primum decalogi præceptum injun-

injurios admodum esse; illorum Theologiam cum Gentilium de Diis medioxumis sententia belle convenire probat, ac ex Patribus primo ostendit, Christianam fidem cultores suos a plurium Deorum obsequio avocare, & ad unius Dei cultum eosdem consecrare, imo Religionem hanc eo potissimum consilio inductam esse, ut plurium Deorum cultum aboleret, Deum unicum assereret, eique cultum nostrum in solidum exhibendum esse, omnium animis infigeret: dein monstrat, Idololatriæ rationem in N. T. minime mutatam esse, sed ejus nos adhuc reos existere, quoties cultum religiosum & divinum creaturæ exhibemus: denique ex iisdem declarat, mandatum de uno Deo adorando, eique soli serviendo, nec alium præter eum agnoscendo, morale & perpetuum esse. *Sectione IV.* loca quædam Scripturæ S. scilicet Hebr. X. 5. Joh. I. 14. Joh. VIII. 58. Joh. XII. 41. Joh. XVII. 5. I. Tim. III. 16. glossematis plane novis, commentisque antea inauditis, ad sensum a mente Spiritus S. prorsus alienum a Socinianis violenter pertrahi probat, & tandem objectioni, ex Matth. XXIV. 36. desumptæ, respondet.

DE REBVS SACRIS ET ECCLESIASTICIS Exercitationes Historico-Criticæ, in quibus Cardinalis Baronii Annales ab A. C. 35, in quo Casaubonus desiit, expenduntur: tum & multa adversus Bellarminum, Lightfootum, Pagium, & alios discutiuntur; plurimique Historiæ & Chronologiæ errores emendantur: auctore Samuele Basnagio Flottemanvilleo,

Ultrajecti ex officina Guillielmi vande Water 1692. Constat alphabet. 4. plag. 3.

Isaaci Casauboni de Rebus Sacris & Ecclesiasticis Exercitationes ad Baronii Apparatum & primam Annalium partem, Londini A. C. 1614. primum vulgatas, *Julius Cæsar Bulengerus* in suis diatribis, *Heribertus Rosweidus* in lege talionis 12. tabularum, & *Andreas Eudemon Johannis* in refutatione exercitationum Casauboni, refutarunt; ut *Petrum Lanselium*, qui tantum notas & calumnias, ut vocat, a Casaubono in Exercitationibus suis Justino Martyri inustas dispungere voluit, & alios taceamus. Vindicias pro Casaubono

adversus Eudæmonem *Johannes Prideaux*, adversus Bulengerum *Richardus Montacutius*, adversus utrumque nec minus adversus Rosweidum adornavit *Jacobus Cappellus*, cui postea inde novæ lites cum Rosweido natæ sunt. Sic multis Casauboni exercitationes vel impugnantibus vel defendentibus, inventus hactenus est nemo, qui easdem continuaret, si *Tribechovium* nunc beatum excipiamus, qui aliquot abhinc annis breve quoddam ejus rei specimen in Kiloniensi Academia vulgavit. Eandem viam nunc ingressus doctissimus *Basnagius*, Ecclesiæ Gallo-Belgicæ apud Zutphanienses Pastor disertissimus, Baronii annales, ab anno, quo Casaubonus desiit, ita expendit, ut subinde etiam Baronii censorem *Pagium*, aliosque celeberrimos Scriptores, censuræ suæ subjiciat. Et præsenti quidem volumine decem annorum spatium emensus, ab anno 35 ad annum usque 45 primi a Christo nato seculi pervenit. Singulorum capitum argumenta recensere nimis prolixum foret, ideoque ex primis tantum capitibus præcipua, quæ ad annum 35 observavit, delibare placet.

De Helleniſtis agens, rejecta *Scaligeri* sententia, *Bezam* sequitur, qui per Helleniſtas Proselytos intelligit, cum Lucas, qui Act. II, 11. Judæos a Proselytis distinguit, cap. XI, 19. 20. Judæos ab Helleniſtis discernat. Aliud argumentum depromit ex Act. VI, 1. ubi Helleniſtarum adversus Hebræos murmur commemoratur, ad quod compescendum septem Diaconi electi, in quorum numero etiam Proselytus Antiochenus nomine Nicolaus, v. 5. Ea enim imprimis de causa Proselytum reliquis Diaconis additum existimat, quod etiam Helleniſtæ, qui se ab Hebræis contemni querebantur, Proselyti essent, & hac ratione facilius placari possent. Nec sine ratione factum putat, quod Proselytus Antiochenus ab Hierosolymitana Ecclesia in Diaconorum numerum cooptatus fuerit. Nam imprimis ab Antiochenis Proselytis contentionem illam inde natam esse suspicatur, quod apud Antiochenos Judæos Proselyti magnis privilegiis gauderent. Quam conjecturam Josephi autoritate confirmat, qui lib. 7. de bell. Jud. c. 21. scribit, Antiochenos magnam Paganorum multitudinem religioni suæ associasse, & illos quodammodo sui partem fecisse. Ex quo loco concludit, Helleniſtas ob eam causam commotos fuisse, quod ut Antiochiæ, sic Hierosoly-

ſolymis, non paribus privilegiis fruerentur. Hæc dum aſſerit, ſimul *Petavium* perſtringit in Doctrina temporum dicentem, quod Helleniſtarum nomen ſæpius quidem de Judæis ſacros libros Græce legentibus uſurpetur, eo tamen ſoco, ubi Lucas Helleniſtas non Hebræis ſed Judæis opponit, nempe Act. XI, 20. Gentes deſignare poſſit. Qua in re Petavium falli minime dubitat, cum Gentes Ἑλλήνων non Ἑλληιστῶν nomine in Sacris Literis notentur, neque probabile ſit, Judæos Gentibus Chriſtianam fidem inſtillare voluiſſe, a quorum commercio tantum abhorrebant, ut Petro ad Gentiles ingreſſo negotium facerent. Imprimis autem in *Ligtfooto* refellendo occupatur, quem in Bezæ ſententia confutanda nimis præcipitem fuiſſe arguit. Eundem ſibimetipſi contradixiſſe notat. Nam in Chronotaxi dicit, Act. XI, 20. per Helleniſtas Gentes intelligi. In Horis autem Talmudicis ad Act. VI. notat, ex diſtinctione inter Judæos & Helleniſtas, quæ Act. XI, 19. 20. legitur, non concludi poſſe, quod Helleniſtæ non Judæi fuerint, cum ibi tantum diſcrimen ſtabiliatur inter Judæos dignioris & purioris ordinis, & Judæos non adeo dignos & puros. Obſervat etiam accuratius explicari debuiſſe, quinam ſint dignioris & purioris ordinis Judæi, & qui non ita digni & puri fuerint.

Eundem *Ligtfootum* in eo quoque hallucinatum judicat, quod verba Lucæ Act. VIII, 1. omnes exceptis Apoſtolis diſperſos referentis, de 120 Miniſtris, quorum mentio Act. I, 5. occurrit, interpretatus fuerit, quaſi illæ 120 animæ ſolis viris iisque verbi Miniſtris conſtiterint, cum Cyprianus epiſt. 66. plebis potius nomine cœtum illum appellaverit. Monet hac occaſione, *interpretem Athanaſii* in homilia de ſemente Lucæ aperte contradicere, cum hæc verba ponit a Græco Athanaſii textu plane aliena: *& habes in actis Apoſtolorum poſt lapidatum Stephanum Apoſtolos diſperſos.* Inter exules, quos perſecutionis procella Hieroſolymis expulit, Baronius poſuit Lazarum, Mariam Magdalenam, Joſephum Arimathæum, Marcellam & Maximinum, quos navi ſine remigio impoſitos Maſſiliam appuliſſe tradit. Quam fabulam Basnagius in gratiam *Natalis Alexandri*, qui adverſus *Johannem Launojum* eandem peculiari diſſertatione defendere conatus eſt, multis argumentis explodit. Æque falſa eſſe probat, quæ Baronius aliique de Joſephi

Arimathæi ex Gallia in Angliam discessu memorarunt. Non minus negat, Damianum Fugatianumque ab Eleutherio Pontifice Romano in Britanniam ablegatos fuisse. Postea ex Innocentii Papæ ad Decentium epistola probat, Britannos Evangelium non a Romanis accepisse, & triumphos, quos de Augustini a Gregorio M. in Angliam missi expeditione agunt Romanæ Curiæ Patroni, ipsa victoria longe majores esse ostendit. Ad Petri & Johannis legationem Act. VIII, 14. descriptam ubi pervenit, animadvertit parum abesse, quin Baronius hanc legationem non a Petro & Johanne, sed a Petro & Cepha susceptam fuisse dicat; ad eum ferme modum, quo olim nonnulli, cum Cæsar omnia in Republica ad arbitrium administraret, non Cæsarem & Bibulum, sed Julium & Cæsarem Consulatu fungi, jocantes dixisse perhibentur. Deinde ostendit, quantum illa legatio Petri primatui adversetur, & olim etiam Episcopis Romanis Legatorum provinciam demandatam fuisse exemplis nonnullis demonstrat. Exemplum Patris Filium non minorem mittentis, quo causam suam Baronius contra Novatores, quos vocat, tueri conatus est, ἀποστόλου esse breviter animadvertit. Respondet etiam ad exemplum Ismaëlis Pontificis Maximi, quem Judæi in causa, quam adversus Regem suum Agrippam habebant, ad Neronem Imperatorem cum aliis miserunt. Cum enim Baronius inde concludere nitatur, Petri primatui nihil obesse, quod is ab Apostolico Collegio ad Samaritanos missus fuerit; contra Basnagius etiam Judæorum Pontificem Senatu Judaico inferiorem fuisse asserit, neque Baronio concedit, quod Hebræorum Pontifices nemini nisi Deo subjecti fuerint. Contrarium enim ex Gemara Babylonica & aliis Judæorum monumentis, quin & ex ipsa Scriptura probari posse, docet. Cæterum cum Baronius, dum Ismaëlis Pontificis Maximi ad Neronem missi mentionem facit, eidem Chelciam sacri ærarii Custodem adjungat, eumque Pontifici ordine proximum faciat; hinc Basnagius de sacri ærarii Custode ejusque apud Judæos dignitate differendi occasionem aucupatur. Ac primum quidem de vocegazophylacii agit, & γαζοφυλάκιον illud, in quo Christum verba quædam prolocutum Johannes c. VIII, 20. memorat, non ærarium notare dicit, qui locus plebi inaccessus & paucis pervius fuit, sed atrium mulierum, in quo arculæ recipiendis eleemo-

eleemosynis constitutæ erant. Hinc quæstionem movet, unusne an plures ærario templi Hierosolymitani præfecti fuerint? Ligtfootus duos ærarii custodes præcipuos constituit, quos a Judæis Katholikim appellatos observat, iisque duos tantum in populo Judaico superiores fuisse notat, nempe Pontificem Maximum & Sagan. Verum cum duo illi Catholicani, ut veterum ICtorum verbo, quo rationum Præfectos designare solebant, uti hic liceat, Josepho ignoti fuerint, qui passim unum tantum ærarii Custodem agnoscere videtur; non dubitat, quin Catholicani illi ad Rabbinorum somnia referri debeant. Et hæc quidem prior Basnagii sententia fuit. Verum cum postea in Josephi Antiqu. libr. XV, c. 14. expressam τῶν γαζοφυλάκων mentionem deprehendisset, errorem hunc correxit, & ad calcem hujus voluminis retractavit. Postea etiam disquirit, fueritne apud Judæos munus aliquod Saganatus nomine donatum, quod Pontificatui proximum ærarii præfecturam præemineret? Notat in Scriptura sacra vocem Sagan de sacerdotali munere nusquam usurpari. Rem ipsam quod attinet, negat quod Pontifex perpetuum aliquem Vicarium habuerit, cum Josephus referat, quod Matthiæ summo Sacerdoti, cum nocturno quodam somnio pollutus solenni jejuniorum die officio suo fungi non posset, ad unicum tantum diem, alius qui Pontificis munia obiret, substitutus fuerit, qua temporaria substitutione opus non fuisset, si Pontifices Judæorum perpetuum Vicarium habuissent. Observat præterea, ex Josepho constare, quod in republica Judaica multi, sacra honorum fame compulsi, malis artibus Pontificatum ambiverint. Cum vero de Saganatu ambitiosæ hujusmodi contentiones inter Judæos natæ non legantur, ex eo colligit, quod proxima illa Pontificatui dignitas perpetua non fuerit. Verba Lucæ, qui c. III, 2. Annam & Caipham eo anno, quo Johannes Baptista ministerium suum exorsus est, summos Pontifices fuisse dicit, a *Scaligero* ita quidem explicata sunt, quasi Annas non summus Pontifex, sed tantum Caiphæ summi Sacerdotis Sagan seu Vicarius aut Proto-Syncellus fuerit, ideoque Eusebius erraverit, qui Annam & Caipham eodem anno simul supremo Pontificatu functos fuisse scripsit: verum Basnagius Scaligerum potius errasse scribit, cum vox Ἀρχιερεύς tantum summo Sacerdoti, vel etiam capitibus Familiarum Sacerdotalium, non autem Sagani competat

petat, neque Annas, si Sagan tantum fuerit, Caiphæ a Luca præponi debuisset. Non minus erroris arguit *Seldenum* & *Baronium*, qui Annæ Pontificatum apud Lucam civilem dignitatem designare statuerunt, in quem errorem a Baronio inductus fuit etiam *Ligtfootus*, Annam propterea summum Sacerdotem a Luca vocatum existimans, quod & Sacerdos & Princeps Synedrii fuerit, quam sententiam tamen postea retractavit, cum neminem unquam ejus nominis Principem Synedrii fuisse perpendisset. Basnagii autem sententia est, Annam & Caiapham omnino simul Pontifices fuisse, sed ita, ut officium hoc per annorum vices alternaverint. Probat id ex Johanne, qui Caiapham eo anno, quo Christus passus est, Pontificem fuisse dicit, & ex Luca qui Act. IV, 6. anno Christi emortualem proxime excipiente, Annam supremum Pontificem fuisse dicit, eoque loco Caiaphæ nomini nullam dignitatem addit. Postremo loco etiam *Casaubonum* in Caiaphæ annis computandis errasse, & Josephi ea de re loca non accurate explicasse notat.

Baronium qui ex Act. VIII, 17. Confirmationis Sacramentum exsculpere conatur, prolixe confutat; quod argumentum etiam ex nostratibus celeberrimus *Kortholtus* in suis Disquisitionibus Anti-Baronianis egregie tractavit. Sed jam Basnagii ductum sequamur. Is antequam ad ipsum Confirmationis Sacramentum accedat, de ritu impositionis manuum multa disserit. Notat *Sanctium*, qui impositionis manuum hanc rationem esse innuit, ut significet, hominem illum, cui manus imponitur, non sui amplius juris esse, sed in alterius potestatem transire. Quod falsum esse Numæ Pompilii exemplo probat, qui in potestatem illius Auguris non venit, a quo ipsum dextra capiti imposita consecratum Livius retulit. Magis probat *Grotii* sententiam, qui manus impositionem Divinæ potentiæ efficaciam designare scribit; sed illud in Grotio improbat, quod manûs extensionem cum impositione confudit. Recenset deinde varias species impositionis manuum apud Judæos usitatæ, nempe χειροθεσίαν in consecrandis victimis adhibitam, de qua varias Judæorum traditiones ex Ligtfooto memorat, item eam, quæ vel benedictionis vel sanationis causa adhibita fuit, nec omittendam censet impositionem manus, qua homines ad munus aliquod consecrati sunt. Quamvis enim *Ligtfootus* statuerit Apostolos, cum consecran-

grandis Episcopis manum imposuerunt, ab usitato Judæorum more recessisse, cum Maimonides Judæorum Presbyteros sine manus impositione ordinatos tradiderit; persuadere tamen sibi non potest doctissimus Basnagius, quòd Judæi Christi temporibus in ordinandis Presbyteris a paterna consuetudine deflexerint, cum Mosaico jure Levitis manus impositæ fuerint. Addit & illam χειροθεσίαν, qua Josua a Mose consecratus est. Porro a Judæis ad Christianos transit, quatuor imprimis χειροθεσίας Christianæ genera recensens, quarum prima in ægris, quibus etiam energumenos accenset, altera in catechumenis, tertia in pœnitentibus, & quarta denique in ordinandis usurpata fuit. Eam vero manuum impositionem, cujus ope Apostoli Spiritus Sancti munera Samaritanis aliisque erogarunt, nihil ordinarii habuisse censet, & quantum ea a Confirmationis Sacramento discrepet ostendit, cum neque Apostoli chrisma, aut signum crucis, aut alias Confirmationis cerimonias in illa manus impositione adhibuerint, neque in Confirmationis Sacramento manus imponatur. Irridet *Bellarminum*, qui in unctione frontis manuum impositionem quærit, nec minus *Durandum*, qui inter mysteria alapæ confirmandis infligi solitæ & hoc refert, quod Apostolicam manuum impositionem repræsentet; quod pari absurditate dici judicat, ac si quis Paulum eo tempore confirmatum dicat, quo summus Pontifex colaphum ejus ori impingi demandavit. Refutat & *Maldonatum* docentem, quod ecclesiæ ritus Confirmationis pro re nata mutandi libertas relicta fuerit, quo posito omnibus hæreticis Sacramentorum materiam & formam corrumpentibus fores latissime pandantur, & *Estium*, qui Lucam in describenda Samaritanorum Confirmatione, ex arcani disciplina, neque elementum neque verbum hujus Sacramenti prodere voluisse; quasi vero Evangelistæ in describendo Confirmationis Sacramento religiosiores & arcani tenaciores fuerint, quam in ritu baptismi & eucharistiæ describendo. Præterea non immerito dubitari posse existimat, an Apostoli pauperes, si chrisma illis conficiendum fuerit, balsamum, quod non sine ingenti pretio comparari potuit, tam copiosum habuerint, quantum omnibus baptizatis sufficere potuit? A Pontificiis ad *Pearsonium* aliosque Anglos Episcopales progreditur, & impositionem manuum Apostolicam, qua Spiritus S. Samaritanis col-

latus est, cum hodierna Confirmatione, quæ inter Episcoporum prærogativas numeratur, nihil commune habere, partim ex Ministris manuum impositarum, partim ex effectu illius ceremoniæ concludit. Pearsonio asserenti, quod chrisma statim post Apostolorum tempora in Confirmatione seu simul cum manuum impositione adhibitum fuerit, opponit Justinum Martyrem, qui cum baptismi cerimonias ævo suo usitatas luculenter describit, nullam chrismatis mentionem injicit. Opponit Irenæum, qui dum Valentinianos opobalsamum in suo baptismo usurpasse refert, aperte indicat, ab ecclesiæ moribus illud institutum abhorruisse. Non igitur statim post Apostolorum tempora, sed tertio seculo ineunte chrisma & manuum impositionem in scenam prodiisse asserit, cum ante Tertullianum nulla istarum cerimoniarum mentio occurrat. Quæ cum ratione ordinis & modi in ecclesiis admodum variaverint, ex eo probat, quod ab Apostolis profectæ non fuerint. Notat autem easdem ceremonias baptismi partes fuisse, quod plurimis Patrum testimoniis confirmat. Oleum igitur & operam perdere Baronium concludit, cum pro Confirmatione varia dicta Patrum adducit, quæ de unctione baptismo conjuncta agunt. Verba *Prudentii: Cultor Dei memento, Te fontis & lavacri rorem subisse sanctum, et chrismate innovatum*, a *Cassandro* in hymnis ecclesiasticis ita exponi animadvertit, quod unctio chrismatis haut aliter fere baptismo, quam Corporis Dominici Sacramento Calix Sanguinis, conjuncta fuerit. In loco *Clementis Alexandrini* apud Eusebium, Baronium Christophorsoni versione deceptum fuisse ex Valesio observat, & perperam Baronium ex veterum monumentis Confirmationem suam derivare notat, cum hodierna Latinorum Confirmatio ab antiqua plurimum discrepet. De quæstione: an Confirmatio manusve impositio solis Episcopis reservata fuerit? Pontificios Doctores multum inter se digladiari, adductis variis eorum sententiis ostendit, & simul non eandem omnium ecclesiarum consuetudinem & praxin fuisse probat; & postquam etiam Presbyteris manuum impositionem olim concessam fuisse, ex Clemente Alexandrino, Concilio Eliberino, aliisque antiquitatis monumentis demonstravit, quibus de causis tandem in jus Præsulum Confirmatio cesserit, exponit, Coronidis loco de efficacia Confirmationis &

Chara-

Charactere, quem fictitium hoc Sacramentum imprimere dicitur, nonnulla differit.

Simonem Magum, cujus Josephus libr. 20. c. 5. meminit, eundem esse suspicatur cum eo, qui Act. VIII, 9. & sequ. memoratur. Etsi enim Simon Josephi, patria Cyprius fuerit, & ille, quem Lucas memorat, a Justino ex vico Samaritano, cui Gitton nomen fuit, oriundus perhibeatur, Justinum tamen in Simonis patria hallucinatum statuit. Neque enim *Stephani le Moyne* conjecturam probat, cui pro Gitton Cittium legere placuit, quasi Simon Magus non Γιτθιεὺς, sed a celebri Cyprioppido Κιτθιεὺς dici debeat; quæ conjectura Justini menti plane adversetur, siquidem expresse Simonis patriam in Samaria sitam addidit. Impostorem autem illum Samaritanum, quem cum asseclis suis a Pilato fusum & fugatum Josephus lib. 18. c. 5. Antiquitatum retulit, Simonem Magum fuisse, quæ Baronii conjectura est, a veri specie plane abesse, Basnagius observat. Non dissimulat etiam, suspectam sibi esse Irenæi aliorumque traditionem, referentium quod Simon Magus pro summo Numine se venditaverit. Confirmat suspicionem suam ex eo, quod ἀσύστατα sint, quæ Patres primitivæ Ecclesiæ de Simone literis prodiderunt; ut cæteras ejus rationes taceamus. Fabulis accenset & illud, etsi ab Augustino traditum, quod suas & Helenæ imagines discipulis suis adorandas tradiderit, cum hoc imaginum cultu Judæorum & Samaritanorum animos plane a se abalienaturus fuisset, apud quos quantivis pretii videri volebat.

In historia Eunuchi Candaces a Philippo conversi notat errorem *Gregorii Nazianzeni*, qui Candaces Reginæ nomen ipsi Eunucho tribuit. Candacem autem illam ab ea diversam judicat, quæ a Strabone lib. 7. Æthiopibus imperasse dicitur. Disquirit, cur Lucas non Regis sed Reginæ meminerit, in cujus Eunucho per Philippi ministerium converso oraculum Esaiæ c. LXVI, 19. impletum asserit, ubi per Lud Æthiopiam intelligi probat. Dissentit ab iis, qui Eunuchi hujus patriam in Arabia statuerint. Refutat Baronium scribentem, quod Æthiopes eadem pene cum Judæis in religione senserint, & a Christianis non multum discrepaverint; cum tamen fœdissima idololatria & superstitione non secus ac Ægyptii, quibus orum suum debuerunt, infecti fuerint, quod ex ipso Strabone pro-

bat, quem pro sua assertione statuminanda Baronius allegavit. Ex mentione circumcisionis, quam ab Ægyptiis Æthiopes didicisse Baronius refert, nata occasio Basnagio digrediendi ad quæstionem, utrum circumcisio ab Ægyptiis ad Hebræos transierit? *Marshamo* & *Spencero* affirmantibus inter alia opponit, quod Moses inter posteros Mizraim etiam Philistæos referat: si autem Ægyptii a primis gentis suæ incunabulis circumcisi sint, nullam idoneam causam adduci posse, cur hic ritus ab Ægyptiis ad Philistæos non descenderit, quos præputium retinuisse constat. Concludit igitur, post natos Philistæos demum Ægyptios circumcisionem usurpasse, eamque forte a Josepho Patriarcha didicisse. Ad Baronium reversus, absurdam ejus sententiam perstringit, qua statuit, Judæos, quod in Ægypto habitassent, ab Herodoto Æthiopes appellatos. In eo quoque Baronium reprehendit, quod omnes scriptores ecclesiasticos Eunuchum inter Proselytos numerasse dicat, ideoque Eusebium erroris arguat, qui Eunuchum illum religione Ethnicum fuisse statuit. Quod falsum esse Basnagius inde probat, quod præter Eusebium Nicephorus quoque & Chrysostomus Eunuchum pro Ethnico habuerint. Cum autem ex hac sententia sequi videatur, Philippum, non Petrum, ostium salutis gentibus reseravisse, quod tamen officium sibi divinitus mandatum Petrus celebravit, nodum hunc ita solvit Basnagius, ut Cornelium a Petro prius institutum, quam Eunuchum a Philippo baptizatum arbitretur, cum Lucæ insolitum non sit, aut temporum ordinem negligere, aut cohærentia distrahere. Spectant etiam ad Historiam Eunuchi a Philippo conversi, quæ ad Act. VIII, 26 de urbe Gaza disserit, nec non de Scripturis ad Eunuchi exemplum legendis, quam in rem aurea Chrysostomi verba repetit, variaque exempla adducit, quibus manifestum reddit, omnis generis homines lectioni Scripturarum incubuisse.

Traditionem de Tiberio Christi apotheosin decernente, quam non Baronius tantum, verum etiam Casaubonus, Pearsonius, Huetius aliique clarissimi Viri ut veram amplectuntur, Basnagius falsam esse judicat. Nec obstare ait, quod *Huetius* objecit, Tertullianum Senatui Populoque Romano hoc Tiberii factum objicere ausurum non fuisse, nisi ex publicis commentariis & iis maxime, quibus res sub Pilato gestæ continebantur, res illa omnibus perspecta & cognita fuisset. Respondet enim, etiam Justinum Martyrem in Apologia, quam Antoni-

tonino Pio pro Chriſtianis obtulit, ſtatuam Simoni Mago poſitam memoraſſe, cum certum ſit, Simonem Magum tali ſtatua Romæ nunquam fuiſſe decoratum. Poſtea variis argumentis traditionem illam de Tiberio impugnat; qua occaſione etiam de Pilati ad Tiberium literis & actis Pilati prolixe agit. Hæc ex Baſnagii Obſervationibus ad A. C. 35. excerpere placuit. Nam ut ad reliquos annos progrediamur, rerum, de quibus tractat, varietas & copia nobis brevitatem ſectantibus minime permittit.

MICHAELIS ANGELI FARDELLÆ VNIVERſa uſualis Mathematica Theoria. Tomus Primus.

Venetiis apud Hieronymum Albritium, Anno 1691 in 12 Conſtat plagulis 22.

REcenſuimus nuper, *Actorum* menſe *Januario pag. 40*, primum Tomum Syſtematis Philoſophici, quod Clariſſimus *Fardella* publico adornat, *Dialecticam philoſophicam*. Hanc jam excipit *Dialectica mathematica univerſalis*, Tomus primus Theoriæ, qua univerſam uſualem mathematicam traditurum ſe pollicetur *Autor*. Conſtabit ea quatuor partibus, quarum præſens hæc, & *prima* operis, organon eſt, ad univerſalis quantitatis naturam aperiendam comparatum: in quo media quædam univerſalia, generalis matheſeos fundamenta continentia, ad recte geometrizandum afferuntur; quoq; adeo, tanquam modo & inſtrumento, ex cujuslibet quantitatis ſpeciei genericis & communibus affectionibus detectis, ad mathematicarum propoſitionum expeditam reſolutionem animus diſponitur. *Altera, Dialectica geometrica*, ſpecialia quædam & inſigniora ſuppeditabit media, ad continuæ quantitatis ſeu extenſionis naturam, proprietates linearum, planorum & ſolidorum intelligendam præparantia. Utriusque hujus dialecticæ uſum & applicationem *tertia* præbebit, difficilioribus *Euclidis*, *Apollonii*, *Archimedis* & *Theodoſii* propoſitionibus mira brevitate demonſtratis; jactis inſuper utriusque Trigonometriæ & practicæ Geometriæ fundamentis. *Quarta* denique, methodi totius fructus & coronamentum, palmaria Mechanicæ, Opticæ & Staticæ principia, quorum cognitio ad ſolidam experimentalem Philoſophiam omnino requiritur, exponet.

Quod autem *primam* partem attinet, exordium ei *Autor* facit ab impedimentis, quibus amoliendis occupatum esse oportet animum, matheseos cognitione feliciter imbuendum. Præter naturalem enim ingenii defectum, languidæ & torpescentis phantasiæ, in qua confuse & perturbate rerum vestigia delineantur, quo laborantes inauspicato plane studiis applicantur mathematicis; Autori præcipue commemorantur, qui ab hominum incuria orti, solerti studio vitari possunt & corrigi: *Definitionum obscuritas, axiomatum per obscuros aut æquivocos terminos expressio, legitimæ & scientificæ methodi defectus*, quorum singulorum exempla ex Elementis *Euclideis* non una proferuntur; *affectata obscuritas, methodi difficultas* (cujus vitii ream analyticam recentiorum methodum, ab *Ægidio Gottignies* merito rejectam esse *Noster* contendit) *principiorum insufficientia, ingenii fastus & ostentatio.*

His indicatis, *primo* Dialecticæ hujus *libro* universales praxes, quibusvis quantitatibus communes, hoc est, vulgo sic dictæ computationum species, traduntur: quibus ratio præmittitur scribendi quantitatum dignitates, per literarum symbola, signorum item + & − significationes, tum ad mentem Algebraistarum communem, tum *Autoris*. Huic enim utrumque hoc signum est additionis, nullum vero subtractionis; ipsæque quantitates signo − affectæ, negativæ, non vero nihilo minores; adeoque subtractio additionis regulis perficitur: & hæc juxta scita *Logisticæ Gottignianæ*; a quibus tamen circa multiplicationem in hoc discedit, quod regulam Algebraicam, − *in* − *producit* +, ex Algebræ communis principiis, quod Patri *Gottignies* impossibile visum, demonstret. *Secundo* occupatur in calculo vulgaris arithmeticæ numerorum integrorum & fractorum: ubi se potissimum methodo *Matheseos universalis Malebranchii* usum *Autor* affirmat.

Tertio libro proportionum doctrinam aggressus, eandem etiam summo plurimorum labore nondum ita correctam & explanatam contendit, ut ulteriori non indigeat emendatione: desideratque etiam post novissimos *Tacqueti*, *Gottignies*, *Prestleti* (autoris *novorum elementorum geometriæ* Gallicorum, nuperrime Parisiis auctius recusorum) & *Borelli* conatus, eam hujus argumenti perspicuitatem & evidentiam, quæ rigorosæ scientiæ competit, quam vero suis medi-

meditatis illi conciliare ſtudet. Hoc ut conſequatur, proportionem nihil aliud eſſe pronunciat, quam v. e. quantum A, comparatum ad quantum B ejusdem naturæ; ut videlicet hac ratione proportio non conſiſtat in forma quadam abſtracta ſimilitudinis & relationis, ſed ipſum ſit concretum ſeu res, ſed tamen ut ad alteram comparata. Huic fundamento deinde ſuperſtruit doctrinam de proportionibus, proportionalitatibus & progreſſionibus arithmeticis & geometricis, bonamque partem propoſitionum *Elementi Quinti Encl.* demonſtrat.

Quartus agit de compoſitione & reſolutione quantitatum: quo loco priores *Elem. ſecundi* propoſitiones analytice demonſtrantur, & radicis quadratis cubicæque extractio juxta formulas *Gottignianas* docetur.

Vltimo libro, analyticum ſive algebraicum artificium breviter expoſiturus, ſpecioſam ſive ſymbolicam Geometriam, a *Vieta* & *Carteſio* inventam aut reſtitutam, clave adhuc indigere conqueritur, qua tot tenebroſa ænigmata, quæ continet, Matheſeos Studioſis ſolvantur: cum *Carteſianæ* Geometriæ interpretes ita perturbate & ænigmatice ſcripſerint, ut neſciat, obſcurionre habendus ſit textus an commentarii. Commendat vero *Sluſium*, *la Hire*, *Malebranchium* & *Sturmium*, qui præ cæteris analyticam artem facilem reddere ſtuduerint. Enixe vero optat, ut quandoquidem a Celeberrimo *Leibnitio* acceperit, calculum analyticum, quomodo a recentioribus Algebraiſtis proponitur, ita imperfectum & limitatum eſſe, ut problematibus pluribus, quæ neque plana, neque ſolida, neque linearia, aut alterius omnino certi gradus ſint, ſed ad tranſcendentalem aliquam Geometriam ſpectant, ſolvendis impar ſit, ſolertiſſimus hic & incomparabilis Geometra, quæ circa analyſin feliciter excogitavit, poſteritati conſignare dignetur. Interea Autor *Analyſeos* rationem diverſis propoſitionibus ita exponit, exemplisque ſubnexis illuſtrat, ut tyronibus viam pandat, qua ad penitiora Symbolicæ Matheſeos arcana penetrare deinceps valeant. Subſiſtit autem in æquationibus quadraticis ſub latere affectis, earumque ſimilibus, binarum altiorum quarumvis dignitatum, quarum denominatores ſunt in ratione (juxta *Autorem* proportione) dupla.

DE

DE LINEA EX LINEIS NVMERO INFINITIS ordinatim ductis inter se concurrentibus formata, eas á omnes tangente, ac de novo in ea re Analysis infinitorum usu.

Autore O. V. E.

Ordinatim applicatas vocare solent Geometræ rectas quotcunque inter se parallelas, quæ a curva ad rectam quandam (*directricem*) usque ducuntur, quæ cum ad directricem (tanquam *Axem*) sunt normales, solent vocari *Ordinatæ κατ' ἐξοχήν*. *Desargueſius* rem prolatavit, & sub Ordinatim applicatis etiam comprehendit rectas *convergentes* ad unum punctum commune, aut ab eo *divergentes*. Et sane parallelæ sub convergentibus aut divergentibus comprehendi possunt, fingendo punctum concursus infinite abhinc distare. Verum quia multis aliis modis fieri potest, ut infinitæ duci intelligantur lineæ secundum legem quandam communem, quæ tamen non sint parallelæ vel convergentes ad punctum omnibus commune, aut a puncto omnibus communi divergentes, ideo nos tales lineas generaliter vocabimus *Ordinatim ductas*, vel ordinatim (positione) datas. Exempli causa, si speculum aliquod, vel potius sectio ejus a plano per axem, cujuscunque figuræ positione datæ, radios Solares sive immediate, sive post aliam quandam reflexionem aut refractionem advenientes reflectat; isti radii reflexi erunt infinitæ lineæ rectæ ordinatim ductæ, & dato quovis puncto speculi (cæteris manentibus) dabitur radius reflexus ei *respondens*. Verum ego sub ordinatim ductis non tantum rectas, sed & curvas lineas qualescunque accipio, modo *lex* habeatur, secundum quam dato lineæ cujusdam datæ (tanquam *ordinatricis*) puncto, respondens ei puncto linea duci possit, quæ una erit ex ordinatim ducendis, seu ordinatim positione datis. *Ordine* enim percurrendo puncta ordinatricis (verbi gratia lineæ, cujus rotatione fit speculum paulo ante dictum, seu sectionis ejus per axem) ordine prodibunt lineæ illæ ordinatim datæ. Porro etsi eæ non concurrant omnes ad unum punctum commune, tamen regulariter duæ quævis tales lineæ *proximæ*, (id est *infinitesime* differentes, seu infinite parvam habentes distantiam) concurrunt inter se, punctumque concursus

curſus eſt aſſignabile, & his concurſibus ordinatim ſumtis nova prodit *linea concurſuum*, quæ eſt omnium concurſuum inter proximas locus communis, habetque hoc egregium, quod omnes ordinatim ductas, quarum concurſu formatur, tangit, quam proprietatem, cum meditantibus ſatis appareat, demonſtrare hic non eſt opus. Talis eſt *linea evolutione generans*, ea enim omnes rectas ad curvam evolutione generatam perpendiculares tangit, ex Hugeniano invento. Tales ſunt lineæ plures *coëvolutione generantes*, quas Dn. D. T. excogitavit, & *quaſi Foci* ab eodem introducti, cum concurſus radiorum non fiunt in puncto, ſed in ejus locum *Focus* eſt *linearis*, concurſu ſaltem duarum proximarum quarumcunque formatus. Sed cum hæc non niſi ad rectas pertineant, ſciendum eſt aliquid analogum & in curvis locum habere. Ita linea reflectens, quæ radios ſecundum quamcunque præſcriptam legem a lucido, vel ſpeculo aut lente (una pluribusve) datarum figurarum, venientes reddit iterum convergentes (divergentes aut parallelas) cujus conſtructionem in his Actis dedimus, formatur ex concurſu infinitarum ellipſium (hyperbolarum aut parabolarum.) Et hinc quoque Methodus haberi poterat, problema illud prima fronte tam difficile ſolvendi: nam infinitæ illæ ellipſes ſunt ordinatim poſitione datæ, adeoque & linea concurſuum data eſt, ſeu haberi poteſt. Et hæc Methodus ad multa alia præſtanda aditum præbet, quæ alias vix videbantur eſſe in poteſtate. Quæ etiam cauſa eſt, cur viam hanc novam Geometris aperire voluerim. Res autem pendet a noſtra *Analyſi indiviſibilium*, & calculus hujus Methodi tantum applicatio eſt noſtri calculi differentialis. Nempe conſtituta ſemel æquatione locali (ſeu ad curvam lineam, unam ex ordinatim datis,) ſed generali, (legem omnibus communem exhibente) hujus æquationis jam quæratur æquatio differentialis, modo mox dicendo, & ope harum æquationum habetur quæſitum. Et quidem cum linea alicujus curvæ ad punctum quodcunque in ea datum quæritur tangens, tunc etiam tantum opus eſt *æquationem ejus* curvæ *differentiare*, ſeu quærere æquationem, quæ ſit differentialis ad æquationem curvæ localem, ſed tunc *parametri* ſeu rectæ magnitudine *conſtantes*, lineæ conſtructionem, vel æquationis pro ipſa calculum ingredientes, quæ per *a*, *b*, &c. deſignari ſolent, cenſentur *unica* ſeu *indifferen-*

ferentiabiles, quemadmodum & ipſa recta tangens, vel aliæ nonnullæ *functiones* ab ea pendentes, verb. gr. perpendiculares ad tangentem ab axe ad curvam ductæ. Verum tam *ordinata* quam *abſciſſa*, quas per *x* & *y* deſignari mos eſt (quas & *coordinatas* appellare ſoleo, cum una ſit ordinata ad unum, altera ad alterum latus anguli, a duabus *condirectricibus* comprehenſi) eſt *gemina* ſeu *differentiabilis*. Hic vero in noſtro calculo præſenti cum non quæritur tangens quæcunque unius curvæ in quocunque ejus puncto, ſed tangens unica infinitarum curvarum ordinatim ductarum, unicuique in ſuo puncto reſpondenti occurrens, adeoque cum quæritur uni ex his curvis aſſumptæ reſpondens punctum contactus, tunc contrarium evenit, & tam *x* quam *y* (vel alia functio ad punctum illud determinandum æquivalens) eſt *unica*; ſed aliqua minimum parameter *a* vel *b* debet eſſe *gemina* ſeu differentiabilis, ea nimirum, qua variata etiam variantur curvæ ordinatim ductæ. Et quidem, licet unius curvæ plures poſſint eſſe rectæ conſtantes ſeu parametri, (exempli cauſa ellipſis omnis, & hyperbolæ pleræque habent duas, cum parabola & circulus habeant tantum unicam,) tamen hic ſemper oportet ex datis eo rem tandem poſſe deduci, ut unica tantum ſuperſit *conſtans* (in eadem curva) *variabilis* (pro diverſis) alioqui modus ordinatim eas ducendi non ſatis eſt determinatus. Interim nihil impedit cum plures dantur æquationes determinantes, conſiderari plures parametros ut differentiabiles, cum etiam plures æquationes differentiales pro ipſis determinandis haberi poſſint. Et plerumque datur *conſtantiſſima* (una vel plures) ſeu parameter communis omnibus ordinatim ducendis; adeoque litera eam deſignans in calculo differentiali etiam manet indifferentiabilis. Hinc patet, eandem æquationem poſſe habere diverſas æquationes differentiales, ſeu variis modis eſſe differentiabilem, prout poſtulat ſcopus inquiſitionis. Imo fieri poſſe expertus ſum, ut plures modi differentiandi eandem æquationem jungantur inter ſe. Hæc omnia explicanda eſſent diſtinctius, atque exemplis illuſtranda, ſi inſtitutiones quasdam novæ noſtræ *Analyſeos infinitorum* tradere vellemus; ſed ea res nec hujus eſt loci, & nec temporis noſtri. Et qui priora noſtra intellexerint ac porro meditari volent, ad hæc quoque non difficulter pertingent, & eo quidem jucundius, quod in partem inventionis venire

ſibi

ſibi videbuntur. *Vocabulis* utor ſubinde *novis*, ſed quæ ipſe contextus explicat, neque ego in verbis facile novare ſoleo, niſi cum evidens eſt fructus, non tantum ad brachylogiam, (alioqui enim vix licuiſſet hæc ſine multiplici calculo tradere) ſed & ad quandam, ut ita dicam, admonitionem atque excitationem mentis, atque univerſalia animo concipienda.

HISTOIRE ABREGE'E DE LA NAISSANce et du progres du Kouakerisme, avec celle de ſes dogmes.

i. e.

Breviarium hiſtoriæ de ortu & progreſſu Quackerismi, & dogmatum ejus.

Coloniæ 1692. in 12. plag. 9.

AUtor anonymus in præloquio libellum hunc legentibus placiturum eſſe ſperat, tum ob novitatem, quia hue usque hiſtoria de ſecta Quackerorum edita non ſit, tum quod comperta traditurus ſit, diu quippe in Anglia & Londini potiſſimum commoratus. Summe vero juſtum & neceſſarium eſſe monet, execrandos illos impoſtores, eorumque impietatem immaniſſimam, qua falſo religionis Chriſtianæ obtentu, totam veritatem Evangelicam deſtructum eant, recte noſſe. Queritur de autore libelli, qui titulum habet *Proteſtantis Pacifici*, in quo dogmata Quackerorum recenſeantur, ſed emollita & fucata, ut ſatis appareat, ſcriptorem illis addictum, aut ab iis deceptum eſſe. Deteſtatur imprimis ſtultam hominum illorum inſolentiam, qui nemini mortalium, quantæcunque dignitatis, honorem verbo aut geſtu exhibeant, cum tamen domi a famulis ſuis omnem cultum exigant. Taxat quoque *Commentarium Philoſophicum*, aliosque tractatus *Socini* & *Spinoſæ* veneno infectos, ea fere ſeveritate, qua *D. Jurius* in eosdem invehi ſolet, hujusque exemplo officium Principum & Magiſtratuum ad coërcendas hæreſes implorat, non quidem ut ferro & igne ſæviant, aut articulorum fidei numerum ultra modum extendant, & ſic Pontificiorum imitatione tyrannidem in conſcientias exerceant; ſed ut ea docerí jubeant, quæ ad ſalutem ſimpliciter neceſſaria, & a

Christianis omnibus semper credita sunt. Dictum inde *Luc. XIV. 23. Compelle intrare*, & quæ *Matth. XXII, 11.* & seqq. de homine, qui veste nuptiali carebat, leguntur, ita explicat, ut minime concedat, Christum mandasse, ut fuste & gladiis homines in Ecclesiam compellantur; ejectionem vero hospitis indigni non de supplicio, sed de excommunicatione interpretatur. Historiam vero hanc suam pro Apologia veritatis Christianæ habet, cum maleferiati isti nihil aliud intendant agantque, quam ut Jesum Christum, Deum & hominem, ejusque beneficia & redemtionem ex animis hominum evellant, fidemque in alium, nescio quem, mysticum & chimæricum, cum veri Christianismi omnimoda & diabolica eversione substituant. Jam historiæ ipsius contenta referemus.

Cap. I. Inter Anglos haut paucos esse, qui ad melancholiam & enthusiasmum naturali quadam inclinatione propendeant, contemplatione plurimarum sectarum in regno illo abundantium certum esse putat Autor; quapropter etiam fatuorum & ex desperatione sibi ipsis manus inferentium numerum insignem ibidem esse dicit. *Georgium Fox* sive *Vulpem* nominat, ex infima plebe ortum & adhuc superstitem, qui sectæ initium fecerit. Hic, ut refert, cum stupido & vili ingenio esset, porcis ruri pascendis operam locavit; dein sub dominatu *Cromwelli*, licentia omnibus sectis indulta abusus, ex subulco propheta factus, per agros & vicos vagari, & obvios, qui ei auscultabant, monere de instantibus pœnis divinis, & ad emendationem atque abnegationem sui ipsius & quietem mentis cohortari cœpit, internum Dei lumen promittens. His artibus, tum specie quadam & robore corporis, viduam judicis cujusdam non deformem & præterea opulentam ad matrimonium secum ineundum permovit, simulataque per suspiria & tremores singulari & religiosa pietate, fusis etiam precibus, quas vocant, jaculatoriis, inclaruit, confluxumque hominum vagabundorum ad se concitavit, Mahometis propemodum exemplo, nisi quod armis uti intempestivum habebat; quanquam animum ei non magis ac illi defuisse judicat Autor, eundemque *Pennio* Londinensi, *Barclajo* Edinburgensi, & *Furlio* Roterodamensi imputat. *Foxum* autem, utut stupidum & agrestem, ad excogitandam propagandamque absurdissimam sectam non minus quam Mahometem indolem habuisse, ab experien-

rientia compertum fuit. Non possumus hic præterire magnam Autoris proterviam, qua hic, & infra *cap. VI*, doctrinam Ecclesiarum Augustanæ Confessionis cum insanis Mahometis deliriis, & fanaticis Barclaji erroribus comparare non erubescit, contraque manifestam veritatem, *Ubiquitariis*, quos vocat, exprobrat, quod corpus Christi substantia exuant, & in cœli atque terrarum spatia dissipent: sed elenchi meritam severitatem aliis relinquimus. Admi- Cap. II.
nicula porro novæ sectæ hæc enumerat: *Primo* magnæ pietatis affectationem; *Secundo* tædium rixarum inter Episcopales & Presbyterianos, totque alias Anglorum sectas, quibus occurrebant Quackeri, omnia ad primum & simplicem, ut jactabant, Christianismum revocantes; *Tertio* libertatem prophetandi ex prætensa illuminatione divina; *Quarto* illecebras famæ, qua homines illi veluti cælo demissi celebrabantur, & inde alios omnes despiciebant, & ut pares aut inferiores, omissa omni honoris significatione, tractabant; *Quinto* denique licentiam publice docendi & vaticinandi, fœminis promiscue delatam, quæ eam tam avide arripuerint, ut unius viri loco centum prophetissæ exsurgerent. Narrat inde, ut fœminæ cætus, Cap. III.
præter illos, quos cum viris communiter adeunt, nec illis lubenter ferentibus, separatos habeant, & inter alia de nuptiis veluti jus dicant. Hinc nulli uxorem obtingere, nisi ex muliebris illius synedrii arbitrio, ex fanatiois principiis definientis. Memorat, ab aliquot Cap. IIV.
annis dissidia inter Quackeros enata fuisse, ita ut qui septentrionalem Angliæ partem incolunt, inspirationes fere derideant; eosdem tamen ideo Londinensibus exosos esse, & veluti pro hæreticis & excommunicatis haberi: hos enim, quemadmodum Pontificii in traditionibus, omnem autoritatis vim in inspirationibus ponere ait, ex quibus, quæcunque placent, in sacris aliisque negotiis decernere se Cap. V.
posse jactent. Explicat postea Sacramentum sive Paschа Quackerorum, reconditum nempe & summum illorum mysterium, quo totam JEsu Christi historiam in meram transformet allegoriam & sensum mysticum. Hanc impietatem a sectatoribus *Henrici Nicolai* Amstelodamensis, *Foxo* instillatam esse. Ille enim in Belgio sectam collegit, quam *familiam sancti amoris* nominabat, de Christo in speciem aliquid docens, per quem tamen nihil aliud, nisi lumen hominis internum, id est, animam, ingenium & rationem intelligebat.

bat. Sequebatur inde, cognitionem literalem actorum Christi nemini neceſſariam eſſe, ſed ſufficere Spiritum Christi, quem veluti medullam, rejecto cortice, id eſt doctrina Scripturarum, teneant qui amorem Christi imitentur. Hoc Quackeri ſagaciores manducationem Paſchalem vocant; reliqua omnia ut carnalia & cum Chriſto ſepelienda averſantur. Cap. VI. Ex fonte hoc inquinatiſſimo alia perverſiſſima fluunt dogmata, quæ in concionibus & libris ſpargunt, quaſi mors, ſepultura & reſurrectio Chriſti, non niſi emblemata & figuræ ſint officii ab hominibus præſtandi. Putat tamen Autor, hæc non tam a ſimplicioribus majorique cœtuum parte, quam a ſubtilioribus ſectæ Cap. VII. Doctoribus capi & proferri, inprimis a *Barclajo*. Poſt palmarium hoc Quackerismi acroama, alterum notat, quod myſterium Trinitatis deſtruant, & terminos *Eſſentiæ* & *Perſonæ*, ut barbaros & falſos rejiciant. Chriſti etiam incarnationem non niſi de dono Spiritus ſancti, quo Pater cœleſtis illum repleverit, interpretantur, cujus & ipſi compotes & totidem Chriſti fieri queant. Hinc Socinianos, Arianos & maxime Sabellianos a Quackeris plurimum æſtimari, *Pennium* ſpeciatim Sabellii dogma ſequi, idque regnante in Anglia Carolo II. edito libro defendiſſe, eo vero nomine in vincula conjectum, non niſi Cap. IIX. revocatis, quæ ſcripſerat, dimiſſum fuiſſe. Alia impietas illis tribuitur, quod etſi fide in Chriſtum ſalvari ſe dicant, pro objecto tamen fidei minime habeant mortem & ſatisfactionem Chriſti, ſed Cap. IX. ſaltem ad allegoriam & myſticum ſenſum, de quo ſupra diximus, reſpiciant. Evidens etiam eſt, & ex inſpiratione, quam pro principio venditant, conſequitur, nullam aut exiguam ab illis haberi auctoritatem Scripturæ, non majorem nempe, quam Anabaptiſtæ & Suenckfeldiani illi aſſignant, cum ſinguli ex eodem Spiritu loqui aut ſcribere ſe glorientur, quo Prophetæ & Apoſtoli. Licet vero cauſari ſoleant, inſpirationibus illis tantum fidem a ſe haberi, quæ cum ratione & Scriptura ſacra congruant, facile tamen cavillationes Cap. X. inveniunt, per quas congruentiam qualemcunque effingant. Tanto vero deterior eſt hæc de inſpirationibus jactantia, quia niſi hæc ex illorum phantaſia præcedat & adſit, a precibus & exhortationibus prorſus abſtinent, & absque ulla oratione diem incipiunt & finiunt, cibumque ſumunt. Sic Atheismo & illuſionibus oſtium panditur, & Satanæ ſuggeſtiones pro divinis, quia harum motum & ſen-

ſenſum mens humana non ſemper percipit, irrepunt. De tremore, quo corpus concutiunt, fracta voce loquuntur, frequenter ſuſpirant, aliquando etiam ſubito exclamant aut plorant, ſic cenſet Autor: quædam ex temperamento & phantaſiæ intenſione, plurima affectate & ex imitatione fieri; Diaboli etiam fraudes accedere. Notat tamen, deſinere jam fere tremendi morem. Examinat deinde dicta Scripturæ, quibus prædictum eſſe tremorem contendunt, inepte de corpore interpretantes, quæ ad animi affectus & timorem Dei referri debent: vane etiam ait prætendi, ac ſi reverentia ſacræ Scripturæ contremiſcant, cum qua tamen quilibet ex plebe ob inſpirationes æqualem habeat autoritatem. Citat hic peſſimam dicti, *ſcrutamini Scripturas*, depravationem ex Cathechiſmo Quackerorum: ajunt enim, non *imperative* ſed *indicative* loqui Chriſtum, ut innuat, Judæos in Scripturis Chriſtum quærere, idque fruſtra facere. Acerrime & plurimis perſequitur Quackerorum profanitatem, quod Sacramenta Baptiſmi & Cœnæ exterminaverint, negentque eo fine a Chriſto inſtituta eſſe, ut in Eccleſia continuentur, in qua rejectis omnibus externis, Spiritus tantum & veritas locum habere debeant. Refutat nominatim *Barclajum* ex Socini ſophismatibus Sacramenta impugnantem, & ea cum aliis factis inſtitutisque Chriſti & Apoſtolorum, quæ pro libertate Chriſtiana mutari & omitti potuerunt, confundentem, verbi gratia, cum lotione pedum, abſtinentia a ſanguine & ſuffocato, & unctione ægrotorum. Hic vero Autor periculoſe diſſerit de miraculis, quæ hodie non ideo ceſſare opinatur, ut Theologi orthodoxi judicant, quia confirmata jam veritate Evangelica, opus illis non ſit, ſed quod veri deſint Chriſtiani, qui fidem illam miraculorum omnibus, ut putat, a Chriſto promiſſam ſectentur & impetrent. Meliora ſunt, quæ pro ceremoniis ſacris contra *Barclajum* diſputat, urgentem, quod illæ omnes poſt effuſionem Spiritus Sancti in feſto Pentecoſtes abolitæ ſint, & ad exemplum *Ezechiæ* regis æneum ſerpentem confringentis, vitari debeant. Cum vero ita ſentiant, mirum eſt, quod, teſte autore, Pontificios ab idololatria excuſent, dum Sacramentum adorant, imo Eccleſiam Romanam (forte quod viſiones, & myſticas interpretationes & opiniones probet) aliis præferant. Memorat hic dictum *Pennii*, qui interrogatus a *Jacobo* II Rege, quæ inter Romanam & Quackerorum religionem diffe-

Cap. XI.

Cap. XII.

Cap. XIII. & XIV.

Cap. XV.

Cap. XVI.

differentia esset, responderit, non aliam, quam inter pileum Regis & suum, quod ille gemmis & plumis decoratus sit, hic omni ornatu careat.

Cap. XVII. Examinat post hæc & rejicit quorundam ex Quackeris opinionem, qui Christum in ultima cœna corpus & sanguinem revera & naturaliter discipulis manducandum dedisse statuunt, in substantia nempe non crassa sed subtiliori: explodit quoque illos & nominatim *Poiretum*, qui corpus & sanguinem Christi valida & firma fide eorum, qui transsubstantiationem sibi persuadent, ex cœlo dedu-

Cap. XVIII. ci censent, quia omnia possibilia sint credenti. Continuat hanc disputationem adversus eundem autorem, qui huic argumento conciliationem cum Pontificiis superstruit: ostendit tamen, aliam plane illum realitatem sive præsentiam proponere, quam Pontificios, quorum doctrinam ex Thoma & Scoto allegat & refutat, operose id agens, ut omnem præsentiam realem omnemque manducationem,

Cap. XIX. præter mere spiritualem, removeat. Speciatim exagitat commentum celebris inter Quackeros doctoris *Georgii Keits*, qui ex unione, qualis inter magistrum & discipulos est, præsentiam asserat. Veram denique & hucusque incognitam causam, cur Sacramentum Eucharistiæ Quackeri omiserint, Sacerdotibus Romanis in Anglia, ut notum est, occulte versantibus tribuit, & ex testimonio illustris cujusdam viri (*Robertum Boylium* innuens) refert, cum Cromwellus rigida jurisjurandi formula sacerdotes illos detegere & constringere vellet, illos pro solita & permissa sibi simulatione Quackeris accessisse, & mane quidem sacra Missatica secreto celebrasse, postea vero in cœtibus Quackerorum publice concionatos esse, & his omissionem sacræ cœnæ, cui ipsi, si Protestantium ritu haberetur, adesse non poterant, ut minime necessariæ, persuasisse. Propterea magnam inter Pontificios & Quackeros in Anglia familiaritatem & veluti sympathiam esse, ut mutuo sese tolerent & absque difficultate recipiant, cum *Quakerismus* non nisi *Quietismi* subtilioris species sit. Ipse Jacobus II Rex testatus esse dicitur, malle se Quackeris, quam ulli alii Protestantium Sectæ accedere. Utriusque certe consensum in hoc elucere contendit *Autor*, quod Quackeri non minus ac Jesuitæ in Protestantium Ecclesiam atrocissimis convitiis grassentur; imo illi inter primos fuerint, qui visiones Apocalypticas de Protestantibus explicaverint, ita ut horum cœtum Babylonem esse dicti-

dictitent, quidam etiam adeo protervi sint, ut bina bestiæ cap. XIII. v. 11. memoratæ cornua de Lutheranismo & Zuinglianismo interpretentur; quanquam & alii majori cum blasphemia Vetus & Novum Testamentum per ea intelligant. Addit, *Pennium* a multis pro Jesuita haberi, & in aula regia ut talem in carcerem aliquando ductum esse, accusatum, quod & Missam celebret, & in Quackerorum conventibus concionetur. Allegat etiam alium inter Quackeros celebrem, qui dixerit, si *Innocentius* XI. Pontifex impeditus non fuisset, aut diutius vixisset, futurum fuisse, ut aliam plane reformationem, Lutheranam & Zuingliana longe meliorem procuraret, ex *Molinosii* consilio; quem & omnes scriptores mysticos, veteres novosque ex Pontificiis, Quackeri in maximo habeant pretio. Interim non tacet, ab Anglis in genere Quackerismum pro sentina omnium hæresium & receptaculo pravorum & inquietorum ingeniorum, nec pro secta Christiana, sed potius pro factione Christianismo opposita haberi, quæ tolerantia prorsus indigna sit. Refert quoque, Quackeros Jacobo II. in regnum succedente publica lætitiæ signa dedisse, Guilielmo erecto autem ad thronum extreme fuisse consternatos, quod ab illo ex causis supra indicatis omnem favorem, ab hoc vero, utpote religioni Reformatæ addicto, nil nisi rigorem expectaverint. Licet itaque pecunia aditum in aula quæsiverint, deliberatum tamen diu in primo sub hoc Rege Parlamento fuisse, an non ex regno proscribendi essent, eoque insignes viros ex proceribus inclinasse; tolerantiam vero eorum hac conditione decretam fuisse, si subscriptis, quæ illis propositæ fuerunt, formulis, profiterentur, *credere se in unum Deum Patrem, & in JEsum Christum filium ejus, verum Deum & hominem, & quod Scripturæ sacræ sint divinæ, & a viris a Deo inspiratis ad nos profectæ, unde & regula fidei & morum esse debeant.* His licet per procuratorem suum apud Parlamentum *Renjaminum Furlium* multa regessissent, tandem sese submisisse; verendum tamen esse, ne promissa illa per cavillos malignasque interpretationes enervent. Ex hoc Parlamenti decreto hanc utilitatem sperat Autor, ut posthac non ausuri sint Quackeri contra religionem Christianam, ut consueverant, publice declamare, utque simpliciores periculum sectæ, cujus arcana nondum penetraverant, respicere, & ad verum Christianismum sese convertere incipiant. Cap. XXI.

Conſiderat hac occaſione, cur eo modo, quo Quackeri tolerantiam & exercitium ſuæ ſectæ impetrarunt, non etiam Romano-Catholici in Anglia tractentur. Statuit autem, veram & unicam cauſam eſſe, quod Pontificiam poteſtatem, ejusque ſummum in omnes Reges imperium, & jus abſolvendi a juramentis agnoſcant. Huic igitur perſuaſioni ſi unanimiter & ſincere renuncient, non dubitat, quin eandem tolerantiam ſint impetraturi; maxime, ſi Religioſos cujuscunque ordinis removeant,& non niſi Sacerdotibus, quos vocant,ſecularibus & ſuæ nationis utantur. Multus inde eſt,ut pro facilius obtinenda tolerantia illa, oſtendat idololatriam Pontificiis ob adorationem in Sacramento imputandam non eſſe, illorumque ſententiam, quantum poteſt, æquiſſime, longeque mitius,quam Lutheranorum, de quibus in præcedentibus,ut diximus, acerbiſſime judicavit, interpretatur. Fatetur quidem,ab Eccleſia Anglicana Miſſam & adorationem illi annexam pro idololatria haberi, ſed nemini, ut idem ſentiat, vi obtrudi. Deinde juramentum,quod *Teſt* vocant, in quo itidem adoratio iſta idololatrica vocatur, tantum a Magnatibus & Parlamenti Aſſeſſoribus exigi, neque cæteris ex populo injungi,aut jure injungi poſſe. In his quædam ſunt, quæ cenſuram
Cap. XXII. apud multos incurrent. Epilogi loco epiſtolam *Barclaji* ad Legatum quendam producit,anno 1676. d. 24. Nov. ſcriptam, illique a *Furlio* exhibitam & poſtmodum typis vulgatam. Ex hac conſtare ait, Quackeriſmum, ſi mitiſſime de eo judicetur, *Deiſmum*,imo accuratius expendentibus merum *Atheiſmum* habendum eſſe. Statuit enim Barclajus, etſi utilia eſſe poſſint, quæ de Chriſto revelata ſunt, vel etiam *per conſequentiam* iis, qui revelationes agnoſcunt, neceſſaria; abſolute tamen ſive *a priori* neceſſaria creditu minime eſſe, ne id quidem, ut credatur unum eſſe Deum & mundum creaſſe; unde ſequitur, omnes homines ex lumine rationis ſuæ, quod illi Chriſtum vocant, ſalvari. Concludit igitur,nihil abominabilius Quackerorum ſecta eſſe, aut ab ipſo Diabolo in perniciem Chriſtianiſſimi excogitari poſſe. Deum tamen precatur, ut quoniam de obſtinatis in errore ſuo nulla fere ſpes ſuperſit, ſimpliciores ſaltem ad agnoſcendum animæ periculum, & ad fidem in Chriſtum pro nobis mortuum, ut unicum ſalutis aſylum movere velit,

COVRS

i. e.

Syſtema generale Philoſophiæ ſecundum principia Carteſii: Autore Petro Sylvano Regis. Tomi III.

Amſtel. 1691. in 4.

DE primo Operis hujus Tomo in Actis proximi menſis *Martii pag. 135.* & ſeqq. diximus. Nunc reliquos duos perluſtrabimus. *SECUNDUM* incipit liber tertius Phyſicæ, quo poſtquam obvia paſſim quædam de rebus cœleſtibus Autor doctiſſimus tradidiſſet, tranſit libro 4. ad Terram, quam docet ob maſſam, quæ pro ratione voluminis minus materiæ propriæ, adeoque & minus motus habet, contrudi verſus centrum; & interiorem eſſe elementarem ac minus mutabilem, exteriorem vero facilius a ſubtili materia agitari. Ubi ex poris terræ interioris variis varia fluida deducit. Nam materiam ſubtilem in poris terræ quodammodo figi. Hos poros dividit in quatuor genera: eſſe enim undulatos, rectos (quorum ſuperficies cava vel polita ſit vel aſpera) ramoſos (ſeu ex pluribus communicantibus compoſitos) denique helicales. Materiam, quæ figitur in poris undulatis eſſe aquam, cujus proinde partes (eſſentiales, ut Autor vocat) aſſimilentur exiguis chordis ſeu funiculis. Exeuntem ex poro materiam in eo fixam ſtatim comprimi a ſecundo elemento, nec ita facile rurſus diſſipari. Fixam autem partem non aſſimilari toti poro (quippe nimis ſæpe longo) ſed parti ejus arctiori. In ramoſis poris fieri aërem; eſſe autem ejus ramos facile plicatiles ob tenuitatem, & ob interlabentem materiam ſubtilem: ſed & elaſticos eſſe, quia ſi flectantur rami, eorum pori ab una parte fiant juſto ampliores, ab altera juſto arctiores; unde quantum ab una parte intrat, ab altera non ita facile exit. Id non ita fieri in aqua, cujus & pori ſint ampliores, & ſpatium magis repletum. Ea occaſione explicat conſtructionem ſclopeti pneumatici. Materiam ramoſam, ſed magis craſſam, minusque ramoſam quam aër, conſtantem tamen ex partibus ſatis parvis, ut a materia ſubtili agitari poſſint, conſtituit oleum & ſulphura. In poris rectis *Autori* fiunt ſales, acres in poris intus aſperis, acidi in politis. Liquidum vocat, quod per ſe in omnes partes inteſtino motu cietur, (talis eſt materia ſubtilis;)

p. 135.

p. 126.

liquorem vero vocat corpus, quod ita movetur a liquido interfluente, ut aquam, oleum, aërem, & liquores compositos ex his pa-
p. 138. riter, & sale terraque admistis; ex quibus speciminis causa examinat
p. 140. vinum, & postea agit de æquilibrio liquorum. Si in vas plenum uno tubulo pollicari apertum embolum per tubulum adigas pondere libræ imposito, pars unaquæque vasis, quæ & ipsa sit latitudinis pollicaris, vim libræ patietur, & reliqua proportione magnitudinis (quod apparet, si in ea parte, quæ vim patitur, alium embolum fingamus, cum tali pondere expulsionem impediente.) Vide pag. 144. De liquorum motu, atque inde ducto ascensu liquorum in tubis arctis super libellam, *Autor* (post *Rohaltum* ejus observationis inventorem)
156. seqq. quædam habet non spernenda, quibus & filtrationes illustrantur. De metallis dubitat, an sint composita ex sulphuribus & salibus,
p. 184. an immediate ex materia subtili in terræ poris fixa: putat autem esse corpora dura, quorum partes integrantes sint longæ & ramosæ, & pro harum varia magnitudine aut subtilitate varia fieri metalla. At-
p. 196. que hinc utcunque deducere conatur singulorum metallorum proprietates. Hydrargyrum componit ex partibus integrantibus rotundis, politis, & perforatis magno numero pororum soli materiæ subtili perviorum, præter poros, quos ipsæ partes integrantes relinquunt inter se; esseque liquorem non pinguem, sed macrum, quia in guttas coit; humectare metalla potius quam vitrum & alia, quia ob partium figuras multus aër inter ipsum & id, quod tangit, interlabatur. Mineralium partes esse breviores & minus ramosas, quam metallorum. Dividit ea in sales compositos, sulphura composita, lapides. Sal commune constare ait ex partibus longis, rectis, cylindri-
p. 204. cis, acuminatis, rigidis. Et obiter narrat, quomodo accolæ ostii Rhodani aquam fluvii dulcem terris arenosis sale marino impregnatis immittentes, muriam inde obtineant aqua marina longe salsiorem, ac deinde (ut ad littora oceani) ope Solis & aëris evaporandam. Partes salis petræ magis conicas esse, cæteroqui partibus salis communis similes. Quod si corpuscula valde sint brevia & rami fragiles, putat *Autor* esse partes integrantes lapidum. Grana argillæ minora esse & arctius jungi, quam arenæ. Ex partibus fabuli ita conjunctis, ut pori maneant recti, fieri crystallum & adamantem; ex ipsis fabuli jam formati granis cœmentatis lapides arenosos (le Grez.)

Exigu-

Exiguos ramos partium lapidis calcarii esse magis acutos & secantes, quam partium lapidis, ex quo fit gypsum. Marmora fieri ex argilla cujus pori impleti sulphuribus. Deinde satis diffuse de Magnete (cujus materiam derivat ex poris helicalibus) tractat, omnia fere ad *Carteſii* mentem exponens (nisi quod mavult materiam magneticam in poris terræ formare, quam accersere ex vortice Solis.) Addit, si metallum frangas, superficiem abruptam magis dentatam videri, mineralis fracti magis planam, quod in corporibus flexibilioribus partes mutuo altera in alterius poros suis prominentiis ingrediantur. Agit deinde de qualitatibus durorum & mollium vel liquidorum communibus, ut calore, flamma, frigore, acido & alcali, aquis fortibus, fermentationibus, vitro ejusque lacrymis, & nonnullis Chymicorum observatis, quæ jam *Emericus* ex philosophia corpuscului utcunque explicare tentaverat. p. 220. ad 251. p. 253.

Libro quinto agit de Meteoris, et pag. 358. disputat contra *Perraltum* autorem libri de fontium origine, & *Mariottum*, ex solis fluviis aquas fontium deducentes. Putat enim, aquam pluviam non admodum in terram penetrare, & ex canales allegantibus quærit, quis eos viderit; non quæsiturus, si a metallorum fossoribus cognovisset, aquam pluviam intra paucos dies ad aliquot centenorum passuum profunditatem in terram penetrare. Nostro *Autori* credibilius videtur, fontes nasci ex aqua marina sub montium radicibus existente atque inde in vapores elevata. Et p. 385. disputat contra *Mariottum*, qui Tr. *de motu aquarum* (p. 50.) observasse sibi visus est, novam Lunam inclinare ad ventum septentrionalem, intra dies tres vel quatuor versus orientem, inde ad austrum, occidentemque deflexum, & cum nova Luna ad septentrionem reversum; dum scilicet Luna tendens ad apogeum, aërem nonnihil attrahat, inter tropicos, unde alius aër a partibus polaribus affluat; & hunc ventum orientali junctum, qui ex motu terræ oritur, efficere ventum inter orientalem & septentrionalem medium, in medio zonæ temperatæ septentrionalis. Deinde explicat & illustrat, quæ *Edmundus Hallejus* de causis motus ventorum dedit. De maris fluxu & refluxu agens, tradit ex observatis *Coubardi* Professoris Hydrographiæ Regii in oppido Brest, maximum fluxum fieri biduo aut triduo a plena vel nova Luna, & plerumque biduo, ni venti obstent. Idem p. 391. seq. p. 408.

in portu *S. Malo* obſervavit *Mauvaiſon* Mathematicus: idemque fere in aliis Oceani Europæi locis notari, Autor ait, ſed fluxum maximum
p. 449. magis eſſe tardum & magnum quo locus eſt ſeptentrionalior. Agit & de columnis, & cognata illis ſpecie nubium aquam elevantium, quas Galli Trombas vocant; & citat librum *anonymi* inſcriptum:
p. 451. *Conjectures phyſiques ſur quelques colomnes de nue*, quem ait exacte rem explicuiſſe, ex hiſtoria duorum ejusmodi meteororum, quorum unum viſum Remis Auguſto A. 1680, alterum in Provincia Brienſi Aug. A. 1687.

Libro ſexto tractatur de Plantis. Ex *Malpighii*, *Grewii*, aliorumque eruditorum noſtri temporis cogitationibus quædam generalia exhibet, ſed paucis; unde liber ſextus phyſicæ breviſſimus eſt, a pag. 467. usque ad 502. Septimus librorum agit de Animalibus. Rem Mechanicam animalium illuſtravere *Borellus* & *Perraltus*. De Anima beſtiarum ita judicat in præfat. lib. 7: ſi quis ſtatuat, eſſe in beſtiis animam a corpore diſtinctam & ſeparabilem, fatemur libenter, contrarium a nobis oſtendi non poſſe, quin potius conjecturas innumeras huic ſententiæ favere, quam nos maxime rationi con-
p. 632. ſentaneam judicaremus, niſi fides obſtare videretur. Statuit autem primam plantam, & prima cujusque ſpeciei animalium paria a DEO ipſo eſſe producta. In natura cerebri & nervorum explicanda, poſt *Williſium*, *Vieuſſenii* Neurologiæ autoris noviſſimi obſervatis cerebro utitur. Lienem ait melius noſci cœpiſſe poſt *Malpighii* obſervationes. Et p. 539. ait, ſe fibras cordis tanquam muſculi explicaturum, non tantum ex iis, quæ a *Stenonio* & *Lowero* publice, ſed & quæ ſibi ab egregiis Anatomicis ſint demonſtrata. Inprimis ex *Stenonio*, *Perralto*, *Borello* motum muſculorum illuſtrat; & ex *Swammerdammio* & *Baylio* reſpirationem. Et ex *Blancardo* (*Anatom. Ref.* p. 206.) obſervat, diaphragma eſſe muſculum duplicem. Opinionem noviſſimam circa generationem animalium (obſervationibus *Leewenhoekii* innixam, qui ſemina reperit plena
p. 642. animalculorum) judicat non ſpernendam, ac refert *Hartſoekerum* (Batavum) jam 17 aut 18 abhinc annis tale quid ſtatuiſſe, & ad *Malebranchium* perſcripſiſſe; quin & ſe vidiſſe tractatum manuſcriptum in eandem ſententiam ab *Hombergio* Germano (qui & laudatur Tom. 3. p. 292.) compoſitum, quo reddatur ita probabilis, ut

non

non nisi ob novitatem mira aut extraordinaria nobis amplius videri possit. Cæterum Germina inde ab initio Mundi formata cum quibusdam doctis viris arbitratur: adde Tomi tertii pag. 19, 20. & 27.

Liber VIII Physicæ incipit TOMUM TERTIUM, ubi agere se profitetur de Homine, multa tamen & reliquis animalibus communia tractat. In præfatione, eorum sententiam probat, qui putant Animam non producere motus corporis, sed tantum dirigere; neque illos quidem omnes, sed tantum liberos. Atque inter conditiones unionis animæ & corporis hanc quoque ponit, ut ex motu corpori conveniente sequatur in anima voluptas, ex contrario dolor; item, ut abundantia spirituum faciat in anima benignitatem, robur audaciam, celeritas diligentiam. De Febribus agens citat *Minoti* tractatum de natura & causis febrium, qui febrim definit fermentationem extraordinariam in sanguine excitatam, ob materiam admistam, in quam principia sanguinis activa, seu partes spirituosæ agunt, ut eam reliquis partibus assimilent. In Paroxysmo febris intermittentis durante frigore, juxta *Autorem*, sanguis in venis densior lentius fertur ad cor; densior autem sanguis fit ex acido extraneo sulphura illigante; sed nitrum aëreum respiratione attractum, sanguinem iterum rarefacit, & acida præcipitat; verum tunc exaltato fermento fortior est fermentatio, unde calor, quo durante sulphura præcipitantur, donec acidis per glandulas cutis excretorias expulsis, sulphura iterum massæ sanguineæ reddantur. Febrem continuam simplicem esse putat sine coagulatione; malignam cum coagulatione; pestilentialem cum dissolutione sulphurum. Nam & apud Chymicos pinguia acido mediocri figi, a nimio dissolvi. Agit quoque de sensibus, & p. 97. disputat contra singularem *Perrakti* opinionem de Tactu, qui putat animam particulis animatis ita peculiariter esse unitam, ut non ex partium, sed particularum discontinuatione dolorem sentiat. De Lumine tractans, notat falsum esse, quod vulgo jactant, ossa, cancros, ostrea pleniora esse plenilunio. Colores primarios seu radicales ita conatur explicare, ut color ruber oriatur, cum globuli luminis multo plus habent motus circularis quam recti; flavus, cum non adeo major est circularis recto; cœruleus, cum non adeo minor est circularis recto; violaceus denique, cum multo minor est circularis recto. Quia scilicet curvato radio exte-

p. 40.

p. 46.

p. 169.

p. 181.

exterior pars curvaturæ rubeo-flava; interior violaceo cœrulea est; viridis autem color ex flavo & cœruleo mistis nascitur. Statuit, sulphura crassa & spongiosa lente mota, magnasque adeo umbras admittas habentia, facere colorem rubeum; si minores sint umbræ, mediocrisque adeo illuminatio, oriri flavum, majore scilicet existente sulphurum motu. Hinc ferrum & vitrum summo calore candescere, mox flava, denique rubicunda fieri. Sulphura subtilia, licet spongiosa, tamen colorem cœruleum dare, ob debiles umbras exiguitatemque intervallorum, unde radii minus detorqueantur, adeoque plus motus circularis retineant. Hinc flammam spiritus vini, & superiora flammæ candelæ cœrulei esse coloris. Alumen putat admisceri a tinctoribus, quod vi sua corrosiva superficies panni alteriusve tingendi corporis magis disjungat, & transparentem, atque adeo coloribus aptam reddat. Cæterum, etsi *Carteſio* adeo visum fuerit, lumen in instanti transmitti, ut in *Epistolis* alicubi dixerit, contrario probato, Physicam suam eversum iri; *Autor* tamen no-
p. 171. ster fatetur, lumen exacte loquendo non esse plane instantaneum;
p. 158. hinc negat, quod *Carteſius* statuerat, lumen consistere in conatu globulorum recedendi a centro vorticis; nec aliam causam esse putat, quam quod in omni flamma partes terrestres in materia primi elementi natantes, impellant ambientes globulos elementi secundi.
p. 205. Examinat porro sententiam *Barrovii* de coloribus, ex *Diario Eruditorum Gallico 19. Novembris 1675*; & putat eadem posse explicare *Carteſianos* modo paulo ante dicto, qui videtur ex *Barrovio* sumtus. Supponit autem *Noſter*, non tantum lumen consistere in globulis, sed & colores consistere in rotatione horum globulorum. Licet vero hæc concederentur, non ostendit, quomodo umbræ faciant rotationem ad colores necessariam. *Barrovius* videtur rem ad observationes quasdam generales reducere voluisse, sine hypothesi parum stabilita. *Autor* p. 220. pugnat contra *Rohalti* opinionem de correspondentia filamentorum duorum nervorum opticorum, ad hoc, ut objectum appareat simplex. Et pag. 244. disputat contra sententiam *Malebranchii*, in libro *de Inquirenda Veritate*, cur Luna horizonti propior, etsi a nobis remotior sit, oculorum tamen judicio major appareat, cum tamen mensurata ejus diameter reperiatur minor,
p. 293. quam ubi magis elevata est. Centrum ovale facit organon immediatum

diatum imaginationis; nervos enim venire ex corporibus ſtriatis, quæ veniunt ex media regione centri ovalis; ſpiritus autem animales formari in ſubſtantia cerebri cinerea. Agit deinde de paſſionibus ſeu affectibus, ad *Carteſii* fere normam. Si dolor aliquis neceſſario ferendus ſit, ſuadet, ut cogitatione ipſi imaginationem aſſuefaciamus: ita in ipſo actu patiendi minus gravem eſſe futurum. p. 305.

Poſt phyſicam doctrinam de homine, ſequitur doctrina *MORALIS*, ea ſcilicet quæ hominem ſingularem regit: nam ſcientiam gubernandæ Reipublicæ *Autor* ait a ſe Politicis profeſſis relinqui. In præfatione ait, nuperos quosdam Autores (*Malebranchium* & ſequaces intelligit) pro Morali nobis Metaphyſicam dediſſe. Nam ad Metaphyſicam pertinere, quod ab iis aſſertum eſt, ſolum DEUM reddere homines felices; ſolum eſſe autorem voluptatis & doloris, animæque ſibi unitæ innumerabiles voluptates afferre; quicquid in ſe gerat imaginem Dei, id afferre voluptatem; animas creatas eſſe ad poſſidendum DEUM, aliaque id genus. Fieri enim poſſe putat *Autor* noſter, ut qui talia ſciat, ſua tamen officia ignoret. Videtur autem doctrina ejus moralis habere aliquid ex *Carteſii* & *Hobbeſii* placitis miſtum. Dividit Moralem in naturalem, civilem, & Chriſtianam. Libro igitur primo agens de Amore ſui ſeu philautia, notat, aliarum rerum amores eſſe tantum ſpecies quasdam proprii amoris, quatenus eæ nobis convenire videntur. Toties, inquit, nos male amamus, quoties nos amamus in rebus, quæ nobis non conveniunt. Itaque & DEUM fontem omnis boni recte amamus, cum amamus ut autorem verorum bonorum, quæ ratio talia eſſe cognovit: amore igitur electionis, non inſtinctus, amandus eſt DEUS. Ad DEUM ſic amandum excitamur, ſi cogitemus, nihil DEUM jubere, quod non ſit nobis optimum. Amorem autem DEI propter ſe, ſeu ſuper omnia, putat Autor eſſe rem divinam ex gratia particulari proficiſcentem, & propriam Chriſtianis. Videtur autem amoris vocabulum ſumere paulo generalius, ut ſit affectus, qui nos voluntate vel affectu jungat objecto, quod nobis videtur conveniens. Ponit legem naturæ *Hobbianam*, ut pacem quæramus, ubi licet; ſin minus, bello nos paremus. Atque ita juri omnium in omnia eſſe renunciandum, id eſt, unumquemque ſibi adimere jus alteri in certarum rerum uſu reſiſtendi. Cæterum, neminem obligatum eſſe ſtatuit ad patiendum mortem, aliosque p. 404, 405. p. 412. p. 414, 415.

ingentes dolores, atque ideo reos capitis jussu judicis ligari. Extorta etiam pacta notat servanda esse, ut si quid latroni promissum sit ad vitam redimendam. Sequuntur deinde virtutes & vitia, ex hoc principio pacis collecta. Ubi agit de nostris officiis respectu
p. 425. gloriæ DEI, inter alia putat, contra gloriam DEI esse, si quis dicat, DEUM in priore signo res cognoscere quam velle (in quo nescio an non plerosque habiturus sit dissentientes;) item DEUM nolle mon-
p. 432. stra, sed ex simplicitate legum naturæ ad ea ferenda obligari. Negat autem nos obligatos esse lege naturæ, aut consideratione divinæ gloriæ, ad multorum aliorum salutem nostræ vitæ jactura conservandam. Libro secundo *Autor* de societate civili agens, ex *Hobbii* doctrina tradit, omnes civitatis personas in unam personam civilem jus suum transferre. Tres autem esse formas Reipublicæ simplices, esse & formas ex his mistas. Personam hanc civilem habere absolutam potestatem, non quod ego tenear renunciare juri me defen-
p. 452. dendi, sed quod alii juri alios contra Rempublicam defendendi renunciaverint. Summam potestatem ait jus habere doctrinas stabiliendi, (sed non nisi circa res ad mores pertinentes) & in Rebuspublicis mere humanis præscribendi formam cultus divini. Notat autem, non posse Rectoribus limitatam potestatem concedi, quia qui satis virium habeat ad omnes protegendos, habiturus etiam sit satis ad opprimendam libertatem; itaque imperium absolutum esse malum necessarium, & minus nimia libertate. Privatos igitur respectu Principis vel Reipublicæ nil proprium habere. Inter diversas Respublicas jus gentium easdem servare regulas jubere, quæ locum habent inter privatos in statu naturali. Putat jure a nobis occidi animalia innocua,
p. 474. quia injustitia supponat pacta aut leges; quæ ratio forsan non erit ad
p. 470. omnium palatum. Collocat crimen læsæ Majestatis in declaratione subditi, qua Reipublicæ obedientiam neget, eaque ratione hostis fiat. Cæterum laudat Autorem *Tentamentorum Moralium*, qui vol. I. tract. 4. de mediis conservandæ pacis inter homines, multa præclara ab Autore hic prætermissa dixerit. Quæ deinde habet de prudentia civili & oeconomica, etsi multa egregia contineant, quia
p. 489. tamen pleraque apud alios recte tradita sunt, frustra indicarentur. Felicitatem collocat in satisfactione interna, quam animus recipit ex bono usu rerum, conservationi ipsius aptarum. Alia enim in

pote-

poteſtate non eſſe, adeoque nec laudem aut vituperium mereri. Sub finem oſtendit, quanto ſtatus civilis ſit melior naturali, in quo jus quidem omnibus in omnia ſit, ſed exitu careat. Libro tertio tractat de ſcientia morali Chriſtiana. Ubi agit de pacto DEI cum Abrahamo, renovato cum Moſe in monte Sinai, Exod. 19. pertinente primum ad Abramidas, deinde ad Iſraëlitas. Fuiſſe autem hujus divini juris interpretationem in manu Abrahami & Moſis; poſt mortem Moſis fuiſſe apud ſupremum Sacerdotem, poteſtate tantum temporali apud Joſuam exiſtente: in quo noſter ab *Hobbio* receſſit, ne quid juri Sacerdotum derogaret. Sub Eli Sacerdote ſummo, utramque poteſtatem fuiſſe unitam, ut & ſub Samuele donec Reges fuere conſtituti, ſalva poteſtate ſpirituali Sacerdotum. Prophetas interim Meſſiam venturum prædixiſſe. Is demum, inquit, natus novum DEI fœdus cum hominibus percuti fecit, cujus vetus non niſi figura erat, Hoc fœdus pertinet ad DEUM Abrahami, ſed ſecundum cultum a Chriſto præſcriptum. DEUS ita colentibus promittit veniam peccatorum, & regnum cœlorum. Chriſtum Autor ait præſcripſiſſe obedientiam & fidem: vocationem Chriſti non imponere legem, ſed incredulum jam judicatum eſſe; ſcilicet ex peccatis anterioribus contra naturæ leges. Oſtendit denique, virtutes Chriſtianas non differre a naturalibus, niſi intentione ſeu fine, qui non amplius eſt conſervatio temporalis, ſed gloria DEI, & ſalus æterna. Gloriam autem DEI intelligendam ſupranaturalem ex attributis revelatis. Poteſtatem temporalem ipſa Chriſti autoritate confirmari; ſpiritualem in Eccleſia, id eſt, Concilio Univerſali reſidere. Cæterum ſub finem Tomi primi *Autor* ſpecimen Dictionarii adjecit, quo complures Termini ordine Alphabetico breviter exponuntur. p. 539.

DISSERTATIONES DVÆ. I. DE PASCHALI Latinorum Cyclo annorum LXXXIV. II. De Cyclo Paſchali Ravennate annorum XCV: auctore F. Henrico Noris Veronenſi Auguſtiniano, Sereniſſimi Magni Ducis Etruriæ Coſmi III. Theologo, & in Piſana Academia Profeſſore.

Florentiæ, 1691. fol. plag. 18.

Cum eruditiſſimus Noriſius in Opere *de anno & epochis Syro-Macedonum*, Florentiæ A. C. 1689 edito, ſuoque merito a nobis in

Actis anni 1690 p. 425 laudato, Faſtos Conſulares anonymi, & ab eo conſervatum *Cyclum LXXXIV annorum* recenſens obſervaſſet, eundem Cyclum in ſex teſſaradecaëteridis diviſum a Latinis Patribus ad indicendas Neomenias Paſchales, quas ex ætate Lunæ ſingulis ineuntium annorum cycli Kalendis prænotata deducebant, acceptum fuiſſe; animum adjecit ad cycli hujus Eccleſiaſtici rationem peculiari diſſertatione declarandam. In hac ergo Clariſſimus Auctor erudite, ut ſolet, oſtendit, *cyclum* hunc *inventum*, vel reformatum ſaltem fuiſſe poſt Nicænam ſtatim ſynodum, antiquatum autem circa Leonis & Hilarii Pontificum tempora. Ipſum porro Cyclum Eccleſiaſticum, a Civili, qui Kalend. Januar. inchoabatur, diverſum habuiſſe *initium*, nempe 31 Martii; ſortitum quoque fuiſſe alium annorum *embolimæorum ordinem*: primum enim ejusdem annum fuiſſe embolimæum; ſex vero embolimæos, qui in Cycli civilis teſſaradecaëteride poſtrema collocantur, in Eccleſiaſtici ſtatim altera poſitos, primumque menſem, qui in anno civili plenus eſt, in eccleſiaſtico cavum fuiſſe. Quum vero, qui de Paſchate veterum Latinorum commentati ſunt, *Cyclum Lunarem*, neſcio quem, *Latinorum*, qui Cyclo Lunæ Alexandrinorum analogus ſit, allegare ſoleant, atque ex illo derivare controverſias, quæ poſt Concilium Nicænum Latinis cum Orientalibus interceſſerunt, Clariſſimus Noriſius luculenter probat, omnia *diſſidia*, quæ *de Paſchatis die* in veterum Patrum monumentis commemorantur, ex ætate Lunæ in Cyclo annorum LXXXIV prænotata fluxiſſe, dubiumque diem Paſchatis inter Latinos ac Orientales tunc fuiſſe redditum, cum in Cyclo anonymi Luna in Kal. Jan. numerabatur XXVI cum feria VI; item Luna XXVIII cum diverſis feriis concurrens; denique Luna XXX incidens prima anni die in Sabbatum vel Dominicam. Id autem ut demonſtret, breviter ex Victorio Aquitano Eccleſiæ Alexandrinæ & Latinæ Canones Paſchales refert, Claviumque confutat, qui contendit, in Eccleſia Latina Dominica XIV Lunam proxime ſequente Paſcha ſemper celebratum fuiſſe, cum tamen ex Victorio aliisque manifeſte conſtet, Latinos diu ſatis *Lunæ XV Paſcha nullum* egiſſe, quia abſurdum putabant, lætum ac feſtum diem reſurrectionis recolere ea Luna, qua Chriſtus crucifixus fuit ac ſepultus. Ex hisce ergo conficit, Latinorum Cyclum Lunarem commentitium eſſe, veteribus

ribusque ſcriptoribus plane ignotum, idque argumentis pluribus additis evincit. Tandem poſtquam de periodo Victorii, quæ omnem quidem de menſe Paſchali diſcordiam inter Alexandrinam Latinamque Eccleſiam extinxit, ſed veteres tamen de die Paſchali contentiones reliquit, atque hinc a Dionyſio Exiguo ad Alexandrinorum Canones traducta fuit) nec non de Liliana reformatione pauca tradidit, *vitium Cycli Anonymi*, quo ſcilicet Novilunia cœleſtia olim pluribus diebus morabatur, deinde vero eadem prævertebat, corrigit, veramque ætatem Lunæ in ſingulis Kalendis Januarii ex Aſtronomicis Tabulis mediorum motuum deſignat, media Novilunia menſis Decembris ab A. C. 294 ad exitum usque Cycli in tabulam conjiciendo. Veritatem autem ſui calculi comprobat, dum eum exigit ad aliquot Eclipſes a veteribus commemoratas. Additum eſt huic Diſſertationi *Diagramma Cycli Civilis & Eccleſiaſtici LXXXIV annorum* in ſex Teſſaradecaëterides diſtributi, cujus initiū cadit in annum Chriſti 298. Ex hoc unico ſtatim intuitu deprehenditur, quis anno Chriſti dato reſpondeat Cyclus Solis? quotus ſit annus datus in Cyclo LXXXIV annorum? quæ feria competat Kalendis Januarii? quænam ætas Lunæ ſit iisdem Kalendis? in quem diem incidat Neomenia Paſchalis? quis dies Paſchatis feſto ſacer? quænam ætas Lunæ in feſto Paſchali? quis anni civilis finis? quot dierum ſit annus Lunaris civilis? & tandem quot dies annus Eccleſiaſticus comprehendat?

Cæterum cum diſſertationem, cujus ſummam breviter jam recenſuimus, recens typis eductam Doctiſſimo Præſuli *Ciampino* miſiſſet Noriſius, ille huic auctor fuit, ut *Paſchalem Cyclum* in vetuſto marmore Ravennate ſcalptum, & in quo periodus continetur Dionyſiana, quæ veteri Latinorum Cyclo ſucceſſit, calenti adhuc a ſimili argumento ſtylo explicaret. Id quod feliciter etiam præſtitit in *Diſſertatione ſecunda*, licet tot undique difficultates in hoc argumento ipſum circumſtiterint, ut iisdem territus non ſemel hæſerit dubius, quinam viæ tutius inſiſteret, cum non ſecus ac in Labyrintho ſinuoſis circumquaque anfractibus implicaretur, parumque abeſſet, quin retro legens veſtigia vix inchoatum iter abſolveret. Cyclus autem Paſchalis ille, de quo ſermo eſt, Ravennæ extat in Camera Eccleſiæ metropolitanæ *Cartilogio* denominata, lapidi, cujus diameter palm. Rom. 4½, inſcriptus, illumque a P. Cæſare *Pronti* Auguſti-

niano lineis ac versibus ad prototypum circumductis exscriptum exhibet Auctor dissertationis. Comparent in eo quinque enneadecaëterides in gyrum sigillatim circumductæ, ex quibus LXXXXV annorum Cyclus conflatur, inchoatus quippe ab A. C. 532, desinens vero anno 626. In totius rotæ circumferentia anni Cycli Lunaris eminent, hos sequuntur proxime anni Cycli Paschalis, ad quos in prima enneadecaëteride notati sunt dies, quibus in omnibus quinque Cyclis Lunæ XIVtæ Paschales contingunt, quæ eodem tenore per novendecim cyclorum quinque annos invariatæ recurrunt. Succedunt dies Paschatis, variæque in illis Lunæ ætates. Ultimus tandem gyrus annorum communium & intercalarium ordinem in Cyclo novemdecennali designat. Numerus autem VI ob latercuti anguſtias non binis numeralibus Romanorum notis, sed frequenter characte-re Ꞓ inferius tamen sinuato exprimitur, eo modo, quo numerus 6 in numo, quem in libro de Epochis Syriæ Clarissimus Auctor pag. 144 produxit. Hic ergo Cyclus vere Dionysianus ut explicetur, *capite primo* Doctissimus Norisius rem ipsam ab ovo, quod ajunt, repetens sequentia proponit: Quamvis Nicæna Synodus diuturnis de Paschali festo rite celebrando controversiis finem imposuisse visa fuerit, cum Dominicæ Resurrectionis solennia post Lunam XIV die Dominico, qui tum eandem, tum etiam Æquinoctium XII Kal. Apr. affixum proxime consequeretur, instauranda decrevisset, ejusdem etiam solemnitatis quotannis indicendæ cura Alexandrino Patriarchæ commissa, quod Ægyptii rerum Astronomicarum peritia cæteros antecellere dicerentur; graves tamen etiam post illud decretum contentiones inter Orientis ac Occidentis ecclesias erupisse. Latinos enim vetustos in celebrando Paschate ritus, quibuscum Alexandrinorum canones pugnabant, deserere recusasse, ac cum Cyclo annorum 84 uterentur, quo non modo Lunationes, verum etiam ferias perpetuo in orbem duci arbitrabantur, Alexandrinorum enneadecaëteridem recipere renuisse, quod hæc feriarum apocatastasin neutiquam in sui repetitione reddebat. His ergo motum *S. Cyrillum* Alexandrinum, quo jactatam Latinis sui ipsorum Cycli in feriis restituendis excellentiam ad enneadecaëteridem transferret, *Cyclum annorum XCV* excogitasse, qui ab A. C. 437 ad 531 quinque enneadecaëteridas continens non solum feriarum apocatastasin, sed Lunationes quoque eodem

eodem quo prius ordine reſtitueret. *Victorium* deinde *Aquitanum*, *Cyclum annorum DXXXII*, ut Neomeniæ rectius indicarentur, ad Latinorum Canones partim deflexum contexuiſſe, nec ſuſtuliſſe tamen contreverſias omnes Paſchales. Tandem vero *Dionyſium Abbatem*, cognomento *exiguum*, Græcis Latinisque literis excultum, a Petronio epiſcopo rogatum, *Cyclum Paſchalem annorum XCV* concinnaſſe Cyrilliano ſuccedaneum, initium quippe capientem ab A. C. 532, cum anno ſuperiori ille exitum habuiſſet. Quia autem plerique Scriptores, in quibus etiam eſt doctiſſimus Auctoris Amicus, *Antonius Pagius*, in Diſſertatione de Periodo Græco-Romana Animadverſionibus in Baronii Annales præfixa, Dionyſio tribuunt Cyclum DXXXII annorum, negatur hoc ipſum cum Petavio, & ex *Ceolfridi* Abbatis *Bedaque* teſtimoniis contra ſecus ſentientes diſputatur, Bedæque tribuitur, quod ab A. C. 532 ad 1063 Cyclum digeſſerit, qui tamen in alienum plane locum operum ipſius fuerit rejectus. Sed cum mirum videri poſſit, cur Dionyſius Cyclo Victorii repudiato, Syſtema 95 annorum conſcripſerit, in quo ob intercurrentes biſſextos dies Paſcha varia ratione occurrit, cum tamen facili negotio Victorii Periodum ad Alexandrinorum Canones, quos ſecutus eſt, redigere potuiſſet; Auctor noſter cenſet, Dionyſio, cum ſibi propoſuiſſet Paſchalem Eccleſiæ Alexandrinæ Methodum in Eccleſiam Romanam invehere, conſultum viſum fuiſſe, Cyrillianum Cyclum, qui hactenus in Ægypto ob Auctoris famam ſumma religione ſervatus fuerat, ad Latinos traducere, quibusdam regulis ſuperadditis, quibus ejusdem Cycli defectus impediretur: reſpondetque ad illa, quæ ex Georgio Syncello de *Aniano*, Cycli 532 annorum apud Ægyptios auctore, objici poſſent. In *capite ſecundo* de *defectibus hujus Cycli* agitur, quorum unus ex Lunari anticipatione ortus veteribusque ignoratus Cyclis fere omnibus communis eſt, alter vero enneacontapentaëteridi proprius, quod ſcilicet exactam feriarum apocataſtaſin non continet; unde & Scaligero Cyrilliana Methodus non vitioſa ſolum ſed & ridicula dicta fuit. Hunc tamen defectum non Dionyſio ſolum, ſed Cyrillo quoque perſpectum fuiſſe, imo utrumque medelam eidem adhibuiſſe probatur. Quamvis autem Dionyſianus Cyclus propoſitus publice, & a multis Eccleſiis admiſſus fuerit, non defuiſſe tamen in Italia, Gallia & Hibernia, qui eidem Victorianam periodum prætulerint, ex variis antiquis Auctoribus *capite tertio* erudite demonſtratur. Quibus ita propoſitis, ad partes Cycli Ravennatis ſigillatim explicandas Clariſſimus Auctor deſcendit in *capite quarto*, primumque de *Cyclo Lunari* (cujus primus annus cum quarto decemnovennali componitur) ejusque differentia a decemnovennali ſtricte ſic dicto agens, Scaligeri lapſum in hoc argumento acriter reprehendit. Erudite porro probat, Cyclum illum Lunarem methodi gratia ab illis ipſis, qui decemnovennali utebantur, inventum fuiſſe ad prodendam Lunæ ætatem in Kalendis præcipue Januariis, eum hoc, niſi per longiores ambages, ex alterius Cycli decemnovennalis tenore conſequi non poſſent; nequaquam vero originem ſuam

debere

debere Julio Cæſari, ſed *Cyclum Lunarem & Kalendarium Julianum*, quæ *Gauricus* (forſan alieno dolo deceptus) tanquam ex marmoreis tabulis Capitolinis exſcripta venditarit, meram eſſe impoſturam. In *capite quinto*, quod *Cycli decemnovennalis Paſchalis* expoſitionem continet, notatur, methodum colligendi initii anni Paſchalis a Luna XV, ac ejusdem finem ſtatuendi in Luna XIV, qua uſus Dionyſius, a nemine unquam fuiſſe uſurpatam, cum tot tamen gentes annos Lunares habuerint. Et quia in anno Cyclum decemnovennalem inchoante conſtituendo, nec Dionyſius, nec Beda ſibi conſtare videntur, ſed modo aureo numero XIX, modo I, facere initium enneadecaeteridis, ſententia illorum explicatur, & contra Petavium defenditur; Clavius vero, qui veteres Cyclum ab aureo numero III cœpiſſe ſcribit, refellitur. Tandem cum S. Cyrillus annis ſui Cycli epocham ab imperio Diocletiani addiderit, Dionyſius autem Tyranni memoriam nomenque perоſus, notam chronologicam conditi abs ſe parilis Cycli ab æra *Incarnationis Dominicæ* nova methodo deſumſerit, Epocha quoque illa explicatur, oſtendendo Dionyſium æram ſuam ab incarnatione ſeu conceptione Verbi divini, quæ contigerit anno U. C. 754 Per. Jul. 4714 d. 25 Martii deduxiſſe, cum vulgaris noſtra Epocha poſt Chriſtum A. U. C. 753. Per. Jul. 4713 d. 25. Decemb. natum, ſeptem diebus omiſſis a Kalendis Januarii A. Per. Jul. 4714 initium ceperit, ita ut natalis Chriſti ſecundum Dionyſium fuerit d. 25 Decembris primo anno æræ vulgaris exeunte. Refertur quoque, Epocham incarnationis ad elapſum usque proximum ſeculum Galliam retinuiſſe, & hodie Florentinos quoque, tradito a majoribus ritu, eadem in publicis tabulis uti, ac pro anno a nato Chriſto 1691, numerare annum 1690 ab incarnatione Domini. Verum quia *Epocham vulgarem* Petavius, Langius, Ricciolius aliique ad Bedam auctorem referunt, quaſi illam ex hallucinatione quadā pro Dionyſiana poſteris venditarit, contra accuſationem illam Venerabilis Præſul defenditur, & ſecus ſentientes variorum errorum rei perſeguntur. *Caput ſextum, ſaltum Lunæ* eodem die in Cyclo Dionyſiano & Alexandrino committi docet, eumq; inſeri a Dionyſio primo Cycli anno, quo deinceps factum, ut inchoarit annum primum, non ut alios, a XV ſed XIV Lunæ, quæ tamen ad præcedentem annum pertinet, ne unus primo anno dies deeſſe videretur. Id vero cum jam *Brideferto* Bedæ Scholiaſtæ incommodum viſum fuerit, Bedaque in Cycli finem illum ſaltum rejiciendum arbitretur, in hujus ſententiam concedit Noriſius, Petaviumque verba Dionyſii ac Bedæ non recte explicantem aliquoties refellit. *Ultimum* tandem *caput* in *annorum embolimæorum* enneadecaeteridis *Diſpoſitione* declaranda verſatur, liquidoq; oſtendit, octavum annum apud veteres embolimæum fuiſſe, ſecus ac Clavius contendit. Deinde progreſſionem embolimæorum annorum, quæ perplexa admodum eſt in Cyclo Dionyſiano & Ravennate, exponit, ſimulq; docet, Bedam alia ratione menſes intercalares diſpoſuiſſe, nec rejeciſſe ad finem anni Lunaris, ſed duobus tantum exceptis, cæteros per varios anni menſes digeſſiſſe, quo factum, ut aurei numeri II & XIII in diem 2 Decembris perperam fuerint conſtipati, qui tamen error in veteri Kalendario deinceps fuit emendatus.

(o)

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Maji Anno M DC XCII.

חכמת שלמה
SAPIENTIA SALOMONIS.

Amstelodami, imprimebat Josephus Atias, A. 451. h. e. Christi 1691. in 4. plag. 34.

AUtor est *R. Salomo Loria*, Judæus Austriacus, qui *R. Davidi Gansio* (in *Zemach David*) *lumen magnum, corona Israelis, miraculum temporis* salutatur, atque anno 5333. h. e. Christi 1573. mortuus fuisse dicitur; unde facile cognoscas, sphalma irrepsisse typographicum in *bibliothecam Rabbinicam* clarissimi philologi *Joh. Buxtorfii*, patris, p. 316. edit. Basil. 1640. cum ibi *ante 400. annos floruisse* feratur. Continet autem hoc criticum opus, minuto charactere quadrato ac perquam nitido recusum, *varias lectiones* tum quoad *textum* Gemaræ, tum quoad *Raschi* commentatorem itemque תוספות *Additiones Talmudicas*, sed non nisi in Massichthoth sequentibus, ac hoc omnino ordine collocatis: *Berachoth, Schabbath, Pesachim, Beza, Jebhamoth, Kethubboth, Gittin, Kidduschin, Sota, Succa, Sanhedrin, Schebhuoth, Maccoth, Babha Kama, Babha Mezia, Babha Bathra, Nidda, Cholin, Erubbin.* Librum jam olim Craco-viæ a. שלהה 341. Christi 1581. editum fuisse, ex *Siphthé Jeschenim* R. Schabbetai Strimeri compertum habemus. Omnis ejus utilitas huc fere recidit, quod germana & antiqua lectio tractatus alicujus Talmudis Babylonici ad fidem optimorum MSCtorum recensita hinc hauriri queat. Quandoque tamen de sensu etiam ac justa interpretatione difficiliorum locorum solicitus est Noster, & ex margine codicum suorum affert figuras ligno insculptas, quæ tractati-

bus non unis, præsertim *Sthabbath*, *Succa*, *Babha Bathra* & *Erubhin* non temnendam lucem fœnerantur.

IN LACTANTIUM DE MORTIBUS Persecutorum notæ Nicolai Toinardi Aurel.

Pariſ. apud Arnulphum Seneuze 1690. in 8. plag. 9½.

Aureum Lactantii libellum de mortibus perſecutorum e tenebris, quibus per multa ſecula hactenus immerſus fuerat, primus eruit, notis ſuis illuſtravit, & in Miſcellaneis ſuis Lutetiæ Pariſiorum A. C. 1679 publicavit celeberrimus *Baluzius*. Vix in Gallia vulgatum avide exceperunt Angli, & anno ſtatim proximo 1680 novis ſcholiis ornatum Oxonii imprimi curarunt. Secuta eſt A. 1684 in Finlandia editio Aboenſis cum notis *Johannis Columbi*, quibus etiam *Giuberti Cuperi* obſervationes intermixtæ ſunt. Eodem anno Oxonii, & Cantabrigiæ A. 1685, cum cæteris Lactantii operibus opuſculum illud prodiit. In utraque editione, quarum prior *Thomam Sparkium* autorem agnoſcit, novæ annotationes ad hunc Lactantii libellum acceſſerunt. Neque tamen Baluzius & cæteri, qui in hunc libellum commentati ſunt, ita omnia exhauſerunt, quin *Nicolao Toinardo* ſpicilegium aliquod relinquerent, e cujus obſervationibus præcipuas impræſentiarum referemus.

Dixit Lactantius libr. 4. Inſtit. c. 10. Judæos anno quinto decimo Tiberii Cæſaris duobus Geminis Conſulibus *ante* diem decimum Calendarum Aprilis Chriſtum cruci affixiſſe. Contra in libro de mortibus perſecutorum c. 2. ait, Chriſtum a Judæis cruciatum ſeu cruci affixum extremis temporibus Tiberii Cæſaris *poſt* diem decimum Calendarum Aprilis, duobus Geminis Conſulibus. Duo hæc Lactantii loca ſibi contraria non eſſe ſtatuerat Baluzius, cum ex l. anniculus 132. Dig. de verb. ſignif. Pauli JCti autoritate probari poſſe videatur, perinde eſſe, ſive quis dicat, ante diem decimum Calendarum, ſive poſt diem decimum Calendarum. Verum Toinardus accedit ad ſententiam *Henrici Norisii*, qui in illuſtri opere Cenotaphiorum

rum Pisanorum Pauli verba aliter interpretatus est. In eo tamen Norisio non suffragatur, quod dicit, Lactantium, cum designaturus esset tempus diei, qua Dominus passus est, videlicet d. 23. Martii, scripsisse juxta stylum Astronomorum, qui diem a meridie præcedentis ad meridiem insequentis diei numerare soleant, unde ipsis dies 23. Martii post meridiem dicatur post diem decimum Calendas Aprilis. Nihil enim Lactantio in re minime Astronomica cum Astronomis fuisse censet, neque Lactantium præcise diei partem, qua Dominus crucem subiit, sed ipsum tantum diem indicare voluisse. Planissimam ergo viam duo illa apud Lactantium loca conciliandi hanc esse arbitratur, si posterior, quem librariorum vitio corruptum esse non dubitat, ex priori corrigatur. In Columbi ad eundem Lactantii locum observationibus notat, cum verba Marci IX, 2. μεθ' ἡμέρας ἓξ perperam de sexto die inchoato interpretari, cum Lucas in loco parallelo ὡσεὶ ἡμέρας ὄκτω numeret, adeoque Marci verba de die sexto non inchoato sed exacto explicanda esse innuat. In ipso Lactantio animadvertit, quod in chronologiam non leviter impegerit, cum Christum duobus Geminis Consulibus cruciatum scribit, quorum consulatus anno vulgaris æræ 29, & quoad priores menses usque ad 19. Augusti imperii Tiberiani anno quinto & decimo respondet. Cum enim Lucas c. III, 1. Johannem Baptistam decimo quinto Tiberii anno publicum suum ministerium inchoasse dicat, statuendum fuerit, si Lactantii calculus admittatur, intra paucos menses omnia peracta a Christo fuisse, quæ ab ipsius baptismo ad mortem usque referuntur. Profert hæc imprimis in gratiam *Harduini*, qui in Antirrhetico suo arbitratur, Christum passum anno 29. æræ vulgaris, cum Patres id sub Consulatu duorum Geminorum factum dicant, & præterea Judæorum ritus & Astronomicæ tabulæ in illum annum consentiant; cui respondet Toinardus, se neque Judaicorum rituum, neque Astronomicarum tabularum rudem non videre, qua ratione characteres diei passionis Dominicæ convenientes applicari ad annum vulgaris æræ 29. queant; Patres autem quanto magis ob vetustatem prædicentur, tanto minus fidei in rebus chronologicis mereri, cum Christum crucifixum docere contenti, rerum gestarum ordinem & temporum articulos tam accurate non attenderint.

Ad verba Lactantii Petrum sub Nerone Romam advenisse dicen-

tis notat, ex Henschenii, Papebrochii & Pagii sententia 3. Cal. Jul. Coss. Nerva Siliano, & Vestino Attico, i. e. A.C. 65. Petri martyrium contigisse, idque dubio procul veritati magis congruere, quam quod in fastis Idatianis asseritur, nempe Petrum & Paulum Nerone III. & Messala Coss. h. e. A.C. 58. passos fuisse, cum tamen ex Tacito constet, ante annum Christi 64, quo Lecanius Bassus & Licinius Crassus consulatum gesserunt, Neronem in Christianos sævire non cœpisse. Si ergo juxta Lactantii sententiam Petrus non ante, quam cum Nero imperaret, Romam venit, & juxta indiculum depositionis Martyrii a Bucherio editum 8. Cal. Mart. seu d. 22. Februarii Romanam cathedram fundavit, Petrus non amplius quam 10. annos, menses 4. & dies octo a constituta Romæ cathedra vivere potuit, siquidem Nero anno Christi 54. d. 13. Octobris imperare cœpit. Notat præterea Toinardus constare, annum Christi 43. Claudii 3. extitisse, cum Petrus per Angelum carcere eductus est, quod se in tractatu de Numismatis Herodiadum ex nummis ostensurum pollicetur. Quo posito Petrus 25. annis ante suum obitum cathedram Romæ constituere non potuit, nisi dicatur, quod biennio ad minimum, priusquam ab Agrippa in vincula mitteretur, Romam excurrerit, indeque in Judæam reversus fuerit. Sin ista excursio parum probetur, nec cum serie rerum in Actis Apostolicis consignatarum cohæreat, tum primus Petri in urbem adventus, Toinardo judice, non ante annum Christi 44. fieri potuit, a quo tempore usque ad ejus obitum non plures quam 21. anni numerantur.

Domitiani persecutionem A. C. 93. cœpisse existimat Pagius, idque probat ex Taciti loco, qui Agricolam (A. C. 93. d. 23. Aug. mortuum) felicem prædicat, quod evaserit postremum illud tempus, quo Domitianus non per intervalla & spiramenta temporum, sed continuo & velut uno ictu rempublicam exhausit. Henricus Dodvvellus in dissertatione de paucitate Martyrum, ut hanc persecutionem brevissimam fuisse probet, ex Brutii verbis apud Eusebium libr. 3. c. 18. contendit, non nisi anno Christi 95. ecclesiam a Domitiano vexatam fuisse. Verum Pagio Toinardus respondet, ex Taciti verbis id tantum colligi posse, quod Agricola ante vivis excesserit, quam Domitianus uno quasi ictu rempublicam exhauriret, neque ex eo sequi, quod Domitianus eodem anno, quo Agricola mortuus est, Christianos vexare

xare cœperit, cum præsertim respublica primum, ac deinde demum ecclesia male ab eo habita fuerit. Neque tamen in Dodvvelli sententiam concedit, cum ex Brutii verbis nihil aliud deduci possit, quam anno 95. persecutionem Domitiani maxime efferbuisse. Mediam ergo viam eligit, & statuit, Domitianeam persecutionem cœpisse mense Februario anni 94. Antequam autem hanc dissertationem aggrediatur, notat Chronicon Paschale initium Domitianeæ persecutionis annectere anno Ch. 92, non 93, ut putavit Pagius, quem & in eo hallucinatum scribit, quod chronici hujus autorem in consignandis olympiadibus Eusebianam rationem sequi sive uno anno eas antevertere asserat, licet revera duobus annis ab autore chronici antevertantur.

In historia Decianæ persecutionis notat Toinardus, Decios imperasse ab illo temporis spacio, quod est inter 17. Jun. & 19. Oct. anni 249, usque ad finem Novembr. anni 251, & Chronici Paschalis autorem Decii imperium intra unius anni spacium perperam definire. Adducit ex eodem chronico locum de martyrio Pionii, quem in mendo cubare suspicatus est. Ac primum quidem pro δ' εἰδῶν Μαρτίων seu 4. Id. Mart. putaverat reponi debere 4. idus Julias. Dicit enim Autor chronici, Pionium passum 4. Id. Martii, quod est secundum Asianos mense 6. die 12. sabbati hora decima. Atqui neque anno 251, ad quem Pionii martyrium in illo chronico refertur, neque per totum Decii imperium ullum Sabbatum, quod sit mensis dies 12, cum aliquo die quarto Iduum connectitur. Deinde pro μηνὶ ἕκτῳ seu mense sexto legendum putaverat: μηνὶ αὐτῷ mense ipso sive eodem. Postea tamen mutatio Martii in Julium audacior visa est. Censuit itaque vere ab Autore chronici Paschalis scriptum fuisse ante IV. Idus Martias, sed Martium ibi intelligendum esse Xanthicum, qui in Asianorum Proconsularium anno solari sextus est, ducta dinumeratione a mense Dio, qui init d. 24. Sept. quemadmodum Xanthicus d. 22. Februarii. In hac sententia confirmatus fuit, cum crederet, Pionium anno 250. passum fuisse, quod in actis ejus secundus Decii consulatus indicat. Statuit autem cum in actis Pionii, tum in chronico Paschali vocabulum sabbati in die martyrii Pioniani perperam additum fuisse a quodam sciolo, qui cum nosset, Pionium in carcerem missum fuisse die sabbati & quidem magni, diem quo Pio-

nius in carcerem missus est, cum die passionis nullo discrimine habito confudit. Cæterum unde sabbatum illud, quod erat d. 23. Februarii Juliani anno 166. quo Polycarpus passus est, & anno 250. quo Pionius comprehensus est, in utriusque actis magnum appellet-tur, nescire se dicit, an quisquam hactenus assecutus fuerit, & sibimet ipsi quoque, an assecutus fuerit, diffidit. Suspicatur tamen, sabbatum magnum ab Asianis Proconsularibus vocatum fuisse, quod primam Quadragesimæ Dominicam præcesit, quemadmodum Judæi sabbatum Paschati imminens magnum appellarunt, cum Asiani Quartadecimani fuerint, & in rebus ad Pascha spectantibus multa cum Judæis communia habuerint. Nec obstare dicit, quod Asiani cum Quartadecimanis pascha decima quarta Luna celebraverint (quod anno 166. & 250. d. 2. Aprilis feria 3. factum est) cum Quartadecimanis idem ac cæteris Christianis Quadragesimæ initium fuerit. Obiter emendat Josephum lib. V. de bell. Jud. c. 25. p. 888. ed. Gr. Lat. D. ubi pro τετάρτη δύσεως μηνὸς, legendum monet, δευτέρας μηνὸς. Monet etiam Juris studiosos & alios Codicis Justinianei lectores, unius anni anachronismo peccari usque ad Diocletiani tempora in numeris æræ Christianæ, qui legibus illis appositi sunt, e. g. quando legibus, quæ Coss. Æmiliano & Aquilino latæ sunt, annus 250. pro 249. subjicitur. Quem errorem ab Onuphrio Panvinio ejusque Fastos sequentibus commissum in Annalibus suis Baronius auxit, cum is duorum annorum anachronismo peccaverit, ad quem lapidem in hodierna chronologiæ luce etiam annalium Francorum scriptorem Cointeum impegisse, miratur Toinardus. Idem observat, nuperum Chronici Paschalis editorem Dn. du Cange diffusissimæ quidem lectionis virum, sed chronologiæ minus peritum fuisse, indeque temporis notas Chronico huic additas, in quibus Ducangius aliena opera usus est, magna sæpe confusione laborare. Antequam ad alia progrediamur, notamus & hoc, Cl. Autorem, cum hæc de Polycarpi & Pionii martyrio scripsisset, in monito ad lectorem, quod epistolæ dedicatoriæ præmisit, profiteri, quod probabile sibi videatur, ipso magno sabbato Judaico, quod decimam quartam Lunam Paschalem proxime præcedit, Polycarpi martyrium contigisse d. 26. Mart. A. C. 147. Pionium autem comprehensum fuisse sabbato quoque magno d. 22 Mart. A. C. 251, & martyrio affectum d. 12. septimi Asianorum mensis seu d. 5. Aprilis,

lis', quam ſententiam tueri cupientibus conſulatuum, utpote actis Proconſularibus perperam adjectorum, nullam rationem habendam eſſe docet.

Cum Lactantius c. 11. Apollinis Mileſii meminerit, notat Toinardus, Apollinis apud Mileſios cultum pluribus nummis confirmari, e quibus produxit e gaza Regia numiſma æreum Julii Veri Maximini Imperatoris capite radiato, cum hac inſcriptione: AT. K. I. OTHPOC MAΞIMINOC. i. e. Imperator Cæſar Julius Verus Maximinus; item: AMICOT EAETΘEPAC ET. CEH. i. e. Amiſi liberæ anno 268. Comparet in eodem nummo Apollo ſedens, dextra lyram tenens; Serapis ſtans, dextra ſpicas, ſiniſtra lanceam; infra inter utramque figuram globus; in imo: AMICHNΩN MIAHCIΩN. Nummi hujus occaſione de duplici Amiſenorum æra diſſerit, quarum prima incipit ab anno Periodi Julianæ 4667. U. C. 707. ante Chriſtum 47, cum Julius Cæſar Amiſenos libertate remuneratus eſt, quod Pharnaces Mithridatis filius parricida virilitatem illis ademiſſet, ut præter allos teſtatur Dio; apud quem, ubi de Pharnace agit, pro ἀπέκτεινε legendum eſt ἀπέστειλε exſecuit, quod hactenus in Dione nondum emaculatum Toinardus miratur. Altera autem Amiſenorum æra ducitur ab anno periodi Julianæ 4683. U. C. 723. quando Amiſeni necato vel expulſo Stratone Tyranno libertatem ſibi armis quæſiverunt. Utramque æram nummis quibusdam illuſtrat. Tertiam autem Amiſenorum æram, quam Pagius in addendis ad Criticam Baronianam ex nummo quodam Ælii Cæſaris adſtruit, quem e gaza Regia a Toinardo ſibi transmiſſum laudat, Toinardus falſi arguit. Non diſſimulat quidem, ſe ad Pagium, quæ in Criticæ Baronianæ appendice memorantur, ſcripſiſſe; verum addit, ſe per literas Amici dolo non malo deceptum fuiſſe, cum neque ad gazam Regiam, neque ad Ælium Cæſarem numiſma illud pertineat. Animadvertit & Holſtenii errorem, qui in notis ad Stephanum de Urbibus voce Ἀμισός Caracallæ nummum refert, Amiſi cuſum, in quo ait eſſe literas C N E, cum tamen numeri iſti neutri Amiſenorum æræ conveniant, & legi debeat C M E, ſeu 245.

In notis ad caput 15. Euſebii locum ex libr. 8. hiſt. eccl. c. 1. adducit, eumque neque a Chriſtophorſono, neque a Valeſio recte intellectum atque redditum oſtendit. In capite 17. Lactantii, pro ripa Stri-

Strigæ reponi cupit ripam Istricam seu Danubianam. Neque enim acquiescit in *Henrici Dodwelli* conjectura, quam in Actis nostris A. 1685. mens. Jun. p. 266. recensuimus. Quale autem illud Diocletiani iter a Lactantio descriptum fuerit, ex Itinerario Antonini explicandum censet Toinardus, cujus rei gratia integrum illum locum de duplici itinere a Viminacio ad Nicomediam ex Antonini Itinerario describit, & concludit circuitum ripæ Strigæ, per quem Diocletianus Ravenna Nicomediam venit, nihil aliud esse quam varios flexus Istri seu Danubii inferioris. Et hanc palmariam observationem acceptam refert illustrissimo cuidam Abbati, in quo præter stupendam eruditionem eam esse modestiam dicit, ut nomen suum celari velit. Intelligit forte Abbatem Ludovicum du Four, a quo se plura edoctum infra profitetur.

Caput 18. Lactantii, ut eo melius intelligatur, integrum exhibet, & non modo versiculis, verum etiam nominum Diocletiani & Galerii Maximiani adjectione distinguit, & præterea utriusque verba, ut a Lactantii verbis distinguantur, charactere Italico exprimit. In notis ad illud caput inter alia falsum esse dicit, quod Nerva imperium Trajano vivus tradiderit, etsi post *Dodwellum* in appendice ad dissertationes Cyprianicas ita sentiat *Gul. Loydius* Asaphiensis Episcopus in Nervæ & Trajani canone, quem Toinardus curiose apud se servari scribit, dum in opere chronologico, quod a prædicto Episcopo paratur, prodeat. Notat etiam Dazam a Galerio Maximiano adoptatum, non Maximinum sed de pleno ipsius nomine Maximianum fuisse appellatum, quod nomen etiam in duabus thermarum Diocletiani inscriptionibus apud Gruterum, & passim apud Græcos scriptores ei tribuitur, unde suspicioni locus relinquitur, quoniam jam duo essent Maximiani Herculius & Galerius, discriminis ergo Dazam non Maximianum sed Maximinum dici cœpisse.

Ad caput 24. observat, Constantinum statim Augustum egisse, cum nunquam antea Cæsar fuisset. Quod autem varia numismata aurea, argentea, ærea Constantinum Cæsarem appellant, id vel Constantini modestiæ tribuendum putat, vel potius invidiæ Maximiani, qui tot numismata per imperium spargi curaverit, ut Constantino Augusti nuncupatio detraheretur. Nec aliter statuit de num-

nummo Constantini M. qui apud Mediobarbum p. 459. exhibetur cum epigraphe: *Constantinus Filius Augg.* Hoc enim numisma, si genuinum est, dedita opera & jussu Maximini in ejus partibus alicubi cusum arbitratur, ut numismatum ope sanctio illa vulgaretur, qua Maximinus Constantinum non nisi Filium Augusti haberi voluerat, cujus tituli vel nulla vel exigua erat in Imperio potestas.

In notis ad cap. 32. observat, per Campi Martii celebrationem Lactantium militarium copiarum recensionem intelligere, & ex Gregorio Turonensi probat, Romanorum imitatione etiam Francos Campum Martium celebrasse. In notis ad caput 39. multa ad chronologiam L. Veri spectantia congerit, quem 9. annos imperasse variis argumentis probat. Etsi enim a Julio Capitolino undecim anni ipsi tribuantur, errorem tamen illum natum suspicatur ex literis numeralibus IX, quæ librariorum vitio transpositæ undecimum numerum constituunt. Similem errorem in numeris Græcis apud Cedrenum animadvertit. Qua occasione etiam corrigit locum apud Josephum libr. 17. Antiqu. c. 10. ubi pro stadiis octo reponi debere stadia ducenta, manifestum est ex libr. 1. de bell. Jud. c. 21. Quamobrem non dubitat, in Antiquitatibus pro nota numeri ducentesimi σ′, notam octonarii η irrepsisse. In notis ad cap. 48. observat, per titulum primi nominis, quem Senatus juxta Lactantium Constantino decrevit, titulum Maximi intelligi debere. Per Valerium, cujus Lactantius cap. 50. meminit, non alium intelligi notat Tillemardus, quam qui ab Aurelio Victore in epitome Valens appellatur, sive apud Lactantium facili errore Valentis nomen in Valerii mutatum fuerit, sive Imperator ille simul Valerius Valens appellatus fuerit, sicut alius, cujus nummus ab Occone & Golzio refertur inter 30 Tyrannorum numismata, qui Gallieno imperante imperium arripuerunt. Postremo ad c. 52. observat, oratorie & contra historiæ fidem scripsisse Lactantium, cum ait, Joviorum & Herculiorum nomina divinitus deleta & etasa de terra fuisse. Contrarium enim probant nummi, in quibus duo Licinii Jovii inscribuntur.

IAC. BERNOULLI MATHEMATUM Profeſſoris Baſileenſis Curvatura Veli, *in litteris Ejus d. 9 Martii hujus anni Lipſiam perſcriptis communicata.*

EX iis, quæ Celeb. Dn. Leibnitius & Ego ſuperiori anno de Loxodromiis Nauticis in lucem emiſimus, colligi poteſt, quod ſi verus Navis curſus, ejusque velocitas ſemper cognita eſſent, omnia data haberentur, ſupputarique ad quodvis momentum poſſet, ubi terrarum navis verſetur, in quo conſiſtit ultima Hiſtiodromices perfectio, & deſideratiſſimum Longitudinum Problema. At illa duo cognoſci nequeunt, niſi prius cognoſcatur quantitas deviationis a plaga, in quam navis dirigitur (Gallis *la dérive du Vaiſſeau*) quæ vero nec ipſa haberi poteſt, niſi prius ſciatur, juxta quam directionem velum a vento impellatur; ſed nec hæc determinari poteſt, niſi ipſa Veli Curvatura comperta habeatur, adeo ut totius negotii certitudo tandem in cognitione *Figuræ veli* terminetur, quæ quia hucusque latuit, effecit, ut Nautæ nondum optatum in his finem aſſequi potuerint, & fallacibus plerumque conjecturis deludantur.

Huic inveſtigandæ cum me nuper applicuiſſem pertinacius, tandem poſt aliquot conamina voti compos factus fui, comperique (ne curioſum Lectorem diu morer,) Problema ſubtiliſſimum in ipſam *Funiculariam* deſinere; adeo fuit in fatis, ut quæ figura conveniunt, in diverſis linguæ noſtræ Dialectis nomine quoque convenire; idemque vocabulum Seyl & Germanis *Funem*, & Belgis *Velum* ſignificare debuerit. Præſtitit hic etiam Frater aliquid, poſtquam ejus Methodum (ſignificarat enim per literas, ſe Calculum Leibnitianum plurimum perfeciſſe) Problemate ad puram Geometriam reducto velut ſpecimine tentaturus, Curvaturam veli ſub iſta proprietate delitescentem ei communicaſſem: (*Sumtis æqualibus curvæ portiunculis, Cubi ex primis differentiis ordinatarum ſunt proportionales ſecundis differentiis abſciſſarum*) ſuppreſſo quo huc perveneram artificio; namque & ipſe ex proprietate hac Funiculariam feliciter elicuit.

Veruntamen etiamſi conſtet, velum vento inflatum funis curvedinem induere, hoc nondum ſufficit, ad determinandum (quod palmari-

marium est) juxta quam directionem quaque vi a vento impellatur, nisi quoque constet, quibus suppositionibus usus fuerim, ut Problema æ concreta Geometria ad puram reducerem, curvamque sub characteristica hac proprietate exhiberem. Notum est, quod in theoria Artis Nauticæ velum considerari vulgo soleat instar Figuræ planæ, quæ a vento juxta directionem sibi perpendicularem impellatur: unde cum talis non sit, quid mirum, si ex ficta hypothesi plerumque erroneæ, quandoque etiam cum inæstimabili hominum merciumque damno conjunctæ conclusiones deducantur? Agnoscit hac in parte imperfectionem Artis Anonymus Gallus sub finem libelli egregii, quem *de la Theorie de la Manœuvre des Vaisseaux* inscriptum ante paucos annos jussu regio edidit, monetque velum in suis partibus ob curvaturam suam secundam varias directiones impelli, adeoque inter omnes directiones mediam quandam assumendam esse; at quænam illa sit, uti determinare non audet, sic per meras conjecturas æstimat, quod ego scientifice & accurate consequi docebo, & quidem ita, ut vel stupidissimus Nauta meas regulas deinceps in usum transferre possit, quas sequentibus Positionibus comprehendam.

1. Si subtensa Veli EBF, (fig. 1) hoc est, per extremitates veli ducta recta EF lineæ directionis venti AB perpendicularis est, arcuatur Velum in *Circuli segmentum*, cujus basis EF, axis AB directioni venti parallelus. TAB. III. Fig. 1.

2. Vis, qua Velum juxta axem AB impellitur, componitur ex celeritate venti, & subtensa veli.

3. Hinc ab eodem vento eadem vi impelluntur vela EBF, ELF, quorum subtensa eadem.

4. Et idem velum EBF majore vi impellitur, ubi diductis extremitatibus E & F in arcum majoris circuli transierit.

5. Celeritas navium eodem secundo vento velitantium, cæteris paribus, sunt ut velorum subtensæ.

6. Potentia sustinens venti impetum, seu Firmitas veli requisita, ne rumpatur, in omnibus ejus punctis eadem est, & componitur ex celeritate venti & radio circuli.

7. Hinc potentia impellens ad potentiam sustinentem, seu agens ad patientem est, ut subtensa Veli ad radium.

8. Velum EBF minorem requirit firmitatem Velo ELF, cujus major radius.

9. Idemque Velum EBF minus subit rupturæ periculum, si adductis suis extremitatibus curvetur in arcum minoris circuli.

Fig. 2. 10. Porro si Velum EGB (Fig. 2) super extremitatibus suis E & B ita sit expansum, ut per extremitatem B directioni venti AB ducta perpendicularis recta BD tangat velum in B, curvatur velum in *Funicularium*, cujus vertex B, axis AB.

11. Ut longitudo veli EGB ad axem BA; ita sinus totus BC, ad rectam CH tangentem anguli CBH, quem faciunt duæ lineæ directionis, una venti, altera secundum quam a vento Velum impellitur.

12. Hinc angulus directionis venti & impulsionis Veli perpetuo semirecto minor.

13. Si recta BC sit Parameter & punctum C centrum funiculariæ, sumaturque portio Veli BG = CH, & per G ducatur recta FG parallela ipsi BH, erit hæc & curvæ perpendicularis, & simul linea directionis veli, & axis æquilibrii impulsionum.

14. Eadem reperitur aliter, si Velum ita secetur in G, ut segmentum EG se habeat ad segmentum BG, sicut aggregatum quadratorum EGB & AB ad differentiam eorundem.

15. Producta recta FG transit per mutuum occursum rectarum BD, ED; extremitates veli B & E tangentium: hinc constat, quomodo ex concursu rectarum tangentium ED, BD, ducenda sit perpendicularis ad funicularium DF, quæ alias sine respectu ad Velum habito difficulter inveniretur.

16. Vis, qua Velum secundum directionem suam FG impellitur, componitur ex celeritate venti & differentia quadratorum EGB & AB applicata ad radicem aggregati eorundem.

17. Hinc idem Velum fortius impellitur, quo magis diminuitur ejus Axis, quod obtinetur adducendo propius extremitatem Veli E ad tangentem BD.

18. Robur Veli, seu Firmitas requisita ne dilaceretur, ubique eadem, & componitur ex celeritate venti & parametro BC (sive differentia quadratorum EGB & AB, applicata ad duplum axis BA.) Nota hic discrimen inter Velum Funemque, qui in summis quam imis partibus majore firmitate opus habet.

19. Hinc

19. Hinc vis impellens ad vim sustinentem, ut duplum axis BA ad radicem aggregati quadratorum EGB & AB.

20. Constat etiam ex 2 & 16ta inter se collatis, quod si semel de velocitate navis, quæ velum juxta hypothesin primæ expansum habet, experientia constiterit, eadem quoque in hypothesi decimæ cæteris paribus supputari possit.

21. Quod si jam Veli extremitates sint in punctis E & G, & per G ducta recta GI directioni venti GL perpendicularis, cum velo expanso angulum faciat, nec illud secet, curvatur Velum in *portionem Funicularia*.

22. Si portio hæc continuetur ad verticem usque B, ponanturque axes æquilibrii impulsionum totius curvæ EB & portionis GB, per 13,14, iique proportionentur respectivis viribus impulsionum, erit prior axis diagonalis, alter latus alicujus parallelogrammi, cujus latus alterum est axis æquilibrii portionis EG, & simul virium quibus impellitur proportionem exhibet.

23. Ad æstimandam ergo directionem veli & impulsus vim, postulatur, ut datis punctis E,G, longitudine portionis EG, & positione rectæ GL axi parallelæ, duci possit Funicularia ejusque vertex assignari; quod nauclerus hac praxi mechanica consequetur facile: Punctis E,G, & recta GL in plano similiter positis, ductaque EM, ad G,L perpendiculari, erigatur planum & in illo recta GL ad perpendiculum, firmataque catenulæ extremitate in puncto E, ejus annulo inseratur stylus & promoveatur super recta EM, quo usque catena transeat per punctum G, & simul intercepta ejus pars portioni datæ EG adæquetur; nam si secus eveniat, alii annulo inserendus stylus, donec æqualis fiat; tum notetur locus styli M, & bisecta recta EM, demittatur perpendiculum AB secans catenulam, quæ positionem Veli referet, in optato vertice B.

24. Si Veli denique extremitates sint E,B, (fig. 3.) & ex B ducta recta BG, directioni venti perpendicularis, secet Velum in G, curvatur ejus portio GB in *circulum*, altera EG in *funiculariam*, quæ continuata per GC, habeat parametrum CD, æqualem circuli radio GA. Intelligitur curva tota uno motu continuo describi, si concipiatur Evolutæ Funiculariæ IFH filum circumplicari GFH ope plumbi filo annexi, & ex E demissi, illudque postquam convolutum fuerit Fig. 3.

circa partem curvæ, HF, offendere in descensu suo clavum A, positum in centro futuri circuli. Requiritur autem ad constructionem curvæ, ut datis punctis E, B, longitudine ejus EGB, & positione recta BG, dari possint segmenta curvæ. Mechanice nauclerus, postquam Velum vento inflatum fuerit, rem facile expediet: Ducta enim positione data BG, dantur arcus & subtensa GB, & hinc radius circuli AG, ipsumque punctum G; & quia datum quoque punctum E & curva EG longitudine, dabitur eadem etiam positione, per præced. Unde & dabuntur axes æquilibrii, viresque impulsionum tum funiculariæ EG, tum circuli GB, ac proinde axis æquilibrii Veli totius EGB, ceu parallelogrammi diagonius, viresque quibus juxta hunc impellitur, per 2 & 22.

25. Nota, supponi, quod fluidum, post adlapsum ad portionem veli EG, libere possit motum suum prosequi: at hypothesis hæc in rigore sumpta, ut opinor, vera non est. Videtur enim torrens fluidi a stagnante ejus portione in segmento GB ita sufflaminari debere, ut supra chordam GB ad partes G exundet, ibique certum formet spatium BGL, intra quod omnis aer vel stagnare prorsus, vel labi saltem segnius cogatur, & sic plus motus sui in veli portionem EG transferre necessum habeat, quam alias faceret, si non impedito cursu pergere posset: unde consequitur, velum quidem in parte GB circuli, in parte LE funiculariæ curvaturam induere, at in parte GL mediæ inter utramque naturæ esse, & quæ ab exuberantis fluidi figura, ejusque in velum agendi ratione dependeat. Hanc vero uti conjecturis, quæ in promptu mihi sunt, definire nolo, ita eorum sagacitati, quorum pluris interest rem nauticam perficere, indagandam relinquo. Ego interea pro homine mediterraneo ad negotium maritimum, quo non est aliud e quo rebus humanis major accedit utilitas, plus satis contulisse mihi videor.

Quia in eo hucusque fui, ut Funiculariæ usum in re nautica ostenderem, lubet hic quoque aliam ejus proprietatem non inelegantem, quæ in Staticis aliquando usui futura est, quamq; Fratris industriæ debemus, aperire: Sit recta horizontalis AD. Vectis nullius gravitatis & simul axis funiculariæ CE, punctum B vectis hypomochlium & Curvæ centrum, sitque AB = BC, & in A appensum pondus F, atque aliud huic æquale G ubivis in curva constitutum, cujus descensus impe-

impediatur per filum D H G, quod trochleam H amplectens perpendiculariter ex vecte dependeat, erunt ſic conſtituta pondera æqualia F & G in æquilibrio. (Fig. 4) Fig. 4.

Proxime *Elateris Curvaturam* dabo. Deprehendo hic vero (quod in anteceſſum monere lubet) rem ſatis memorabilem. Ut enim linteum vento tumidum *Funicularia*, ſic idem ab incumbentis liquoris pondere expanſum *flexi Elateris* curvaturam induit.

LINEÆ CYCLOIDALES, EVOLUTÆ, Ant-Evolutæ, Cauſticæ, Anti-Cauſticæ, Peri-Cauſticæ. Earum uſus & ſimplex relatio ad ſe invicem. Spira mirabilis. Aliaque per I. B.

Cyclois Mechanica (quæ ex revolutione circuli ſuper linea recta oritur) jam toto hoc ſeculo pervulgata extitit. *Geometrica*, quæ ex circuli ſuper circulo rotatione naſcitur, Cl. Viris *Tſchirnhauſio* & *Newtono*, primum conſiderari cœpit. *Evolutarum* notitiam illuſtri *Hugenio* debemus. *Cauſticæ* præfatum itidem Nob. *Tſchirnhauſium* auctorem agnoſcunt. *Cycloidales* in genere ſpectatæ, cæteræque initio memoratæ curvæ, neglectæ fere hactenus, ſed nec extitit, qui Evolutarum & Cauſticarum cæterarumque ab his dependentium *relationem* mutuam exhiberet. Hanc ego paucis abhinc diebus, cum in contemplatione inventi *Tſchirnhauſiani* paulo attentius verſarer, reperi, ac ob rei præſtantiam & utilitatem publico ocyus impertiendam duxi, præmiſſis quatenus neceſſariæ videbuntur, terminorum fere novorum definitionibus:

Si curva quævis ſuper alia ſibi æquali & ſimili, h. e. eadem ſuper ſeipſa inverſe poſita, puta dHm ſuper DHM (Fig. 5) rotetur, ita ut perpetuo in punctis ſimiliter poſitis ſeſe contingant, deſcribet punctum *a*, in plano genitricis curvæ dHm ubivis acceptum & ab illo una abreptum, curvam Fa, quam ob affinitatem cum Cycloide *Cycloidalem* nuncupo. Ipſam DHM, ſuper qua rotatio peragitur, voco *Expoſitam*. Curvam B L, ex cujus evolutione Expoſita DHM ope fili LBH deſcribitur, appello *Evolutam*, Rectam B H *Radium*, Punctum B *Centrum circuli* expoſitam in H *oſculantis*. Porro Curvam C I, quam radiorum A H, ex puncto quovis A emanantium, recte- TAB. III. Fig. 5.

reflexi HI ſuis interſectionibus formant, voco *Cauſticam ex puncto A.* Et ſi reflexus IH, producatur ultra expoſitam in *a*, ut ſit H*a* æqualis HA, erit, quam punctum *a* formabit, Curva F*a*, *Anti-Cauſtica.* Sin radius incidens AH producatur in *i*, ut ſit H*i* æqualis radio reflexo HI, erit punctum *i* ad Curvam E*i* dictam *Peri-Cauſticam.* Denique ſi radius Circuli oſculatoris B H producatur in *b*, donec H*b* fiat æqualis ipſi HB, formabit punctum *b Ant-Evolutam* Curvam G*b*. Reperi autem, cum recordarer Dn. *Leibnitium* affinia quædam antehac de *Lineis opticis* in Actis publicaſſe, *Cauſticas* & *Anti-Cauſticas* noſtras quodammodo easdem eſſe, quas Vir Celeb. ἀναμυθς καὶ ἀνλάσθς nuncupat. Officium tribus lineis *Anti-Cauſticæ*, *Peri-Cauſticæ*, & *Ant-Evolutæ* (ne omni uſu deſtitutæ videantur) hoc tribuo, ut prima determinet locum imaginis puncti radiantis A ex Cauſtica CI per reflexionem conſpectæ; altera ſit ipſa totius Cauſticæ in ſpeculum DHM projectæ, & ab oculo in A exceptæ imago; tertia denique locum imaginis oculi ſemetipſum ex Evoluta intuentis indicet. Præterea obſervatu dignum, Anti Cauſticam ex evolutione Cauſticæ deſcribi, & inſuper eandem eſſe cum Cycloidali, quotiescunque punctum lineans *a* reſpectu genitricis curvæ d H*m* ſimiliter poſitum eſt, ac punctum radians A reſpectu expoſitæ DHM; proinde Cauſticam ACI ≅ △HI ≅ △H + HI ≅ AH + HI, hoc eſt, aggregato radii incidentis & reflexi, vel ſaltem eodem majorem minoremve conſtante longitudine.

Palmarium autem, quod oſtendere ſuscepi, relationem concernit, eamque longe ſimpliciſſimam, inter *Cauſticas* & *Evolutas*, quam ſic determino: *Si in puncto radiante A erigatur radio incidenti AH perpendicularis AN, ſecans radium circuli oſculatoris HB (productum ſi opus ſit) in N, fiatque, ut 2HN - HB ad HB, ſic AH ad HI abſcindendam ex radio reflexo HI, erit punctum I in Cauſticâ ex A.* adeoque ſi 2HN ≅ HB, fiet HI infinita; hoc eſt, radii reflexi contigui erunt paralleli: ſi 2HN ≺ HB, radii reflexi fient divergentes: ſi 2HN ≻ HB, fient convergentes: ſi HN ≅ HB (ut in præſenti ſchemate) erit HI ≅ AH: denique ſi HN vel AH infinita, hoc eſt, ſi punctum A radiet ex infinita diſtantia, fiet congreſſus radiorum in puncto medio radii reflexi, HI abſciſi a perpendiculari BI. Valet etiam regreſſus a data Cauſtica ad punctum radians, vel ab utroque dato ad Evolutæ

puncta

TAB. III. ad A. 1692. pag. 203. sqq.







puncta invenienda. At quanti usus sit hoc Theorema, præsertim in Catoptricis, & quam fœcundum in deducendis corollariis, quamque elegantes & expeditæ praxes inde fluant, periti harum rerum judicent. Ego unum tantum alterumve in exemplum adducam:

I. Si punctum radians A reperiatur in peripheria circuli HCP, super semiradio circuli osculatoris HP ceu diametro descripti, radii reflexi contigui erunt paralleli; si illud extra peripheriam constitutum sit, erunt hi convergentes; si intra, divergentes.

2. Si radii reflexi contigui sint paralleli, habebit Anti-Caustica in parte opposita flexum contrarium; si illi convergant, erit hæc concava; sin divergant, convexa versus partes expositæ DHM.

3. Si Exposita curva DHM est geometrica, ejus Evoluta, Caustica, Cycloidalis, cæteræque omnes tales erunt. De Evoluta constat ex demonstr. *Hugenii in horol. oscill.* & nupero meo schediasm. *de angulo osculi*: de cæteris liquet ex relatione, quam tum inter se, tum ad Evolutam habent. Speciatim quod Cycloidalem ex circuli super circulo rotatione ortam attinet, ejus puncta geometrice inveniri possunt, non tantum cum ambo circuli æquales, sed & subinde cum inæquales fuerint (modo determinatam rationem habeant) nonnunquam per Geometriam communem (ut puncta Cycloidis *Tschirnhausianæ*) aliquando per conicas sectiones, aliquando per altioris generis curvam. &c. At indefinite conceptum Problema supponit sectionem anguli in data ratione. Nam posito, rotationem in D incepisse, si ducantur subtensa DH & communis circulorum tangens HR, fiatque angulus R H *d*, qui sit ad angulum RHD reciproce, ut radius expositi ad radium genitoris, secabit recta H *d* genitorem circulum in *d*, quod vel ipsum erit punctum lineans, vel saltem ad punctum lineans *a* positionem datam habebit.

4. Quia Evoluta tota Circuli in unum punctum abit, quod est ejus centrum, hinc Caustica *Tschirnhausiana* dicto citius determinatur: sed nec minus facile inveniuntur puncta alterius cujusvis Causticæ ex puncto distantiæ finitæ.

5. Ejus Pericaustica est Ellipsis, cujus minima semidiameter radio circuli est æqualis, maxima ejusdem sesquialtera. Caustica ergo *Tschirnhausiana* per reflexionem oculo ex infinita distantia aspectanti apparet Ellipsis,

Fig. 6. 6. Quoniam e conversō Parabolæ Cauſtica (fig. 6.) ex radiis DB axi AN parallelis tota concentratur in ejus umbilicum F, qui proin Focus appellatur, hinc per Theorema noſtrum expedite conſtruitur Paraboloides illa IH, ex cujus evolutione Parabola ABC deſcribitur, hoc pacto: ſumto in curva parabolica ubivis puncto B, & abſciſſa in axe FP = FB, ut ſit ducta BP curvæ perpendicularis, fiat angulus rectus BFG, vel ſi mavis, erigatur in umbilico normalis ad axem FT & producatur PB usque in T; eritque dupla ipſius BG vel PT, nempe BH, radius circuli Parabolam in B oſculantis, h. e. punctum H in optata Paraboloide.

7. Hinc porro quædam non inelegantes Parabolæ proprietates demonſtrantur: ut, quia dicta Cauſtica colligitur in punctum, & ex puncti evolutione circulus deſcribitur, ſequitur, Anti-Cauſticam Parabolæ eſſe peripheriam circuli CM ſuper F deſcripti, vel ei verius concentricam aliam, adeoque FC = FB + BM = FB + BD. Quod ſi permutatis inter ſe puncto radiante & foco parabolæ, illud in punctō F collocari, hic in puncto axis infinitæ diſtantiæ colligi intelligatur, erit ex foci evolutione deſcripta Anti-Cauſtica circulus infinite magnus, h. e. recta axi perpendicularis EL, diſtans a vertice A quantum umbilicus; ac propterea BL = BF.

8. Quin & Cauſtica ex radiis RB axi perpendicularibus uno ductu calami ſic determinatur: Ex radio reflexo abſcinde BS = FT, vel ſi videatur elegantius, ipſi FG fac parallelam & æqualem BS, eritque S utroque modo punctum in optata Cauſtica. Quæ conſtructio conferri poteſt cum *Tſchirnhauſiana*, menſ. Febr. 1690.

9. Super omnia vero utilitatem novi Theorematis commendare poteſt, quod occaſionem ſubminiſtraverit detectioni *Curvæ mirabilis*. Sic voco *Loxodromicam* illam *planam*, ſeu *Spiralem Logarithmicam* (cujus dimenſionem ſpeciminis loco in *ſuperioris Anni Actis* exhibui) propterea quod non modo ſui evolutione ſeipſam deſcribere, (quod jam olim etiam *Fratri* meo obſervatum in *Actis* retuli) ſed & præterea ſui ipſius Ant-Evolutam, Cycloidalem, Cauſticam ex umbilico, Anti-Cauſticam, Peri-Cauſticam eſſe, & infinitis aliis modis ex ſeipſa generari poſſe deprehendi, & quidem ita, ut perpetuo non tantum ſimiles vel ejusdem ſpeciei curvæ prodeant (ut fieri ſolet in evolutione Cycloidis *Tſchirnhauſiana*) ſed prorſus identicæ & poſitione tantum

tantum diversæ, talesque quæ sibi superimpositæ plane congruant. Quorsum specialiter adaptavi schema primum, in quo ADHM est Expolita Spiralis, hujus naturæ, ut ex umbilico A projecta recta quævis A H curvam secet constanti angulo AHR: B L ejus Evolutæ: C I Caustica ex umbilico A; F*a* Cycloidalis Anti-Caustica: E*i* Peri-Caustica: G*b* Ant-Evoluta; ubi sequentia notare convenit:

α. Omnes istæ sex Spirales sunt eadem Helix, h. e. eodem angulo a suis radiis ex umbilico projectis secantur.

β. Omnes post infinitos anfractus in communi umbilico A coëunt.

γ. Nulla alteram alibi tangit secatve.

δ. Si radius incidens & reflexus, H A, H I, producantur ultra H ad usque occursum Peri-Causticæ & Anti-Causticæ in *i* & *a*, & jungantur puncta A, *a*, *i* & I, erit A *a i* I Parallelogrammum Rectangulum, cujus diagonalis *a* I tangit Causticam, & latus *ai* Peri-Causticam.

ε. Si per H ducantur H B, H R, parallelæ oppositis Parallelogrammi lateribus, tanget una expositam, evolutam altera.

ζ. Triangula A H *a*, A B I, sunt similia: A H = H I = H A = H *i*: Caustica A C I = 2 H I: Evoluta A B = H B.

η. Si ex communi umbilico recta projiciatur, secans spirales, harum tangentes omnes per sectionum puncta ductæ erunt parallelæ, & portiones umbilico ac sectionibus interjectæ, rectæ portionibus conterminis sunt proportionales.

θ. Si super communi umbilico tanquam centro describatur quocunque radio circulus, secans spirales in punctis B, C, D, E, F, G; erunt spiralium omnium portiones centro & peripheria interjectæ æquales: radiorum vero ex centro ad intersectiones ductorum anguli sunt iidem cum angulis, quos ipsæ spiræ post infinitos circuitus in centro inter se constituunt. Speciatim, si angulus communis radiorum ex umbilico projectorum cum spiralibus sit semirectus, Helix Expolita & Evoluta faciunt rectum: si ille 60. gr. Expolita & Caustica itidem faciunt angulum 60. gr. si ille 30. gr. Expolita & Anti-Caustica faciunt angulum 60. gr. In genere vero spectata angulorum relatio est transcendentalis. Angulus Evolutæ cum Caustica perpetuo æquatur

angulo Expositæ cum Anti-Causticа, sicut & angulus Evolutæ cum Expositа angulo Causticæ cum Anti-Causticа.

1. Præter recensitas autem quinque Spiras infinitis insuper aliis modis transformari potest Exposita Helix, sic ut semper eadem Helix prodeat; ad hoc enim obtinendum non est necesse, ut HI, H*a* vel H*i* sint æquales ipsi HA, neque etiam ut Hb æquetur ipsi HB; sed nec opus, ut angulus AHI per HB, aut AH*a* per HR sit bisectus, &c. Generaliter namque verum est, quod quotiescunque rectæ ex umbilico in Expositam projectæ AH adjungitur in H alia ad quascunque partes, veluti H *d*, dummodo angulus interceptus AH*d* semper constans sit, & crura quoque AH, H*d* constantem rationem servent, adjunctæ extremitas *d* eandem numero cum Exposita, & circa communem umbilicum constitutam Helicem describet.

Nescio vero, an hujus proprietatis meminisse tantisit, cum omnibus omnino curvis æque competere videam, quanquam ignorem id a quoquam observatum esse. Nimirum si cuicunque expositæ curvæ DHM (fig. 5) applicetur quodvis Triangulum AH*a*, illudque circa datum punctum A rotari, & simul fluere intelligatur ita, ut manente angulo H in peripheria expositæ, latera omnia crescant decrescantve proportionaliter, ipsumque Triangulum sibi semper maneat simile, describet angulus *a* curvam similem & eandem (*specie*) cum exposita, subinde & *numero*, ubi AH, A *a* fuerint crura Trianguli Isoscelis. *Numero* easdem curvas voco (forte rectius quam existimarent Logicorum filii) quæ sibi super impositæ congruunt. At quod Evolutæ, Causticæ, Anti-Causticæ &c. non perinde quoque eædem specie numerove sint in quovis Curvarum genere, in causa est sola anguli, quem recta AH ad expositam curvam ejusve tangentem facit, inæqualitas, quæ omnia turbat. Hic enim cum in sola nostra spira constans maneat, videtur quasi natura hoc essentiali charactere illi soli id privilegii vindicare voluisse.

Cum autem ob proprietatem tam singularem tamque admirabilem mire mihi placeat spira hæc mirabilis, sic ut ejus contemplatione satiari vix queam; cogitavi, illam ad varias res symbolice repræsentandas non inconcinne adhiberi posse. Quoniam enim semper sibi similem & eandem spiram gignit, utcunque volvatur, evolvatur, radiet; hinc poterit esse vel sobolis parentibus per omnia similis Emble-

ma;

mia: *Similima Filia Matri*: vel (si rem æternæ veritatis Fidei mysteriis accommodare non est prohibitum) ipsius æternæ generationis Filii, qui Patris veluti Imago, & ab illo ut Lumen a Lumine emanans, eidem ὁμοούσιος existit, qualiscunque adumbratio. Aut, si mavis, quia Curva nostra mirabilis in ipsa mutatione semper sibi constantissime manet similis & numero eadem, poterit esse vel fortitudinis & constantiæ in adversitatibus; vel etiam Carnis nostræ post varias alterationes, & tandem ipsam quoque mortem, ejusdem numero resurrecturæ symbolum; adeo quidem, ut si *Archimedem* imitandi hodienum consuetudo obtineret, libenter Spiram hanc tumulo meo juberem incidi cum Epigraphe; *Eadem numero mutata resurget.*

GERHARDI DE VRIES PROFESS. Philos. Ultraject. de Renati Carteſii Meditationibus a Petro Gaſſendo impugnatis Diſſertatiuncula Hiſtorico-Philoſophica.

Ultrajecti apud Guil. Van de Water 1691. in 8vo. Constat 7¼ plagulis.

CUm Petri Gaſſendi *Dubitationes adverſus Renati Carteſii Meditationes* exprimendæ typis essent tertia vice, (uti & revera anno superiore Ultrajecti sumptibus *Guil. Van de Water* factum) doctissimus Philosophus *Gerardus de Vries* amici hortatu persuasus, Dissertationem hanc addidit lectu digniſſimam. Auspicatur eam ab Illustri Sueſſionenſis Epiſcopi *Huetii* judicio in *Cenſura Philoſophiæ Carteſianæ*, de superbia & ambitione Carteſii maxima, quod confirmatur tum ex aliis documentis, tum ex Gaſſendi querelis. De qua re ut rectius judicari possit, Meditationum Carteſianarum, quas impugnavit Gaſſendus, historiam ab origine prima deduxit, paucis tamen, promittens interim rerum omnium ad Carteſianiſmi ortum & progreſſum pertinentium justam enarrationem, in Introductione Hiſtorica ad Philoſophiam Carteſii, quam sub manibus habet. Narrat itaque, *Meditationes de prima Philoſophia*, quibus tota moles philoſophiæ illius novæ suffulta est, primum fuisse Carteſii a primo in Belgium appulſu laborem, quem Franecqueræ ſuſceperit anno 1629, non tamen

primum in lucem protulerit, ſed caute præmiſerit Diſſertationem de Methodo, cum annexis quibusdam aliis ſuæ Philoſophiæ ſpeciminibus, ut, qui legerent, inauditas demonſtrationes exſpectarent. Mora ergo quadriennii interpoſita, produxiſſe eum ait Meditationum partum duodecennem A. 1641. Placuiſſe ipſi ante omnia, magnificam Operis inſcriptionem in editione prima Pariſienſi facere, *Meditationum de Prima Philoſophia*, in quibus DEI exiſtentia & Animæ immortalitas demonſtretur; licet & ante editionem, & poſt eam ab amicis monitus fuiſſet, ne verbum quidem in Meditationibus occurrere de immortalitate animæ. Cumque fraudem ſuam deinde aliis patere intellexiſſet, mox repetita editione Elzeviriana neceſſe habuiſſe, promiſſam *immortalitatis* demonſtrationem inducere, illique ſubſtituere *demonſtratam animæ humanæ a corpore diſtinctionem*. Ut novis philoſophematis ſuis applauſum in Scholis conciliaret, tum per *Henricum Regium* Medicum Ultrajectinum aggreſſum eſſe, tum per Jeſuitas molitum, quorum favorem, ultra quam decet virum probum, turpibus aſſentationum blandiloquiis ambiverit. Sorbonæ itidem approbationem ſtudioſe ſollicitaſſe. Sed neque Societatem Sorbonicam, neque Jeſuiticam approbare novam philoſophiam voluiſſe, eo quod timerent novitates in Theologiam inde invehendas. Quomodo & Congregatio Cardinalium cenſuerit, cum Carteſii opera in Indicem Librorum prohibitorum Romæ referret A. 1643. Contra Reformatorum Doctorum judicio nihil tribuiſſe Carteſium, ſed, ſi quod contra ſe ferretur, ex hoſtili animo profectum & iniquum dictitaſſe. Rectius autem rebus ſuis conſuluiſſe Pontificios, qui novellam ſapientiam a ſuggeſtis ſuis & cathedris arcuerint, quam Reformatos in Belgio, qui volentes nolentes eam in Eccleſias & Academias irrepere paſſi, effecerint, ut circa res ſacras, non ſolum ea, quæ *Spanhemius* in peculiari Epiſtola proſecutus eſt diſſidia, exorta ſint, ſed & multo graviora ab Ideis Carteſianis Theologiæ ſine modo & menſura petulantiſſime illata fuerint ſtupra. Quare Carteſium codici ſuo ex adverſariis quæſiturum, quem negaverant eruditorum ſuffragia, applauſum, objectiones conquiſiviſſe, earum Auctores quosdam, ſubdole ſuppreſſis nominibus, magnis elogiis mactaſſe, atque refutationem Meditationum iteratæ editioni adjeciſſe. Inter antagoniſtas ſolum *Gaſſendum* nominatum ab eo, quippe quo victo, Carteſius ſe de omnibus tri-

um-

umphaturum putaverit. At quam infeliciter Carteſio ceſſerit hæc oſtentatio, ex his intelligi Auctor docet: *Merſennus* Gaſſendo Meditationum Carteſianarum manuſcriptum exemplar Auctoris nomine obtulerat exegeratque, ut ad ipſum, ſi rorirentur inter legendum ſcrupuli, perſcriberet eos. *Gaſſendus* ratus, velle Carteſium ſolum explorare ſuum judicium, priusquam *Meditationes* publicaret, nudas duntaxat dubitandi rationes privato ſcripto ſignificavit. At *Carteſius* intendens, diruta aliorum fama, trophæa ſibi erigere, easdem multa cum inſultatione propalavit. *Gaſſendus*, etſi intra vertentem annum a motis primum Dubitationibus, *Inſtantiarum codicem* ſcripſit, preſſit tamen ſecum in alterum quoque annum, donec tandem multis rogantibus, & poſcente Carteſio, in publicam lucem prodire permitteret. *Carteſius*, quanquam ad reſpondendum a ſuis inſtigaretur, in quintum usque annum ſiluit; tandem Epiſtolam octo pagellarum ſcripſit, in qua ne unicam quidem *Inſtantiam*, ea, qua decet, forma propoſuit, nedum ſolvit. Specimen hujus perverſæ diſputationis ſubjicit clariſſimus Auctor, ac quam inglorius Carteſius ex hac pugna diſceſſerit, & quanto cum pudore Gaſſendum adverſarium metuerit, enarrat, hujusque modeſtiam, eruditionem, ac in philoſophando libertatem obſervat. Tandem ut Dubitationes a Gaſſendo adverſus Carteſium editæ recte capiantur, duo Lectori obſervanda præſcribit. Unum, non impugnari ab eodem Concluſiones Carteſii, *Deum exiſtere, animam humanam non eſſe a corpore diſtinctam, corpus dari*, & quæ ſunt ſimiles, ſed ſolum in vim ratiociniorum, quibus illarum certitudinem confirmatum ivit Carteſius, inquiri. Alterum, ne quis putet, abſurdas opiniones, quas Carteſio Gaſſendus nonnunquam objicit, eſſe Gaſſendi dogmata, Carteſianis placitis ſubſtituenda. Commendat admodum lectionem hujus Diſſertationis; laudem Cenſuræ Philoſophiæ Carteſianæ, quam *Huetius* tulit, tribuit, attamen non dubitat aſſerere, Carteſianæ philoſophiæ maximopere obſtitiſſe Gaſſendi *Diſquiſitionem Anti-Carteſianam* nondum refutatam.

ספר צמח דוד החדש

ZEMACH DAVID NOVUM,

Editionis curam gessit R. David, R. Mosis Reindorfensis filius, A. Æræ Jud. 452. Christ. 1692. in 4. Prima pars Francofurti ad Mœnum impressa constat plagulis 13. reliquæ, Amstelodami excusæ, continent plagulas 26.

CEntum omnino abhinc annis ultimam manum imposuit *Chronologiæ* suæ R. DAVID (אוזא sive Germanice) Gans/ Pragensis, titulumque e *Jerem. XXXIII. 14.* צמח דוד GERMEN DAVIDIS præfixit. Eandem Latine reddidit, sed utplurimum satis negligenter, *Guilielmus Henricus Vorstius*, notisque illustratam edidit Lugduni Batavorum A. C. 1644. Nunc Ebræus textus recusus est, duplici cum augmento. Primum assuitur parti priori res Judaicas ab O. C. ad A. C. 1592. complexæ & easdem ad præsentem annum, at concise nimis ac jejune, pertexit. Commemorari heic videas inter cæteros, ad a. Jud. 357. (Christi 1597.) *R. Akibam* Francofurtensem; ad a. 368. *R. Mosen Galantem;* ad a. 370. *R. Jesaiam Horvvitz*, autorem libri שני לוחות הברית; ad a. 376. *R. Meirem* Archisynagogum Lublinensem, tunc mortuum, postquam superioribus annis libris שאלות ותשובות itemque מאור עיני חכמים famam sibi conciliaverat; ad a. 393. *R. Nathanem Schappira* Archisynagogum Cracovienfem, cujus librum recensuimus in Actis anni superioris p. 250. itemque *R. Josephum Salomonem*, Medicum Cretensem, ex opere suo תעלומות חכמה celebrem; nec non *R. Meirem* Schiff/ Archisynagogum Fuldensem, cui æque ac *Nathani* modo dicto Eliam Prophetam frequenter apparuisse, Judæi credunt. Ad a. 401. invenies *R. Joelem Sirks*, Archisyn. Cracovienfem, autorem librorum בית חדש & commentarii in Ruth, mortuum eopse anno; ut & *R. Lipmannum* illum Jom Tobh, de quo ad p. 364. Supplementorum nostrorum adnotare licebit obitum, qui contigit anno 409, Christi 1649. Sic ad a. 439. refert continuator anonymus, (quem R. Davidem in fron-

frontiſpicio hujus voluminis nominatum eſſe haud dubitamus) ad plures tunc abiiſſe Samuelem קווירנבר (Quittenbeer) Archiſynagogum Francofurtanum ac dein Cracovienſem, clarum ſcriptis ס׳ברכת הזבח h. e. commentario in Seder Kodaſchim, item ס׳ברכת שמואל & ס׳אמונת שמואל Hæc ſpeciminis loco ex augmento primo ſufficiant. Inſignem vero aut invidiam aut ignorantiam in authore deprehendimus, dum ſolos Judæos Germanos, Bohemos, Polonosve recenſet; cum Ganſius Luſitanos, Belgas, Italos creberrime laudarit.

Pars altera operis Ganſiani rebus totius orbis e chronicis Germanorum & Bohemorum depromptis referta eſt. Ex ea excerpta tantum confecit Vorſtius. Nec immerito. Chriſtianis enim ſatius eſt, ex fontibus, quam turbido illo rivo, hiſtoriam haurire. Præmittitur præfatio auctoris, qua ſe in hoc Opere ad Rudolphum usque Imperatorem excurriſſe ſcribit. Sed in nova editione, quæ quidem ipſam præfationem ad fidem primæ editionis fideliter nullibi non recuſam ſiſtit, ineptulus corrector pro Rudolpho LEOPOLDI nomen ſubſtituit, ut niſi Ganſium jampridem defunctum ſcires, credendum tibi eſſet omnino, totum hoc, quantum quantum eſt, volumen ab ipſius calamo profluxiſſe. Nimirum acceſſit huic editioni a recentiori manu pars tertia, res Europæas notabiliores ab an. 1592. ad eum, quem nunc agimus, in compendio repræſentans. Omnium maxime lectu heic dignam putamus prolixam eamque rhythmicam narrationem tumultus, qui a. C. 1614. d. 22. Aug. Judæos Francofurtanos horrendum in modum afflixit, quemque Noſtrates accurate deſcriptum reperient in Joh. Lud. Godfridi IV Monarchiis fol. 1142. Carmen autem iſtud, cujus jam a nobis injecta eſt mentio, autorem habet *R. Elchananem, R. Abrahami F.*

Quanta vero oſcitantia res hujus ſæculi conſarcinaverit Continuator noſter, vel recentiſſimo exemplo patebit, quod tamen vix ulli, quam ſtupidis verpis, erroris occaſionem ſubminiſtrabit. Sub finem nempe chronologiæ hæc legas:

1692. תנ״ב

הדוכס מואקסין יהאן גערג הרביעי מת במקום דיבינגן בווערטנבורג; i. e. *Dux Saxoniæ Johannes Georgius Quartus obiit Tubingæ*

Tubingæ in Ducatu Würtenbergico.. Pro Duce *Electore*, pro *Quarto Tertius* ponendus fuerat. Et quis nescit, beatissimum Heroa supremum vale mortalitati dixisse die 12. (22) Septembris A. 1691, neque adeo anno Æræ Judaicæ תנב 452. qui biduo demum ab excessu optimi Patriæ Patris initium habuit; unde nec suæ æræ, nec nostræ calculos, uti decuerat, subduxit hic chronographus. Tacemus neglectum orthographiæ in nominibus locorum, quæ ita exarantur: Dibingen & Wertenburg..

HISTORIA ECCLESIASTICA SECULI XVII, cum Paralleliſmo Profanæ.. Decennium primum: authore Joh. Wolfgango Jägero.

Tubingæ literis J. C. Reiſii, 1692. in 4. Alph. 2. pl. 1.

QUi Moralibus hactenus scriptis in lucem editis eruditionem, industriamque suam Orbi Literato abunde comprobavit, Moralis Philosophiæ in illustri Tubingensi Academia Professor Clarissimus, *Joh. Wolfgangus Jägerus*, Historicum nunc idque amplissimum magnæque utilitatis opus est aggressus.. Seculi enim ad finem nunc vergentis Historiam Universalem, Sacram ac Profanam, tradere constituit, in quo ea, ut ipsis Authoris verbis scopum ejus exprimamus, *Fata Ecclesiæ Protestantium indicabit, Conclavia Pontificum Romanorum omnia referabit, diversos Motus & Schismata in Ecclesia Christiana, & inprimis Syncretismum, Arminianismum, Naturalismum, Amyraldismum, Bohemismum, Jansenismum, Borrismum, Carteſianismum, Quietismum, Coccejanismum, recentesque in Gallia & Anglia Controversias ob oculos dilucide ponet, cum Paralleliſmo Historiæ Profanæ.* Tanti ergo Operis primum nuper Decennium prodiit, primorum nempe decem præsentis Seculi annorum Historiam complexum, in quo nihil facile eorum, quæ isto temporis intervallo seu in Ecclesiasticis, seu in Civilibus digna memoratu contigerunt, deprehendas prætermissum. Nam, ut præcipua tantum attingamus, quantum ad *res sacras*, videas hic studiose expositas Electionum Papalium Acta, quando Clemens VIII (A. 1591.) Leo XI & Paulus V (A. 1605.) post multas Cardinalium contentiones ac tricas Romanum Pontificatum sunt adepti: videas enarratam

ratam prolixe Historiam gravissimi inter Jesuitas & Dominicanos in causa Molinæ de Gratia & Arbitrio dissidii, ut nullus fere annus sit, ad quem diligenter annotata non occurrant, quæ circa istam controversiam in Aula Romana fuere gesta: nec minus accurate descripta videas dissensionum inter Arminianos & Gomaristas in Fœderato Belgio originem ac momenta: legas (ad A. 1600.) in Jacobum Böhmium, Görlicensem, dum viveret, in Lusatia Superiore sutorem, ejusque sectatores censuram: legas celebrata inter Theologos Colloquia, Ratisbonense (A. 1601.) inter Evangelicos & Romano-Catholicos, & Vapincense (A. 1603.) inter Lutheranos & Reformatos: ut institutam Marpurgi in Hassia sacrorum reformationem; dissidia inter Paulum V. Romanum Pontificem & Rempublicam Venetam, de jurisdictione Ecclesiastica; motus item in Bohemia ex causa religionis obortos, aliaque plura silentio prætereamus. *De rebus profanis* supervacaneum est quicquam addere, cum nemini vel leviter in Historia nostri seculi versato difficile futurum arbitremur divinare, de quibus ad quemque annum uberius ab Auctore disseratur.

JOHANNIS HENRICI BERGERI J.U.D. & Pand. Prof. Publ. in Academia Vitembergensi Resolutiones Legum obstantium, quæ in Compendio Juris Lauterbachiano allegantur.

Vitembergæ. Sumtu Jeremiæ Schrey & Hæredum Henric. Joh. Meyeri. A. 1692. in 8. Constant plagulis 28.

QUoniam accurata Juris doctrina non tantum in theseos corroboratione, sed etiam in solida antitheseos resolutione consistit, salutarem Compendio Juris Lauterbachiano accommodavit operam Consultissimus Auctor, dum adductos textus obstantes in dicto libro cum sententia in eodem structa conciliavit. Toties vero huic operi ab utilitate commendatissimo recensitam adhibuit curam, quoties argumentorum pondere in dissentientium partes pertractus non est: id enim cum accidit, ea in removendis Lauterbachii fundamentis laboravit industria, qua ad stabiliendam ejus opi-

nionem alias uti consuevit. Tractationi præmisit brevem manuductionem ad artem textus utriusque Juris, magno memoriæ commodo, signis notandi; ubi textus in axiomaticos & decisivos, hos vicissim in probantes & obstantes divisit, & quomodo, diversitate characterum in verbis notabilibus observata, ascriptaque textui obstanti resolutione, adjuvari memoria Lectoris queat, indicavit. Ut ipsa Tractatio ab omni obscuritate esset aliena, secundum ordinem Pandectarum Controversias e memorato Compendio collectas in Quæstiones redegit, iisdem rationes affirmandi negandique adjecit, Lectorique, ne diuturna ipsum perpensio legum remoraretur, consuluit, dum verba probantia nec non obstantia textuum cursivis, ut loquuntur, seu Italicis literis exprimi curavit. In arcendis dissentientium telis eo usus est styli temperamento, ut ferre se æquo animo dissentientem, probatæque sibi sententiæ causam tantum dicere, haud obscure profiteatur. Sicubi Quæstionis ambiguitas vel obscuritas id exegit, Auctoris sui brevitati per additamentum subvenit, utilitatis & controversiæ simul rationem habens. Sub calcem Programma accessit, in quo explicatum, qua ratione in actione hypothecaria tolerari queat alternativus libellus, & indicatum est, quibus adhibitis Respondentibus Auctor laborem hunc publicæ censuræ submittere decreverit. Reliqua L. B. ex singularum Controversiarum perlustratione haurire non gravabitur.

DE CONSTITUTIONE ANNI M DC. LXXXXI apud Mutinenses, Dissertatio Bernardini Ramazzini Medicinæ Professoris.

Mutinæ. Typis Hæredum Casiani. A. 1692. in 4. plag. $4\frac{1}{2}$.

QUem scopum Autor Nobilissimus, in Historia Medica annorum apud Mutinenses elapsorum quotannis condenda, præfixum sibi habeat, in *Actis* jamdum *Anni superioris p. 186.* cum primum ejus exhiberemus specimen, commemoravimus. Altera nunc, quam mature beneficio Illustris *Magliabechii* adepti sumus, sequitur Dissertatio, anni nonagesimi primi constitutionem designans, ac cele-

Celeber. *Leibnitio* conſeerata, priorem adeo approbanti & commendanti, ut & Academia Naturæ Curioſorum eandem integram, una cum ipſis laudati Leibnitii literis ad Præſidem conſcriptis, *Ephemeridum Germanicarum Dec. II. Ann. IX. Appendici* merito inſeruerit. In hac vero Epidemia, non ruralis, ut in priori, ſed urbana, plebi potisſimum & ſenibus infeſta, neque anni conſtitutio humida & lutulenta, ſed ob Aquilonem primum, hinc & ob ardorem continuum ſicca potius & pulverulenta intimatur. Ineunte namque anno nonageſimo primo hyems, æque ac ſub nonageſimi terminum, ſerena & tranquilla perſtitit, usque dum circa menſis Januarii finem Septentrione afflante, cuncta illico rigeſcerent, nivisque defectu & via in tota Ciſpadana & Tranſpadana regione præter morem pulverulentæ redderentur, & ſementes mirum in modum exurerentur. Apoplexiæ, Pleuritides, Peripneumoniæ, Catarrhi ſuffocativi, Anginæ, Eryſipelata, pectoris cumprimis morbi, tunc oberrarunt, omnes a ſanguinis ſtagnatione provenientes, utpote quem præcedentis anni conſtitutio frigida & lutulenta, pravusq; leguminum ob annonæ difficultatem victus, crasſiorem & ad concreſcendum aptum induxerant. Sanguis ſiquidem e ſecta vena eductus, multum pituitæ & polypoſæ concretionis obtinuit, variisque in cadaveribus in noſocomio diſſectis, præſertim in Cachecticis & ex pectoris morbo denatis, polypi cordis intra ſinus ipſamque aortam apparuerunt. Præter alios, vir ſaxagenarius præpinguis ſubita oppetiit morte, in cujus diſſecto cadavere ſanguinis concreti duæ fere libræ e pericardio exemtæ fuerunt, ac in trunco arteriæ magnæ aſcendentis, polypus inventus lacertulæ longitudinem & magnitudinem referens, qui motum ſanguinis ſufflaminando Syncopen cardiacam, vel Catharrum ſuffocativum, vel Apoplexiam quandam, tanquam nomine ſæpius magis, quam re diſcrepantes, intuliſſe videtur. Remedia profuerunt incidentia, v. g. Spiritus ſalis ammoniaci, ſal volatile cornu cervi, ſperma ceti & ſimilia; Spiritu ſulphuris ab integrò ſulphure, pulmonum balſamo, multum differente a nonnullis inepte cum aquis pectoralibus exhibito. Repetita ſanguinis miſſio ſæpius finiſtre ſucceſſit, quod nec enarrati affectus humorum fluxionem, quam Veteres aſſerebant, pro cauſa agnoſcerent, nec venæ ſectio, poſtquam noſtro ſeculo circuitus ſanguinis innotuit, hunc amplius in-

tercipere aut revellere valeat. Sic Sacerdos habitus alioquin firmi, cum pleuritide laborans sanguinem tertia vice detrahi pateretur, eadem die ad plures abiit. Senioribus præcipue, qui in tempestate adeo rigida multum periclitabantur, vena etiam semel pertusa lethalis extitit; nobili muliere nonagenaria mox expirante, postquam venam, quam aperiendam sibi ea perierat, Autor vero noster renuerat, Medicus alius accersitus curasset secari, quem tamen historia ab *Hippocrate l. 7. Epidem. n. 54.* annotata cautiorem facere potuisset. Neque venæ sectio in rheumatica tali constitutione, etiamsi febris superveniret, votum explevit, quoniam febris, in qua densa sanguinis compages, non æque ac illa, in qua ob orgasmum aliquem sanguis ad diffusionem promtior existit, incisionem venæ postulat. In sanguine nempe salutariter evacuando, aliisque remediis legitime administrandis, semper ad anni constitutionem, quo sanguinis ex ea diathesis pateſcat, convenit respicere, licet multi Practici frequenter hic deficiant, & quotidie in venæ sectionis usu vel ex ignorantia, vel ex oscitantia in leges circuli sanguinis impingant, prout recens *Homobonus Piso* Medicus Cremonensis in *Ultione Antiquitatis* primum adversus circularem sanguinis motum urget. Cui errato nihilominus medelam nunc parare dicitur Professor quidam Mutinensis in Opere, quod *Rationarium Medicum Seculare, quo summatim ac veluti facta supputatione apparet, quid lucri ex celebrioribus Inventis Anatomicis hujus Seculi Arti Medicæ, tam quoad Theoriam, quam quoad Praxin accesserit*, inscribere ac sub finem hujus seculi edere constituit. Cæterum plebs non tam rusticana, quam urbana, prædictis affectibus obnoxia fuisse videtur, quod illa vel ob vitam actuosiorem, vel ob febres diuturnas prægressas Epidemiæ ruralis, in priori Dissertatione descriptæ, sanguinem magis fluxilem magisque depuratum haberet. Ast circa æquinoctium vernale, frigus intensum immoderatus isque improportionatus æstus excepit, mense solum Aprilis parum remittens, tanta tamen siccitate itidem stipatus, ut sterilem omnino annum minari potuisset, nisi plantæ cunctæ fructiferæ floribus passim albescentes fructus præcoces pariter atque horæos abunde promisissent, reque ipsa Pomona laboranti Cereri opem tulisset. Equidem mense Majo imbres sporadice defluxerunt, sed aridæ constitutioni corrigendæ minus sufficientes minusque

nusque impedientes, quin herbæ parcissime provenirent, fabæ quoque ac omnia fere legumina exarescerent, spesque exigua triticeæ messis superesset. Interim, in prima potissimum veris parte, iidem pectoris morbi, languidiores tamen, perseverarunt; sub finem autem veris febres tertianæ, tanquam spicilegium prægressæ messis, caput denuo exseruerunt; præsertim scabies quoscunque fere tam in urbe, quam ruri degentes multum defœdavit, neque a purgantibus, neque a phlebotomiis repetitis mitiganda, sanguine misso multum seri flavi exhibente, urinisque valde coloratis apparentibus. Nec solis topicis in scabie hac populari tuta fuit fides, cum a præcedente constitutione pluviosa pravoque ob annonæ caritatem victu ea produceretur, multiq;, qui molestiæ pertæsi in ipso vere unguenta adhibuerant, retropulsa scabie in febrim inciderent, urinasque nigras & fuliginosas illico excernerent, non nisi scabie rursus expulsa mutatas. Saltem præter medicamenta viperina aliaque diaphoretica, cichoraceis similibusq; refrigerantibus præstantiora, æstas subsequens, Hippocrate jamjam observante, certissimum præbuit auxilium. Animalia inter, quæ hoc pariter anno ingentem stragem sustinuerunt, grex ovillus tantum non omnis periit; multa itidem animalia, præsertim canes, ob æstum continuum & eteſiarum defectum rabies invasit. Nulla quippe æstas, diebus imprimis caniculæribus, adeo efferbuit, thermometris attestantibus, ac quæ veri successit, nec æstus quicquam remisit, constans potius per totum fere Septembris mensem permanens, tametsi pluviæ nonnunquam caderent. Cœlo desuper frequentius, quam unquam fulminante, & agricolam quendam percutiente, integumenta hujus omnia præter lora coriacea, perusta fuerunt, ipse vero ad aliquot dies attonitus sponte demum sine remediis ad se rediit etiamnum superstes. Febres tunc derepente invaluerunt, integras ex vulgo familias eodem tempore passim corripiendo, ea præcipue in urbis parte, qua viæ magis patulæ tectaque humiliora fervidi aeris, bilem acuentis, violentiam infringere nequeunt. Quotquot milites arcem occupabant, simul ex febre decubuerunt, ut rusticana militia in custodiam ejus acciersenda esset. E diverso tam opulentiores, ampla conclavia a tecto remotiora inhabitantes, quam Judæi in vicis angustis & ædibus altissimis, quarum fenestræ caligant, degentes, morbis alias æstivis primum subjecti,

jecti, vim tempestatis hujus febrilis minus senserunt. Item ruricolæ licet diurnis laboribus ad Solis radios fere in sudores solverentur, quia tamen sub dio in plaustris somnum per noctem captarent, immunes plerumque vixerunt. Morbus nihilominus salubris multum & lucri & gloriæ Medicis attulit, cum omnes ferme ægri pristinam sanitatem recuperarent, febribus istis tertianis septima ut plurimum die, ac interdum citius, post unam vel alteram phlebotomiam per sudorem judicatis, nisi quod autumno protractiores eæ evaderent & in malignas aliquando degenerarent. Venæ sectio videlicet, aqua frigida & remedia acida, succus limonum, spiritus vitrioli, sulphuris &c. sufficerunt, cardiacis calidioribus ægros in extremam perniciem præcipitantibus. Etenim sanguis missus spumeus & croceus, ac urinæ similiter multa bile saturatæ occurrebant, adeoque sanguinis motus non tam irritandus, ut anno superiori, quam compescendus erat. Attamen autumno, quo magis calor tepuit, tanto majorem sævitiam exercuerunt variolæ, dum per æstatem solum paucos, autumno vero & hyemis principio longe plures, non solum juvenes, sed & grandævos, imprimis uterò gerentes, ac quibus sanguis detractus erat, jugularent, facilius emergentibus, qui venæ sectione aliisq; remediis posthabitis, omne curationis negotium soli naturæ commiserant. Multo mitiores autem febres quartanæ fuerunt, hoc quoque autumno non infrequentes, utpote multis tertianis in quartanas versis; quotquot enim Corticem Chinæ Chinæ in subsidium vocarunt, vel integre fuerunt restituti, vel paulo post, quam recidivam passi essent, ante hyemis accessum perfecte convaluerunt, secus ac anno nonagesimo; adeo ut securior Chinæ Chinæ usus videatur, quando humores fræno magis egent, quam stimulo; id quod tamen ulteriori adhuc experientia confirmandum erit. Tandem Clariss. Autor, qui tumultuarie hæc armorum inter strepitus conscripsit, veretur, ne premente etiamnum annonæ penuria, nova imposterum morborum seges propullulet.

LE ANTICHE LVCERNE SEPOLcrali Figurate,

i. e.

i. e.

Lucernæ ſepulcrales antiquæ, figuris inſignes, e cryptis Romanis collectæ, depictæ, æneisque tabulis inciſæ a Petro *Santi Bartoli*; cum obſervationibus Joh. Petri *Bellorii*.

Romæ, apud Simonem Anagnium, 1691. in fol. Conſtant Plagulis 13. Fig. æneis 119.

QUæ a Phyſicis diſputari ſolent de æterno igne lucernarum ſepulcralium veterum, ea Autores celeberrimi non in hoc tripartito ſuo volumine, ſed in *Fortunii Liceti* libris ſex de lucernis antiquorum reconditis, & diſſertatione *Octavii Ferrarii* de veterum lucernis ſepulcralibus, quæri cupiunt. *Bartoli* enim labor in eo ſolum occupatur, ut figuras lucernis impreſſas elegantiſſime depictas ſiſtat. *Bellorius* autem harum ſenſum mythicum eruere, ac ſuccinctis notis declarare ſtuduit. Plerasque nempe aut ritum aliquem ſepulcralem, aut opinionem gentilium de ſtatu mortuorum innuere autumat.

Sic P.I. n. 1. Prometheus viſitur hominem fingens adſtante Minerva, quæ ei ætheream particulam inſpiraſſe creditur. Argumentum hinc petiiſſe putat lucernæ autorem, quo probaret, tametſi corpus in primævum lutum ſuum reſolvatur, divinæ tamen auræ particulam a Minerva inſpiratam, poſt fata quoque immortali vita gaviſuram. At dum n. 3. repræſentatur,

Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus
Aſſiduam nimio pectore pavit avem;

ſenſum moralem nullum indicare auſus eſt. Amorem & Pſychen alis papilionis (qui nunquam moriendo varias mutationes ſubit,) ornatam, mutuo ſe complecti, n. 7. deprehendes. Annotat heic Bellorius, ſignari hoc emblemate, etiam ψυχὴν ſeparatam retinere amorem illum ſeu affectum, quo olim in hac vita in amicos ferri ſueverit.

P. I. n. 9. extat Andromeda a Perſeo liberata. Hac ſignificari dicitur anima, poſt corporis interitum curis tandem & adfectibus vitioſis ſoluta, quibus hoc in orbe devoranda objiciebatur.

Perſeus ſimulacrum eſt virtutis, qua non in libertatem tantum, ſed in ipſum etiam ſtelliferum cœlum aſſeritur mythica iſta Andromeda.

Parte II. n. 36. Martis & Dianæ iconas non alia de cauſſa expreſſas divinat Noſter, quam quod fortaſſe defuncti Numina tutelaria fuerint. Hæc ſpeciminis loco attuliſſe juvat.

Miſſam jam faciamus mythologiam, & e Figuris ſeligamus nonnullas, eruditorum conſideratione non minus dignas. Prodiit Amſtelodami A. 1685. in 12. libellus hoc titulo inſignitus: *Selecti nummi duo Antoniniani, quorum primus Anni Novi Auſpicia, alter Commodum & Annium Verum Cæſares exhibet. Ex Bibliotheca Emin. Principis Camilli Card. Maximi, editi a Jo. Petro Bellorio.* In poſtica prioris numiſmatis, (quod in antica, vultu T. Ælii Hadr. Antonini Pii ſuperbit,) intra lauream repetias lemma: S. P. Q. R. A. N. F. F. OPTIMO. PRINCIPI. PIO. h. e. interprete Bellorio: *Senatus Populusque Romanus Annum Novum Fauſtum Felicem*, &c. Fuit autem, qui (teſte clariſſimo viro, Wilhelmo Erneſto Tenzelio, T. I. Colloquiorum menſtruorum Germanicorum p. 189.) ſiglas exponere maluit: *Æreum Numum Fieri Fecit.* Rationibus quibus inductus fuerit, ut ſentiret ita, loco citato legere eſt. Produxit nunc Bellorius P. III. n. 5. lampadem, quam & nos hic exhibemus, in qua Victoria
TAB. IV. tenet clypeum votivum cum inſcriptione: ANNO. NOVO. FAUSTUM. FEL..... Cæteræ enim literæ vetuſtate exeſæ viſum fugiunt. Hinc que putat, interpretationi ſuæ non leve pondus accedere.

P. I. n. 27. Circus ſpectatur, cum obeliſco, intra duas columnas quibus inſiſtunt Victoriæ, ara Neptuni, pulpito Prætoris & agitatore quodam quadrigæ. P. II. n. 9. Jupiter, Juno, Minerva, Sol, Luna, Venti duo & Neptunus, ſeu potius fluvius quidam, Tybris forſan. *Serapidem* in eo fruſtra quæſiveris; ut in Bellorii obſervationes p. 4. errore typographico irrepſiſſe videatur. Inter lucernas Chriſtianorum P. III. n. 31. refertur quædam efformata ad inſtar naviculæ, qua vehuntur Chriſtus & Petrus; antennæ affixus eſt titulus:

DOMINUS. LEGEM.
DAT. VALERIO. SEVERO.
EVTROPI. VIVAS.

quem *Michael Angelus Cauſeus*, (de cujus Muſeo plura nobis alias dicen-

dicenda erunt,) hac paraphrasi explicandum censuit: *Valerius Severus mortem, tanquam legem sibi a Domino impositam, constanti animo expectans, longiorem Eutropio vitam optat.* Bellorio videtur, Severum heic profiteri, sibi a gentili superstitione conversо datam esse a Domino novam legem (sive doctrinam) Evangelii; quo applicanda ducit verba Ps. XXIV. (Hebr. XXV.) *Dulcis & rectus Dominus, propter hoc Legem dabit delinquentibus in via.*

HERMANNI VVITSII MISCELLANEA SACRA.

Trajecti ad Rhenum apud Franciscum Halmam, 1692. in 4. Plagul. 11 7.

MIxtum opus hoc, & varia eruditione præstans, in quatuor Libros digessit Autor Clarissimus: quorum *primo* quidem de Prophetis egit & prophetia, perfecto justoque tractatu: *secundo* autem, Dissertationes sex diversi argumenti; *tertio* Diatriben unicam de septem Epistolarum Apocalypticarum sensu historico, an prophetico; & *quarto* denique Dissertationem de Donatistarum Schismate proposuit. Hoc loco non possumus, quin ex primo delibemus nonnulla, & quæ habeantur inibi recondita, Lectorum oculis breviter exponamus.

Modos itaque revelationis Propheticæ expositurus, immediatam initio a mediata secernit: Illam modo *simplicem* fuisse ait, seu p. 16. solo interno Spiritus instinctu peractam; modo *Symbolicam*, h. e. symbolis quibusdam insignitam: & symbola quidem vel externis oblata fuisse sensibus, vel phantasiæ; idque nunc contigisse vigilantibus, nunc dormientibus. Vigilantes aliquando fuisse visos sibi iis p. 19. in locis esse, ubi revera non fuerint, eaque ibi cernere, quæ non nisi imaginationi ipsorum repræsentabantur. Ad hunc modum Jesaiæ visum fuisse Jehovam, solio celso insidentem, c. 6, 1, 2; abs Jeremia depositum fuisse cingulum ad crepidinem Euphratis c. 13; & Ezechieli, inter deportatam multitudinem ad fluvium Chebaris versanti, apertos fuisse cœlos, ut videret visiones Dei, primo capite descriptas: eundemque Prophetam domi suæ inter seniores Judæ se-

dentem, visum sibi esse capitis cincinno arripi, & inter cœlum terramque deduci Hierosolymam, ut abominationes usurparet oculis, ab hominibus improbis in templo perpetratas, c. 8. 1. seqq. Nec alio revelationis genere ostensos fuisse Danieli dejectos thronos, libros apertos, formam judicii, Angelorum myriades, c. 7: Micheæ, Jehovam solio insidentem, & assistentem cœlorum exercitum, 1. Reg. 22. 19. Divoque Johanni in Apocalypsi pleraque. Neque vana hæc fuisse illusarum mentium repræsentamina, vel cassas rerum imagines, sed maximorum mysteriorum figuras, earumque vim non a corpore vel substantia objecti fuisse suspensam, verum abs aptitudine & claritate repræsentaminis.

Ad revelationem per *symbola* repræsentata phantasiæ, Ecstasin
p. 23. retulit, eamque non naturalem, nec diabolicam, multo minus fictam aliquam ab hominibus, sed vere divinam, qualem Danielis, c. 10, 8, 9. Joannis c. 1. Apocal. 17. & Pauli Act. 22, 17. & 2. Cor. 12, 2, 3, 4. exem-
p. 27. plis illustratam dedit. Dormientibus dein se patefeciſse Deum, quin & multa in communi providentiæ suæ cursu homines docuisse, per insomnia, ac voluisse nonnunquam, ut somnii oblivio caperet dormientem: idque Nebucadnezari, quo major conciliaretur fides in-
p. 30. terpreti, vere accidisse; secus ac l'Empereur, de Dieu, & Coccejus senserint, verba Chaldaica Dan. 11, 5. non de oblivione somnii, sed de judiciariæ sententiæ promulgatione exponentes.

Revelationem *mediatam* subinde factam esse per Angelos, confirmat exemplo Gabrielis, Dan. 9, 21. Luc. 1, 19. & 26. quod nomen, per verba, *Fortitudo mea Deus est*, exponit: imo factam fuisse per ipsum Dei filium, omnium Angelorum Dominum, illustris Angeli specie Prophetis aliquando apparentem, ex Dan. 10, 5, 6. evincit: a qua tamen persona apparente accuratis limitibus distinguit angelum ministrum, qui manu sua Danielem tetigit, compellavit, informavit: quem Gabrielem fuisse conjicit, eoque comma 17. ad hunc
p. 36. modum vult exponi: *Quomodo ergo poterit servus Domini mei hujus loqui cum Domino meo illo?* Ratione non dissimili ex Zacharia duos Angelos producit, erudientes Zachariam; quorū alter se pro Domino gesserit, ipse Dei filius; alteri certum quasi officium tribuatur loquendi cum Zacharia, c. 1, 8, 9, 11. adversus Cocceji sententiam, de Spiritu S. hæc interpretantis. Ubi excutiuntur insignia, quæ præ cæte-

ris

ris Prophetis Moſes habuit, προτερήματα & privilegia, verba Numer. 12, 8. (*ſimilitudinem Jehova intuetur*) de radio quodam divini ſplendoris eximio accipit, elucente fortaſſis in humana ſpecie, qualem Apoſtoli conſpicati ſint in Chriſto, Joh. I, 14; famamque Moſis, p. 44. ſeq. periniquis Joannis Clerici contumeliis læſam, ſtrenue defendit.

A revelatione ipſa, ſive patefactione, tranſit Autor ad præparationem animi revelationem recepturi, reſpondetque initio *Petro Petito, de Sibyllis L. 1. c. 8.* mentem hominis non poſſe ſpecies rerum præteritarum ſic componere, ut ex iis cognoſcantur res futuræ, quod talis compoſitio nitatur cognitione, & nexu cauſſarum, quibus homo deſtituatur prorſus in rebus contingentibus. Mentis & indolis præſtantiam multum valere quidem ad accuratiorem divinarum rerum perceptionem, non tamen ideo haberi eam pro diſpoſitione ad prophetiam poſſe, quod res hic occurrant toto genere diverſæ, ingenii nempe ſagacitas, & prophetia; illa in naturalium, p. 63. hæc in ſupernaturalium rerum claſſe conſtituta. Temperamentum, quod ex atra bile plurimum trahit, ad profundas, fixas, & ſublimes meditationes idoneum facere poſſe hominem concedit: p. 65. largitur etiam, tantam imaginandi vim in melancholicis fuiſſe aliquando, ut in ecſtaſin naturalem agerentur: nec abnuit, poſſe hoc affectu Dæmones abuti; poſſe & Spiritum gratiæ in ſubjectis piis, iſto morbi genere correptis operari: negat tamen inde confici, quod atræ bilis abundantia diſpoſitionis ad prophetiam vicem ſubeat: negat Davidem, Hemanem, Aſaphum, & alios Muſicæ præfectos atrabiliarios fuiſſe aut hypochondriacos: negat quoque Moſen iis accenſeri, metu licet ex aula Regis fugientem: negat, ſermonis tarditatem pro ullo, nedum perpetuo melancholiæ argumento poſſe venditari: nec opus fuiſſe ait humore nigro, ad ſuſtinendum quadraginta dierum jejunium, ſed divina virtute ſuſtentante: negat pariter, ad melancholicorum claſſem Eliam eſſe referendum, licet in montanis, & juxta torrentes degerit, partim ob hominum malitiam, p. 68. quorum furor erat fugiendus, partim ex mandato Dei, talem habitandi locum ipſi aſſignantis. Mirari adeo ſe ipſum, Petro Petito, Philoſopho & Medico Pariſienſi, tam aniles nænias vel in mentem unquam venire potuiſſe, vel excidere: nec abs re veretur, hujus commatis hypotheſibus eo abuſuros eſſe profanos cæteroquin ho-

mines, ut, quæ afferri audiunt de prophetiis, nil nisi melancholicorum hominum imaginationes & deliria esse criminentur.

p. 68. *Spinosæ* commentum, variasse semper pro temperamenti varietate prophetias, adeo ut tristibus non nisi tristia, lætis non nisi hilaria & jucunda revelata sint, iracundis minæ; contrariis exemplis & evidentissimis ipsius Mosis, Jesaiæ, Jeremiæ atque Danielis instan-

p. 71. tiis evertit atque destruit. Si quid veri de halituum haustu ex specubus narretur, id nullus dubitat ad præstigias malorum Dæmonum referre, credulos hominum animos prava superstitione dementantium. Non diffitetur interim, quod halitu ex terris, præsertim ex specubus prodeunte, hominis cerebrum miris modis possit affici. In antro Delphico ad fraudem cuncta fuisse comparata, non Eusebii tantum confirmat testimonio, verum & expressa nonnullorum, qui ad Romana quondam tribunalia rapti inde fuerint, confessione.

p. 75. seq. Dispositionibus falsis ita profligatis, veram præparationem ad prophetiam in scholis Prophetarum factam fuisse ostendit.

Agitationem ipsam, qua impulsi Vates ad prophetandum fuerint, tum expresso mandato constitisse, tum interno impulsu. Qua occasione Petrinus illustratur locus, & quare sermo propheticus ab eo dicatur firmior; quid diei & phosphori, quid ἰδίας ἐπιλύσεως nomine intelligendum; nec non unde orta sit tanta dictionis propheticæ diversitas, uberius explicatur.

A patefactione divinæ voluntatis Prophetarum verbis peracta, ad alterum genus, quod symbolicis eorundem factis absolvitur, progressus Autor, observat, Jesaiam vi mandati c. 20, 2. nudum, ve-

p. 91. ste nimirum exteriore posita, remotisque calceis obambulasse. Hoseam non jussum esse ducere scortum seu scortari cum scorto: neque legitimo matrimonio mulierem sibi junxisse olim fornicatricem: nec sibi visum in visione prophetica cum meretrice jungi: sed meram

p. 92. cuncta illa parabolam esse contendit, hoc sensu exaudiendam: Isti gloriantur, se uxorem meam & filios meos esse; tu vero suscipe personam meam ac prædica, perinde eos mihi esse uxorem ac liberos, ac si tu ex impurissimo lupanari sumeres tibi prostibulum cum suis spuriis, vel si uxor a te ducta in thorum suum conjugalem alios admitteret, & ex fornicatione liberos tibi pareret. Fecitque ita, id est, prophetiam sibi imperatam ad populum promte executus est, & sub

parabola

parabola fictæ mulieris emblematicis nominibus propositæ, filiorumque, quibus itidem emblematica sunt nomina, voluntatem Dei exposuit. Qua quidem explicatione propheticæ phraseos vim non enervari, postmodum ostendit. Quæstionem, an Ezechiel revera uni lateri trecentos nonaginta dies debuerit incumbere? adductis rationibus & pro negante, & pro affirmante parte facientibus, sic p.96. decidit, ut posteriores censeat præferendas, quidve desiderari possit in prioribus, reponat.

Ad scriptionem prophetiarum veniens, castigat στρεβλότητα & detorsionem Huetii, non veriti mandatum, quo volumen magnum sumere & scribere jubetur Esaias, c. 8, 1. de uxore ducenda, & procreandis liberis exponere. Non solum vero tabulis patentibus, conspicuo loco eum in finem affigendis, ut postquam essent prædicata, daretur omnibus publice legendi copia; verum & libris, ut perennarent, inscribenda fuisse divina oracula, Habacuci, Jeremiæ, & p.101. Jesaiæ locis confirmat, fassus modum, quo collecta in unum volumen fuerint singula, non esse perinde liquidum. Mosen jussum a Deo atque instigatum, verum autorem esse Pentateuchi, adversus Hobbesium, & autorem fabulæ Præadamiticæ, Spinosam item, Simonium, & Jo. Clericum, latius evincit, ad omnis antiquitatis fidem, ad clarissima ex Scripturis adducta testimonia, nec non ad Christi & Apostolorum autoritatem ita provocans, ut frivolis profanorum exceptionibus simul occurrat. Historiam interim de morte & sepultura Mosis, & loca pauca alia, a citeriori, Samuelis v. g. vel Esræ p.120. manu videri profecta; ea tamen neutiquam impedire, quo minus pro autore ipsius systematis, quod & leges, & prophetias, & historias ambitu suo complectitur, Moses habeatur. De notis veræ prophetiæ, verique Prophetæ sic sentit, ut statuat, non videri fieri posse, ut ullis revelationibus divinis Prophetæ inducantur in errorem. Quo loco & difficultates, quas Dei dictum Ezech. 14, 7, 9, 10; querela Jeremiæ c. 4, 10; historia Bileami, Num. 22, & Israelitarum, Jud. 20. ciere nonnullis solent, removentur. Bethelitici Prophetæ mendacium p.145. veritati confirmandæ & publicandæ insigniter inserviisse, Deumque prophetæ missionem alias obsignasse miraculis, alias insigni vindicta in immorigeros autoritatem eis conciliasse: quibus vero prophetiis p.149. eventus parum respondeat, illis tacitam subesse conditionem.

Consi-

Consideratione generali absoluta, Prophetarum præcipuorum historiam ita persequitur, ut de singulis inquirat, quando Prophetiæ donum & munus inceperit, quomodo continuatum, an denique & quando desierit: idque juxta potiores tres temporum periodos, *ante Legem* Mosaicam, *sub Lege*, *& sub Evangelio*. Ad Prophetas, florentes *ante legem* Mosaicam, Adamum retulit, Henochum, Noachum, Abrahamum, Isaacum, Jacobum, Josephum, Ethan & Heman Judæ nepotes, Jobum denique, & Bileamum, licet moribus improbum.

Sub lege constitutos, temporis locique ratione habita, in eos tribuit, qui in deserto, in Canaan, in Captivitate Babylonica, & post
p.183. eandem solutam exstiterunt. *In deserto* Mosen non tantum sub Deo Reip. Israeliticæ auctorem, fundatorem & legislatorem, verum & Prophetarum omnium facile principem extitisse, eundemque Theologiæ fabulari dedisse originem; nativitatem ejus, res gestas, obitum, & sepulturam plurimis scatere prodigiis. Quam ad classem
p.195. non Aaronem tantum, germanum Mosis, verum & omnes Pontifices, per prophetiæ instrumenta Urim atque Thummim respondentes, Nadabum & Abihu cum aliis e LXX senioribus Israelis; & rursus LXX seniores alios, quin & Eldad ac Medad, indignante licet Josua, Mose tamen suffragante, referendos censuit. Ex Mosis responso, quod Numer. 11, 29. legas, quinto versiculo c. 4. Epistolæ Jacobeæ non parum lucis accenditur.

De Prophetis *in Canaan* acturus Autor, inaugurationem Josuæ propheticum aliquid habere ostendit: divino eundem alloquio fuisse erectum, illud tamen mentis illuminatione potius constitisse, quam
p.214.seq. articulato sermone in aures illabente: Vaticinia de Christo a Davide non sine intentione prophetandi prolata fuisse, adversus Criticum
p.224. quendam Batavum tuetur, laudatum Clerico: a cujus quoque convitiis & calumniis, divinitatem librorum Salomonis vindicat. Pro-
227.
p.230.sq. phetarum non paucos esse, qui scriptorum nihil reliquerint: ad excidium vero vergente republica, oracula sua scriptis consignasse prophetas, & excidii causas ad posteros victuris chartis commisisse: quos ipsos hoc ordine statuit collocari oportere, ut primus eorum, certe inter primos habeatur Jonas, sequatur Hoseas, proximus huic sit Amos, quem Joel, Jesaias, Michæas, Nahum, Habacuc, Zephanias,

nias, Jeremias excipiant: ætatem vero Obadiæ incertam videri.

Ad Prophetas *in Captivitate* Babylonica datos ubi progreditur, quatuor facit deportationis gradus: abductionem *primam* anno primo Nebucadnezaris contigisse, *secundam* post Jojakimi rebellionem, *tertiam* factam esse sub Jechonia, & *quartam* in Zedekiæ regnum incidere. Insignis vero misericordiæ argumentum esse, quod captivis etiam Prophetas Deus dederit, Ezechielem videlicet atque Danielem: quorum γνησιότης divinaque autoritas perperam a nonnullis in dubium vocetur. 244. sqq.

Captivitate soluta, Judæis patriæ redditis tres adhuc Prophetas concessos legi, Haggæum, Zachariam, Malachiam: & Zachariam quidem una cum Uria ante multo, quam nasceretur, adscitum a Deo in testem fuisse putat, motus verbis Jesaiæ c. 8, 2. *Et conscivi mihi testes fideles*, eadem scil. olim vaticinaturos. Prudentiæ esse, aliquando respondere NON LIQVET, exemplo docetur quæstionis, qua, utrum Haggæus & Zacharias sub Dario Hystaspide, an sub Dario Notho prophetarint, disquiritur. p. 265. 269. 278.

Prophetarum *in Evangelica* historia laudatorum primum facit Zachariam, Johannis Baptistæ patrem: ad Josephum quoque Virginis beatæ sponsum, delatum more prophetico fuisse oraculum, nec non ad Simeonem: maximis prophetarum & suo merito, & ipsius Christi testimonio accenseri Johannem Baptistam: inter genitos e mulieribus neminem Johanne majorem esse, excepto tamen ipso Christo, qui in regno cœlorum μικρότερος ideo dicatur, quod & minor ætate, & posterior in ministerio fuerit. Johannem singulare aliquid in toto vitæ suæ instituto præ se ferentem, & commorationis locum, & habitum, & victum si spectes, edidisse luctuosæ pœnitentiæ, magnæque frugalitatis exemplum. Officium ejus præcipuum fuisse, prædicare baptismum resipiscentiæ ad remissionem peccatorum, auditores admonere, ut avide regnum cœlorum, quod præ foribus, arriperent, præsentem demonstrare Messiam, omniumque ad eum animos convertere. Martyrium ejus a Josepho, nec non Historiographis Hebræis aliis ita memorari, ut a testimoniis historiæ Evangelicæ non dissonet. Messiam, Judæis fatentibus, Prophetam Mosi similem, vel majorem, imo omnium prophetarum caput esse atq; dominum. Quo p. 284. p. 297. p. 299. p. 301.

loco & cauſſæ, cur Joſephi de eo teſtimonium a nonnullis pro genuino habeatur, rejiciatur ab aliis, exponuntur. Domino Prophetarum adjungi merito Apoſtolos: de quorum nomine, inſtitutione, munere, præeminentiis copioſe luculenterque egerit Friderici Spanhemii *Diſſertatio Hiſtorico-Theologica de Apoſtolatu & Apoſtolis:* proximo ab Apoſtolis ordine cenſeri Prophetas teſtamenti novi, 1. Corinth. 12, 28. Eph. 2, 20. & c. 3, 5. nec defuiſſe Prophetas ſtrictiſſime ſic dictos, Agabi futurorum prænuncii, Act. 11, 28, Prophetiarum de Timotheo 1. Tim. 1, 18, ut & excellentiſſimæ prophetiæ in Apocalypſi Johannea deſcriptæ, exemplo ſtabilitur. Poſt Prophetarum theoriam de Evangeliſtarum dignitate & munere agitur, & oſtenditur, nuperi cenſuram Crituci, quæ Protomartyris Stephani apologiam vexarit, ac ſi is lapſu mnemonico quædam diſtinguenda confuderit, injuſtam eſſe: exponiturque, quid apertura cœli in mirabili viſo Stephani noret; quid ille conſpexerit; quid item prophetici Cornelio contigerit, aliisque e plebe fidelibus.

p. 308. 315. 320.

Cumque magni ad rem Chriſtianam momenti ſit Apoſtolorum infallibilitas in docendo, illaque ab hominibus pravi ingenii adduci in controverſiam cœperit, agendum de ea ſibi accuratius peculiari capite cenſuit, ſupponendumque, non extendi eam ad facta ſingula: poſtmodum Spinoſæ, Clericiq; ſententiam ſincere ſanctæque ſumit expendendam: dictumque Chriſti Joh. XVI, 13. extenuari notat a Clerico: Pauli Petrique diſcrepantiam non tollere utriusque infallibilitatem in doctrina, neque Apologiam Pauli idoneum erroris eſſe argumentum.

339.

Ad Prophetiſſas cum devolvitur ſermo, non ſolum virilem, ſed ſequiorem quoque ſexum prophetiæ gratia ornatum fuiſſe, Miriami exemplo, Deboræ, Annæ (cujus de Meſſia vaticinium brevi paraphraſi explicatur) Huldæ ſub regno Joſiæ florentis, Mariæ Matris Domini, Eliſabethæ, Annæ Phanuelis filiæ, nec non quatuor filiarum Philippi docetur.

354.

Poſtremo loco de Prophetiæ continuatione ab Apoſtolorum exceſſu tractaturus Autor disquirit, an Prophetiæ donum, & munus Propheticum adhuc durent in Eccleſia? monetq; non videri quidem prorſus negandum, ad tertium aut quartum ſeculum illud viguiſſe; negat tamen promiſcue admittenda eſſe omnia, quæ narrantur a Patribus:

371.

negat

negat promiſſionem Joelis continuationem inferre perpetuam muneris Prophetici: negat etiam, poſt canonem Scripturarum conſummatum, Eccleſiam eodem indigere. In revelationum genere, quod prætenditur, elucere magis genium ſcribentis, quam characterem divini Spiritus: idque patere non ſolum Thaumaturgi formula, verum & in revelatione Chriſtinæ Panjatoviæ de adoranda Trinitate, inque Concione Angelica Cotteri, Orationisque Dominicæ paraphraſi. B. Lutherum ſcripto verbo contentum, a viſionibus & apparitionibus deſiderandis prudenter abſtinuiſſe: pie tamen factum eſſe a Zwinglio, quod divinam quandam (ita loquitur) manuductionem in explicandis Cœnæ verbis agnoverit. Münzeri Prophetias non ipſi tantum, verum & multis aliis fuiſſe exitio. Nicolai Drabicii vaticiniis non reſpondiſſe eventum, utut pro grandiloquentia ſua, non dubitaverit Apoſtolis ipſis ſeſe anteponere. Exemplorum adductorum contemplatione peracta concludit, Perſonas tales Deo eſſe committendas, neque impoſitam ſibi neceſſitatem putat determinandi, utrum hæc omnia finxerint improbe, quod ſuſpicari tamen charitas prohibeat, an illuſiones fuerint phantaſiæ, ſive ex melancholia, ſive alia quacunque cauſa; an vero divini aliquid ſubfuerit, quamvis non ſine mixtura illuſionum, quibus melancholica ingenia facile deprehendantur obnoxia. Non tamen a Deo crimini ſibi verſum iri confidit, ſi Scripturarum revelationibus contentus, prophetias omnes recentiores loco ſuo relinquat, ab eventu vel comprobandas, vel refutandas; nulloque tali vaticinio impelli ſe patiatur ad aliquid vehementer vel metuendum, vel ſperandum, nedum eo, ut terminos vocationis prætergreſſus, periculoſo unquam operi manum admoveat. 377.

379.

381.

389.

390.

ANGLICANI NOVI SCHISMATIS REDARgutio ſive Tractatus ex Hiſtoriis eccleſiaſticis, quo oſtenditur Epiſcopos, in ſaſte licet depoſitos, Orthodoxi Succeſſoris Communionem nunquam refugiſſe. Græce & Latine ex Cod. MSo. Editore Humfredo Hody S S. T. B. Coll. Wadh. in Acad. Oxon. Soc.

Oxonii e Theatro Sheldoniano 1691. in 4. Conſtat plagulis 7½.

FOetus hic Græci cujusdam Scriptoris est, qui, ut schismati sui temporis qualemcunque medicinam adhiberet, ex historia ecclesiastica probare voluit, Patriarchas solio suo etsi injuste deturbatos, unitatem ecclesiæ non scidisse, neque Successorum suorum, dummodo orthodoxi essent, communionem refugisse. Exempla eum in finem collecta pleraque ad Constantinopolitanam ecclesiam spectant, & omnia seculum decimum tertium antecedunt, nec inter Scriptores in hoc tractatu allegatos quisquam occurrit, qui post medium Seculi 13. floruerit. Ex quo colligere licet, Autorem hujus scripti labente Seculo 13, sub ditione Constantinopolitani Patriarchatus vixisse. Et cum hic tractatus in volumine MSC. Bibliothecæ Bodlejanæ, e quo nunc primum prodit, cum nonnullis Nicephori Callisti collectaneis connexus sit, suspicari licet, quod eundem Autorem agnoscat. Id solum huic sententiæ refragatur, quod Nicephous Callisti in catalogo Patriarcharum Constantinop. qui eodem volumine manuscripto continetur, inter Patriarchas, qui sub Isaacio Angelo hanc sedem tenuerunt, duos Dositheos numeret, cum hic de schismate tractatus unum tantum referat. Adjecta est a Doctissimo Editore interpretatio Latina & præfatio, qua causam editionis aperit, etiam in ipso titulo non obscure indicatam. Nimirum quibusdam Anglis Episcopis nuper depositis persuadere cupit, ut degradationem suam sive juste sive injuste factam tolerare, quam ecclesiæ unitatem novo schismate perturbare malint, cujus rei gratia Clementis Romani, Dionysii Alexandrini, Gregorii Nazianzeni, Johannis Chrysostomi aliorumque veterum dicta & exempla in medium producit.

NOVA LITTERARIA.

EX ITALIA. Eques *Dominicus Fontana*, celebris Architectus, paratū jam habet insigne opus, Vaticanæ Basilicæ tam antiquæ quam recentis Descriptionem continens, multis æneis iconismis exornandum, quod propediem prælo committetur. *P. Benedictus Bacchinus* Casinensis, Sereniſſimi Ducis Mutinensis hoc tempore Historiographus, Johannis Baptistæ Pignæ Historiam Principum Atestinorum, jussu Heri sui, continuare decrevit. Idem *Diarium Eruditorum*,

torum, quod Italico sermone A. 1686 Parmæ cœpit edere, nunc Mutinæ pertexit: ut adeo, cum in Actis mensis Januarii anni præsentis pag. 47. diximus, *non esse, ut Parmensis Diarii ulteriorem nobis continuationem polliceamur*, fama publica nos deceperit. *P. Gaudentius Robertus* Carmelita interim progreditur in edendis *Miscellaneis Italicis Eruditis* (conferantur Acta Eruditorum A. 1650. pag. 585.) & peculiare Opusculorum Mathematicorum volumen propediem absolvet, quo præter ea, quæ dudum quidem edita, in officinis tamen librariis obvia non sunt, varia quoque *Galilei de Galilæis, Alphonsi Borelli*, Cardinalis *Michaëlis Angeli Riccii, Eustachii de Divinis*, & aliorum meletemata, quæ in manus omnium nunquam pervenerunt, comparebunt. Romæ *Emanuel a Schelstrate*, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, Antiquitatibus suis Ecclesiasticis immortuus est, quarum primum volumen, & secundi folia quædam, paucis ante obitum diebus, vidit, typis Collegii de Propaganda Fide impressa. Ei in administranda Vaticana Bibliotheca P. *Henricus de Noris*, Jesuitis (quos in Gallia procurasse constat prohibitionem Historiæ Pelagianæ ab eodem doctissimo Viro ante plures annos editæ) nequicquam obstantibus, successurus dicitur.

EX ANGLIA. Intra mensium paucorum spatium e vivis excesserunt celeberrimi viri, *Robertus Boyle* Philosophus præstantissimus, nec Angliæ tantum suæ, sed totius orbis literati eximium decus; *Richardus Baxterus* Theologorum Presbyterianorum facile princeps; *Richardus Lower* Medicus excellentissimus, & *Paulus Colomesius* Polyhistor clarissimus. *Henrici Dodwelli* Prælectiones Academicæ de vita Trajani, & ad Historiæ Augustæ Scriptores, una cum Annalibus Plinianis & accurata epistolarum ejus serie Chronologica ad finem vergunt, post paucos menses edendæ. Historiæ Plantarum volumen alterum sub prælo habet *Bobartus* Horti Botanici apud Oxonienses Curator. Chronicon Saxonicum a Wheloco olim cum Bedæ Historia Ecclesiastica Anglo-Saxonica editum, ex codicibus manuscriptis triplo auctius brevi dabit *Gibsonus* Oxonienſis e Collegio Reginali. *Isaacus Newtonus* Mathematices Professor Cantabrigiensis, novum Philosophiæ Systema meditari dicitur. Sub prælo jam fervet *Dictionarium Angliæ & Walliæ*, tribus partibus distinctum, quarum prima Geographica est, altera Historica, tertia Politica. Alii *Dictionario Histo-*

rico Moreriano in linguam Anglicam transferendo gnaviter incumbunt; fingunt, refingunt, addunt, detrahunt, adeo ut novum potius opus, quam versionem censendi sint procudere.

LIBRI NOVI.

JO. Georgii Fueslini Conclavia Romana reserata. Tiguri 1692. 4.

Jo. Jac. Hottingeri Sfortia Pallavicinus infelix Concilii Tridentini vindex. Tiguri 1692. 4.

Jo. Ciampini disquisitio de duobus emblematibus, in quorum altero disceptatur, an duo Philippi Imp. fuerint Christiani. Romæ 1691. 4.

Jo. Dan. Majoris prodromus Atlanticæ, vel regnorum Septentrionalium in Achate albo expressorum declaratio præliminaris chorographica. Kilonii 1691. 4.

Jo. Molleri Isagoge ad historiam Chersonesi Cimbricæ quadripartita. Hamburgi 1691. 8.

Petri Francii Orationes in unum collectæ. Amstelodami. 1692. 8.

Mart. Mauritii tractatus philol. de sortitione veterum, cumprimis Hebræorum. Basileæ 1692. 8.

Theod. Jans. ab Almeloveen Bibliotheca promissa & latens. Goudæ. 1692. 8.

Wilh. Ern. Tentzelii Exercitationes Selectæ. Lipsiæ 1692. 4.

Joh. Braunii Doctrina fœderum, sive Systema Theologiæ didacticæ & elenchticæ. Amstelod. 1692. 8.

Erici Mauritii Dissertationes ex Jure publico, feudali & privato, in unum Volumen collectæ. Francof. 1692. 4.

Eliæ Veieli epistola de summa dignitate studii medici, juxta mentem Sanctorum Patrum. Francof. 1692. 4.

Joach. Hildebrandi Theologia dogmatica. Helmstadii. 1692. in 4.

Justi Chr. Schomeri disputationes de Collegiatismo. Luneburgi 1692. 4.

Nova Bibliotheca Autorum Ecclesiasticorum, autore L. Ellies du Pin. Colon. Agr. 1692. in 4.

Pensées Ingenieuses des Anciens & des Modernes. Recueillies par le P. Bohours. Nouvelle edition. A Paris 1692. in 12.

Histo-

Hiſtoire de Guillaume III Roy d' Angleterre &c. par Medailles, Inſcriptions, Arcs de Triomphe &c. recueillis par N. Chevalier. A Amſterdam 1692. in fol.

Hiſtoire des Conciles Generaux, commençant par le premier Concile de Nicée. A Paris 1692. in 4.

Comedies de Plaute, traduites en François par Mad. Le Fevre, avec des Remarques &c. Derniere edition. A Paris 1691. in 12.

Les Oeuvres de Lucrece, traduites en François avec des Remarques par M. le Baron de Coutures. Derniere edition. A Paris 1692. in 12.

Du Royaume de Siam, par Mr. de la Loubere. A Amſterdam 1691. in 12.

Entretiens Hiſtoriques ſur le Chriſtianiſme de l'Empereur Philippe. A Utrecht 1692. in 12.

Traité de la Verité de la Religion Chretienne par H. Grotius, traduit par P. L. J. A Utrecht 1692. in 8.

Exercitationes de Utilitate Philoſophiæ Naturalis Experimentalis propoſitæ a Dn. Roberto Boyle una cum ejusdem Annotationibus. E genuina editione Anglica in linguam Latinam translatæ. Lindaviæ 1692. in 4.

Hiſtoire de la Vie de David, par Mr. L' Abbé de Choiſy. A Amſterd. 1692. in 12.

Chronicon Egmundanum authore Fr. Johanne de Leydis &c. Primus edidit adjectis obſervationibus Antonius Matthæus. Lugd. Bat. 1692. in 4.

Hiſtoire Eccleſiaſtique par Mr. Fleury, A la Haye 1692. in 12.

De Leere Chriſti, ende den Staat van zijn Kooningriik, verhaalt van Mattheus Cap. XII. XIII. verhandelt ende uitgebreid door Rumoldus Rombouts. Tot Leiden 1692. in 4.

L. Annæi Flori Res Romanæ cum notis Jo. Georgii Grævii & variorum. Amſtel. 1692. in 8.

Les

Les Oeuvres de Mr. de Méré. A Amſterdam 1692. in 12.

Les Oeuvres des Poeſies d' Anacreon & de Sappho, en Vers Grecs & François, avec des Notes, per M. Longepierre. Amſterdam 1692. in 12.

M. Jacobi Molleri Tractatus de Cornutis & Hermaphroditis, eorumque jure. Francof. 1692. in 4.

Andreæ Reinbecks Doctrina de Accentibus Hebræorum. Accesſit Dn. Hermanni Van der Hardt Diſſertatio de Accentuatione. Francofurti 1692. in 4.

Grammatica Ebrææ linguæ Wasmuthiana, & Lexicon Ebrææ linguæ Philologico-Grammaticum, cura M. Gothofredi Steinbrecheri. Lipſiæ 1692. in 4.

M. Tullii Ciceronis de Officiis Libri III, & Paradoxa VI. cum notis Alberti Chriſtiani Rotth. Lipſiæ 1692. in 8.

Johannis Oldendorpii Sylloge Exceptionum Forenſium, reviſa & neceſſariis Supplementis ad forum potiſſimum accommodata ab Andrea Chriſtophoro Röſenero J.V.D. Lipſiæ 1692. in 4.

Dan. Georgii Morhofii Pars ſecunda Polyhiſtoris ſive de notitia autorum & rerum Commentarii. Lubecæ 1692. in 4.

Chriſtiani Junckeri Schediaſma de Ephemeridibus ſeu Diariis Eruditorum in nobilioribus Europæ partibus hactenus publicatis, cum Centuria fœminarum eruditione & ſcriptis illuſtrium, Lipſiæ 1692.

LECTOR BENEVOLE.

Cum in Actis A. 1690. p. 18. & ſqq. librum Gallicum, *La Defenſe de l' Egliſe contre le livre de Mr. Claude*, cujus exemplar ad nos pervenerat Autoris nomen minime præferens, recenſeremus, in ea perſuaſione fuimus, Scripti illius non alium autorem eſſe, quam *D. Antonium Arnaldum*. Ex quo factum, ut in Indice quoque Autorum illius anni, liber hic Arnaldo fuerit tributus. Nunc vero ignorare Lectorem Benevolum nolumus, perveniſſe poſtea ad nos ejusdem Operis exemplar aliud, in quo tum in titulo ipſo, tum in Approbatione Gilberti, Epiſcopi Tornacenſis, d. 15. Jun. A. 1689. perſcripta, verus libri Autor nominatur Rev. *P. d' Antecourt*, Canonicus Regularis, Cancellarius Eccleſiæ S. Genovefæ & Univerſitatis Pariſienſis. Unde & huic in Indice liber merito erit vindicandus.

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Junii Anno M DC XCII.

REFLEXIONS SVR LES DIFFERENS DE Religion. Quatrieme partie &c.

Considerationum de Religionis controversiis pars quarta, qua continentur responsiones ad objectiones ex Germania missas, tractaturque de unitate Ecclesiæ, & sectarum tolleratione atque admissione in ipsa Ecclesia.

Lutetiæ Parisiorum apud J. Anisson 1692. in 12.

ILlustris Pellissonius, eloquentia & eruditione non minus quam admissione in aula sui Regis celebris, libros aliquot Reflexionum de Religionis controversiis Gallica lingua per intervalla edidit. Parte *prima* inprimis ostendere aggressus erat, necessitatem Protestantibus esse impositam, exactissime examinandi suam fidem; examen autem tale in plerisque hominibus locum non habere, & vix reperire exitum; itaque sequendum esse lumen generale & commune totius Ecclesiæ, infallibilitatemque hujus & necessariam esse & promissam. Specimen tamen examinis cujusdam subjecerat de Eucharistia. Addiderat denique relationem Latinam de statu religionis in Gallia, qui erat anno 1682, non minus eleganter scriptam, quam alia plura, ab eodem Autore Gallica lingua, in qua regnare merito creditur, edita, quæ publice prostant. Subjiciebantur probationes, autorum verbis Parte *secunda* respondit objectionibus ex Anglia & Batavia missis. De quibus quidem prioribus duabus partibus in Actis Eruditorum A. 1689 pag 64. & seqq. diximus. *Tertia* peculiariter reposita fuit celeberrimo *Jurio*, de qua in Supplementis A-

ctorum dicetur. *Quarta*, quam hic recenſemus, tali occaſione nata eſt: Forte Sereniſſima Duciſſa quædam, quæ non minus regia origine, quam magnis vivacis ingenii luminibus eminet, in Pelliſſonianas Reflexiones quædam notare juſſit ſuæ aulæ Virum, non Theologum quidem, neque tamen controverſiarum Religionis expertem aut incurioſum. Præſtitit hoc ille breviter, & ut argumentum & Adverſarius merebantur, modeſte & reverenter. Pelliſſonius acceptas notas adeo non ægre tulit, ut potius teſtatus ſit elegantiſſima reſponſione, nihil accidere ſibi potuiſſe gratius. Ita continuato commercio, perpetuo tenore humanitatis, natum eſt, quod libellum impleret, quem Vir ampliſſimus, ut harum ex Germania miſſarum objectionum non minus quam aliarum ratio haberetur, Lutetiæ Pariſiorum nuper in lucem dedit, rarum & laudabile ſpecimen ſervatæ in verbis moderationis ſine rerum præjudicio. Sed ad libri contenta veniamus.

Objector, præfatus, quantum delectatus ſit maſcula & efficaci Pelliſſonii eloquentia, doctrinæ & ingenii ubique velut luminibus illuſtrata, putat tamen non nihil ejus demonſtrationi adhuc deeſſe. Ante omnia admittit aut ponit, neminem ſequi religionem aliquam aut mutare poſſe, niſi fundamentum ejus habere ſibi videatur. Itaque omnibus opus eſſe nonnullo *examine*; alioqui religionem arbitrariam fore. Deinde duplices ait perſuadendi rationes eſſe, explicabiles ſcilicet, aut inexplicabiles; multa enim nos intimo quodam ſenſu percipere, quæ diſtincte exponere aliis nequeamus. Ad *rationes* autem *inexplicabiles* revocari debere lumen internum, ac velut radium divinæ gratiæ animum convincentis, quem non Proteſtantes tantum, ſed & Pontificii admittant, quippe fidem divinam penitus certos nos reddentem diſtinguentes a magna probabilitate ſeu fide humana, quam gignere poteſt collectio argumentorum ſane pulcherrimorum pro religionis Chriſtianæ veritate, quibus vulgo nomen imponitur motivorum credibilitatis. Conſtare autem, multos fideles has rationes parum habere exploratas, & inexplicabili illo Divini Spiritus motu contentos non ideo minus ſalvari, quam doctiores. Putat igitur, debuiſſe Pelliſſonium de hujus quoque *radii cæleſtis* vi perſuaſoria tractare, & veri luminis ab illuſionibus diſcernendi rationes exponere, ut hoc præſidio Proteſtantes depellerentur, quibus veritas divini verbi ſua luce radiare judicatur. Progredi-

greditur deinde Objector ad *rationes explicabiles*, & has ait esse vel generales, vel particulares. Generales vocat *præjudicia*, vel ut Tertullianus vocabat, *præscriptiones*; speciales autem rationes facere ait *discussionem*. His positis, Pellissonii argumentum ita format: Necesse est, ut detur præjudicium infallibile; sed hoc si datur, non potest reperiri, nisi in Romana Ecclesia; itaque Romana Ecclesia est infallibilis. Objector missa nunc quidem posteriore præmissarum, missis quoque nunc aliis a Pellissonio adjectis rationibus, & peculiari tractatione Eucharistiæ; priori præmissæ sese ait velle immorari. Hanc rursus Pellissonius ita probare videtur: Nisi daretur infallibile præjudicium, omnes forent obligati ad perfectam discussionem; sed hæc obligatio locum non habet, quia talis discussio a plerisque præstari nequit; itaque datur præjudicium infallibile. Objector concedit, plerosque non posse onerari discussione accurata controversiarum; addit etiam, se nolle hic uti distinctione inter controversias fundamentales aut non-fundamentales, quoniam regerere possit Pellissonius, saltem aliquas fundamentales controversias dari, & respectu earum discussione aut infallibilitate opus fore: consequentiam tamen negat a discussionis exclusione ad necessitatem infallibilitatis, eamque infringi statuit tum ex principiis communibus, tum ex principiis ipsorum Pontificiorum peculiaribus. Commune esse principium, quod fides divina generari possit a lumine interno inexplicabili divinæ gratiæ per verbum Dei, quod lucerna est pedibus nostris, sese insinuante etiam in eorum animis, qui examina & rationes pro veritate religionis ignorant, quales sint Christiani plerique. Peculiaria præterea esse principia ipsorum Pontificiorum, quæ minime Protestantes probent, imo passim in scriptis refutent: his tamen prorsus everti necessitatem infallibilitatis. Scilicet passim quidem gloriari Pontificios contra Protestantes, & hoc suæ Ecclesiæ privilegium edere, quod ipsa damnet alias, non vero vicissim a Protestantibus damnetur. Sed hoc, re curatius inspecta, falsum reperiri, nullosque laxiores esse in omnibus, non hæreticis tantum, sed etiam Ethnicis ad salutem admittendis, quam Pontificios, inprimis Jesuitas, & his consentientes alios Scholasticos; quemadmodum sane dudum ea de re graviter questi sint Theologi Protestantes. Nam secundum Doctores Scholasticos complures & celebres, ad salutem tantum opus esse amore

Dei super omnia, etiamsi absit notitia particularis Christi secundum humanitatem; & si quis peccatum mortale admisisset, posse etiam extra Ecclesiam & sine Sacramentis remissionem peccatorum obtinere, modo Deum amet super omnia, & ex hoc principio vere pœnitentiam agat, quam vocant *contritionem*; eam vero, quæ metu pœnæ aut spe præmii fit, *attritionem* appellari, & solo auxilio Sacramenti pœnitentiæ seu Clavium Ecclesiæ, amoris defectum supplente, convalescere. Itaque consequi, Catholici supra hæreticum, imo Christiani supra infidelem, non aliud fore privilegium ex Doctorum celebrium Pontificiorum mente, quam quod Catholico attritio sufficiat, alius vero contritione seu sincero amore Dei indigeat. Verum hoc privilegium a Protestantibus non attendi, qui putent, amorem Dei filialem ab omnibus requiri. Ita ad nihilum recidere Ecclesiæ Romanæ prærogativam, & cum proinde non minus extra ipsam, quam in ipsa, ex ipsorummet Pontificiorum Doctorum principiis salventur homines; cumque secundum ipsos Pontificios (summo quodam laxitatis gradu) nullus articulus fidei sit ad salutem necessarius, modo quis ex vero amore obedire Deo & voluntati ejus atque Ecclesiæ, si cognosceretur, paratus sit, tolli ab ipsis omnem necessitatem infallibilitatis.

Pellissonius respondens, laudatocando re & moderatione Objectoris, primum ad lumen illud rationum inexplicabilium, & quas Jurius quoque ursserit veritates, quæ intimo sensu potius quam rationibus percipiantur, (*Vérités de Sentiment*) regerit, non esse fidendum sensui particulari contra sensum generalem. Privilegium infallibilitatis nostri illius sensus interni, lumen aliquod apparens aut verum sentientis, non esse probatum; privilegium vero infallibilitatis Ecclesiæ esse probatum. Non posse dari notam internam, qua lumen verum ab illusorio discernatur, & si quod daretur indicium veri luminis, id fore humilitatem ejus qui illuminatur, suum spiritum Ecclesiæ & divinæ ordinationi submittentis. Impugnat deinde eos, qui distinguunt inter articulos fundamentales & non-fundamentales: qua occasione ait, minimum etiam errorem in fide cum rebellione conjunctum salute privare posse; solam societatum Ecclesiam divinis legibus gubernari; omnis societatis hanc legem esse, ut qui eam abrumpunt, fructu ejus careant, tanto magis

gis a Deo institutæ; qui secus sentiant, similes videri amatori multivago & amicæ inconstanti, poetisque in fabula Astrææ, qui legibus amicitiæ magno apparatu constitutis omnia subvertant, hac una clausula postremo subjecta, ne quis eas servet invitus. An tale, inquit, fœdus Deum cum sponsa percussisse credemus? Quin potius urget, excommunicandi potestate armatam esse Ecclesiam, neque id negare Protestantes; nam anathema, maranatha, maledictiones etiam illis in ore esse: vana autem hæc verba fore, vana Dei promissa, nisi Ecclesia vera visibilis efficacia anathemata pronuntiare possit. Hæc a se dudum fortiter astricta, Jurium quantumcunque ad effugia ingeniosum, dissolvere frustra conatum in quadam Epistola Pastorali. Si vero sufficiat bonam fidem & conscientiæ dictamen separationi prætexere, nullum unquam hæreticum fuisse. Deinde eos, qui spretis revelatis veritatibus & controversiis, omnes ad salutem admittant, virtutem colentes, negat sibi probari. Bourignoniam, Poiretum & alios quosdam nuper talia jactasse. Socinianos, & qui Deistæ vocentur, plurimum ad has sententias propagandas contulisse. Inde natum genus *Tolerantiæ*, ubi non jam de civili toleratione agatur, (cujus admissio aut rejectio a mille circumstantiis pendeat) sed de ecclesiastica; nec quæri amplius, an vita hæc indulgenda sit Sociniano, sed an promittenda æterna. Salvianum quidem Arianos, & Gregorium Nazianzenum Episcopum Constantii Imperatoris, protectoris eorum, acta excusasse, sed non ideo salutis illis spem fecisse, dum in errore perstarent. Equidem hunc Gregorium, & amicum ejus Magnum Basilium, a Divinitate Spiritus sancti nominanda abstinuisse, sed satis rem dixisse. Quod amorem Dei attineat, equidem in eo recte accepto contineri omnia, sed non magis eum cum hæresi posse stare, quam cum latrocinio & homicidio; nec alio sensu explicandos bonos autores, qui omnia ad hunc amorem revocent. Non amandum esse idolum Dei, quod sibi quisque facit, sed Deum, qualis est Ecclesiæ revelatus. Alioqui religionem Judaicam & Christianam, quæ solæ veræ sunt, dum alias excludant, solas potissimum falsas repertum iri. Atque in his Protestantes habebit facile assentientes. Quia autem objectum erat, Scholasticos Doctores plurimos *tolerantiam Ecclesiasticam laxissimam*, ad paganos ipsos extensam, & a Protestantibus etiam reprehensam statuere,

non diffitetur quidem aliquos locutos durius, non paucos tamen ad bonum ſenſum poſſe revocari. Sed quicquid ſit de Scholaſticis, non ex ipſorum placitis, ſed definitionibus conciliorum, confeſſionibus publicis, & Catechiſmis approbatis petendam eſſe fidem. Eaque occaſione in digreſſionem perelegantem de Scholaſticis exſpatiatur. Equidem contemnendam non eſſe *Scholaſticam Theologiam*, cui omnia accuratius expreſſa debeamus, ut hæreſibus occurratur. Sed eſſe Scholaſticos ex autoritate & meritis diverſos, & ſæpe fieri, ut loca ignotorum autorum a Proteſtantibus magno apparatu producantur & exaggerentur fruſtra. Atque hoc unum eſſe exſcandalis Proteſtantium acceptis, non datis. Loqui Scholaſticos peculiari ſibi lingua, & ſæpe autorem Hiſpanum in Gallia minus intelligi, etiam cum Latine ſcribit; dari Hiſpanam aut Germanicam Gallicamve latinitatem; his accedere terminos novos, quos ſæpe Autor ſibi faciat. Hinc naſci difficultatem intelligendi; ſæpe etiam fieri, ut objectiones pro ſententiis autorum accipiantur. Approbatores librorum non poſſe rigide excutere omnia, præſertim in autore, qui ſua omnia Eccleſiæ ſubmittere ſit paratus. Eſſe iſtis ſcriptoribus jus venena non minus quam remedia tractandi. Nonnulla illos abſtracte conſiderare, atque ex hypotheſibus vel impoſſibilibus vel imaginariis ſubinde ratiocinari. Id illis contingere, qui amorem Dei fingant a vera Dei cognitione ſeparatum, cum hoc ſit amare non Deum, ſed idolum ſuæ mentis. Ex ſimili cauſa nuper natam eſſe *peccati Philoſophici* controverſiam; nam cum Paulus ſæpe dicat ſine lege peccatum nullum eſſe, ex hoc pariter ac locis quibusdam Aquinatis (qualis eſt lect. 2. in c. 7. Epiſt. ad Romanos, ubi dicitur, ſine lege peccatum cognoſci, quatenus eſt contra rationem, non quatenus importat offenſam divinam) male intellectis, quoſdam finxiſſe hominem omnis legis naturalis invincibiliter ignarum, adeoque ex imaginaria ſuppoſitione theologice impeccabilem. Inde regreſſus ad *Scholaſticos in ſalvandis Ethnicis laxos*, agnoſcit ante ipſos & Clementem Alexandrinum vel erraſſe, vel ita ſaltem explicandum eſſe, ut qui ſemper rectam rationem perfecte ſecutus ſit, eadem Dei gratia ſpeciali, qua ſit a peccato ſervatus, etiam ſalutem nanciſcatur. Sed talem hominem fictitium eſſe, nec fortaſſe Clementi tale quid in mentem veniſſe. Sed nec, ut quidam Scholaſtici credi-

crediderint, Redemtorem sola ratione sufficienter agnosci posse. Subjicit deinde Perronii Cardinalis locum, qui libere non minus & docte de Scholasticis, eorumque abusu judicavit.

Secuta est replicatio Objectoris, unde brevitatis causa aliqua tantum excerpemus. Quærit, si nullum sit indicium veri luminis interni, unde ergo fiat, quod omnes fateantur convictionem divinæ fidei a gratia esse, non a rationibus seu motivis, quæ tantum faciant humanam fidem? Et si ad *fidem* Ecclesiæ *probatam* sit recurrendum, opus fore magna discussione de veræ Ecclesiæ notis & probationibus, cujus simplices non sint capaces. Concedit, minimum in fide errorem cum rebellione conjunctum damnare, sed non omnem excommunicatum esse rebellem; posse enim excommunicationes injustas pronuntiari; efficacem esse sententiam, sed clave non errante. Deum autoritatem suam commodasse Ecclesiæ, & præstare ipsi, quod est extremum in jurisdictione, hoc est executionem, sed non contra innocentes. Posse fieri, ut exigant Ecclesiastici superiores, quæ nequeant præstari; verbi gratia simulationem, retractationem, aliaque conscientiæ contraria; & in ea re errorem in Superiores cadere. Quin & convenire Theologos, condemnationem ad hæreticos formales pertinere, materiales autem, seu qui non sunt vere inobedientes, non ferire. Si in mentem veniret Superioribus condemnationem Copernici urgere, optimos Astronomos vel invitos excludum iri visibili Ecclesia, vel hypocritas fore. Sic igitur qui excommunicatione injusta exclusus sit, eum in Ecclesia esse *in voto*, revera quidem quoad fructum, licet invisibiliter; quemadmodum Sacramentorum non absentia sed neglectus damnet, & baptisma flaminis admittatur. Neque vero uspiam infallibilitatem Superiorum in Ecclesia esse stabilitam, neque obedientiam illis deberi absolutam. Præjudicia majoris numeri autoritatisque Superiorum elidi contrariis sane magnis præjudiciis, quale sumitur a cultibus novis Deo displicentibus, ejusque mali remedia potius promitti, quam præstari. Opponi Patres Patribus, novitates novitatibus, argumenta argumentis, nec minus maledictionis illis metuendum, qui de abominationibus participent, quam qui unionem recusent. Nec facile esse velut in libra expendere momenta conflictantium rationum, eoque iniquiores esse, qui temere judicent de anima aliorum. Pulchra

chra subinde dixisse Meldensem Episcopum, Arnaldum, Pellissonium, Nicolium, aliosque id genus insignes Viros, sed elegisse argumentum aliquod plausibile, ubi licuerit versari cum aliquo successu; sed hanc, si quæ sit, particularem victoriam & velut velitationem nil facere ad summam rerum. Superesse igitur, ut ostendatur, quousque extendatur Superiorum autoritas, aut redeundum esse ad discussiones speciales. Denique recte Pellissonium monere, verum amorem Dei habentem non debere negligere revelatas a Deo veritates, sed nec judicium Ecclesiæ contemnere, & omnino, quoad ejus fieri potest, pro cujusque conditione, divinæ voluntati cognoscendæ & cognitæ exequendæ operam dandam esse.

Postremo sequitur duplicatio Pellissonii. Gratulatur Objectori, quod aliquo modo visibilis Ecclesiæ, & in ea superiorum autoritatem admittere videatur, eique & docilitatem & charitatem deberi agnoscat. Sed hanc liberalitatem adjecta limitatione Clavis non errantis, aut distinctione excommunicationis justæ ab injusta corrumpi; cum tamen error non cadat in totam Ecclesiam: & inane ejus privilegium fore, si Deus ejus acta rata tantum habeat, si justa sint; nec præstet, ut sint justa. Non facile se dissentire a receptis distinctionibus; itaque admittere, quos vocent, hæreticos materiales, qui tamen rectius appellentur hæretici apparentes & nominenus tantum; sed sæpe nocere has distinctiones male usurpatas. Quemadmodum enim invaluerit, ut quædam politice vera aut recta dicantur, non Christiane; unde quidam Politici parum Christiani sese tamen aliquam veritatem sequi somnient: ita qui sibi persuadeant, quosdam hæreticos esse salvabiles, facile adulari negligentiæ suæ. Et videtur num 8. materiales hæreticos ad eos restringere, qui vixere ante definitionem Ecclesiæ, aut eam noviſſe non potuerunt Uti Baptismum in *voto* supponere constat agnitionem veræ fidei, ita ait & qui in Ecclesia in voto sit, debere ejus doctrinam probare. Quamvis autem Objector loquens de abominationibus, nolle se urgere dixerit, quæ de Pontifice Anti-Christo agitantur, Autor tamen fatetur & sibi olim Protestanti hanc ideam sedisse animo, ante studium Antiquitatis. Ecclesias aliarum Metropolium non solitas nisi raro recurrere ad Romanam, & tamen dogmata Romana toto Oriente fusa esse, non ergo Papæ imputanda, Porro Ecclesiam non posse reformare doctrinam,

nam, posse mores & praxin; hactenus & Lutherum profuisse, sed ex accidenti, ut scandala nasci bonum sit. Abusum plebis circa imagines & similia bonis exemplis tollendum potius, quam in Ecclesia rejiciendum; jam dudum libros sacros in omnium manibus esse; disciplinæ esse, ut aliquando vetentur, uti cibus ægro subtrahitur. Nec dubium esse, quin Principes Protestantes sibi & suis facile calicem impetrare queant; vix decennium esse, quod talia in ipsa aula Gallica cum applausu sint audita, & a piis Episcopis laudata, cum ad Protestantium Galliæ conversionem non alia adhuc media quam persuasiones & gratificationes adhiberentur; et speratam fuisse Romæ ipsius approbationem, nisi (inquit) nostræ Regaliæ & immunitates intercessissent. Tandem licet omnia hæc scripta fuerint sine edendi consilio, subjicit ex Objectoris literis, quæ ille dixerat de magna Regis Christianissimi potentia & heroicis dotibus, quas optandum sit ad publicam salutem converti. Habere illum in manu felicitatem aut infelicitatem mortalium. Id unum superesse, ut ipse aliquando salutari reflexione divinitus data agnoscat veram magnitudinem suam, quippe quæ non tam regni amplificatione, quam bono generis humani procurando contineatur. Neque eum, qua est potentia & autoritate, ea in re quæ omnium maxime heroica est, nisi a se ipso impediri posse; & summam Pellissonii eloquentiam non rectius collocandam, quam ut Regi persuadeat, quid possit, & quantopere hoc sensu & vere sit magnus & porro esse queat. Ex agnita autem facultate, fortasse & voluntatem adipiscendæ tam solidæ gloriæ orituram. Laudes Principum sæpe noxias esse, sed felicissimum hunc ejus fore Panegyricum, cujus successu, flexo Regis animo, tranquillitas orbi Christiano renasceretur.

REFLEXIONS MORALES DE L' EMPEREVR Marc Antonin, avec des remarques de Mr. & de Mad. Dacier &c.

id est,

Imperatoris Marci Aurelii Antonini libri ad se ipsum, Gallice versi & notis illustrati a Dn. Dacerio & uxore ejus. Tomi II.

Ultrajecti apud Franciſcum Halma 1691. Editio ſecunda in 12. plag. 25.

UXores maritis vitæ & fortunæ ſocias dari ut neminem latere poteſt, omniumque gentium conſenſu manifeſtum eſt, ita inſolito plane & raro exemplo ſocietas in literarum ſcientia & ſcribendi commentandique induſtria a clariſſimo viro Dacerio & lecti conſorte in libro hoc eruditiſſimo exhibetur. Vix autem nobile hoc conjugum par operam ſuam melius collocare potuiſſet, quam in eleganti librorum laudatiſſimi in omne ævum Herois in linguam Gallicam translatione, & annotationibus ſcopo tanti ſcriptoris accommodatis, aliisque lectu digniſſimis, quæ hac occaſione elaborarunt, & publici juris fecerunt. De iis, quæ ex prælocquio notanda viſa ſunt, poſtea dicemus. Commendanda prius eſt exacta & ampliſſima de vita Antonini hiſtoria, quam ex probatis autoribus magno cum judicio, nec ſine pulchro verborum ornatu concinnarunt. Ex hiſtoria Romana eaque maxime, quam Auguſtam vocare conſuevimus, ſatis notum eſt, quis fuerit *Marcus* ille *Aurelius Antoninus*. Ortus erat ex familia Anniorum, quæ originem ad Numam Regem referebat. *Annius Verus* vocabatur, antequam Adriano Imperatori juvenis admodum, ob egregium virtutis & literarum ſtudium mire charus, ejusdem juſſu *Antonino*, quem Adrianus ipſe ſibi filium & Imperii ſucceſſorem aſſumſerat, quique poſtea *Pii* nomen meruit, adoptandus traderetur. Huic mortuo, una cum fratre adoptivo *Lucio Vero* anno poſt Chriſtum natum 161 ſucceſſit, & cum fratre annis novem, ſolus decem, Romani Imperii, quod tunc florentiſſimum erat, & nobiliſſimas orbis terrarum provincias complectebatur, habenas tenuit. Quæ bello & pace præclare geſſerit, recenſeri hic non poſſunt; paucos tamen regnandi ſcientia & felicitate pares habuit; aſt Philoſophiæ ſtudio non fucato quidem, ſed in mores traducto omnes ſuperavit. Diſciplinam certe Stoicam, quam præ aliis ſequebatur, ita excoluit, ut a Chriſtiana parum abfuiſſe videri poſſit, dolendumque eſſet, quod ad hujus lumen non pervenerit, niſi divina judicia recta ſemper & in omnibus agnoſci deberent. Aſpernatus itaque Chriſtianiſmum eſt, æterno cum damno ſuo, tantoque minus excuſatus, quanto faci-

faciliorem ad eum viam reperiiſſet, ſi radios Theologiæ naturalis, quibus lucidius quam ullus Philoſophorum reſperſus erat, ſuperatis præjudiciis ſequi, & oculos ad revelationis divinæ jubar aperire voluiſſet. Incitare eum ad hoc poterat miraculoſa pluvia, quam cum in bello contra Quados & Marcomannos anno Chriſti 174. in ſummo periculo, ob defectum aquæ, cum exercitu conſtitutus eſſet, precibus obtinuerunt milites legionis, quam *fulminatricem* nominant, genere Cappadoces ex regione Melitine, Chriſtianis ſacris devoti. Hujus facti veritatem a paganis quidem in dubium vocatam, Dacerius Tertulliani potiſſimum autoritate aſſerit; notat tamen, epiſtolam, quam hac de re Antoninus ad Senatum Romanum ſcripſerat, & qua perſecutiones Chriſtianorum prohibuerat, invidia Gentilium, ut conjici poteſt, dudum ſuppreſſam, nec Euſebii tempore reliquam fuiſſe, ideoque ſuppoſititiam eſſe Græcam, quæ in operibus Juſtini Martyris habetur. Obſervat etiam, cognomentum *Fulminatricis* jam ante Antoninum ab legione iſta, quæ imperante Auguſto Cæſare duodecima appellabatur, uſurpatum fuiſſe; nec probari poſſe, totam illam legionem Chriſti fidem profeſſam eſſe, ſed eos ſaltem manipulos, de quibus diximus; ut renovatum vocabulum illud potius ea occaſione, quam repertum fuerit. Sed plura de Antonino addere non lubet. Deceſſit anno Chriſti 180, cum annos LIX. vixiſſet, feliciſſimus ſi Chriſtianus, nec peſſimi filii L. Commodi parens fuiſſet.

Liber ejus Græce ſcriptus eſt, in duodecim capita diſtributus. Titulum habet, τὰ εἰς ἑαυτὸν, *Ad ſe ipſum.* Congeſſit enim ſententias aut obſervationes de ſe aliisque, quibus ipſe ad virtutis ſtudium excitari, & ad ferendam qualemcunque fortunam mentem poſſet componere, nullo quidem methodi aut connexionum artificio, ſed ex fortuitis meditationibus, in ipſa ſæpe expeditione, ut in fine libri ſive capitis primi memoratum reperitur, v. g. *ſcriptum in caſtris ad Granuam in Quadis*, item in fine l. 2. *Carnunti.* Quapropter compendium librorum iſtorum, qui farrago ſunt moralium præceptorum, tradere non poſſumus. Oblivione prope ſepulti erant, antequam bonæ literæ proximis ante nos ſeculis a barbarie vindicarentur. Lucem & ornatum illis addidere parentum memoria & noſtra *Mericus Caſaubonus*, haud indignus magni in Rep. literaria viri

Isaaci filius,& *Thomas Gatakerus*, celebris Cantabrigiensis in Anglia Academiæ Doctor. Egregie vero & civibus suis & linguæ Gallicæ peritis tersa & perspicua versione, & ut diximus,haud spernendis annotationibus consuluit eum adjutrice sua Dacerius. Ex præfatione quædam afferre non piget. Disseritur primo de præstantia Philosophiæ moralis, ut sola fere nomen Philosophiæ mereatur, si cum veritate Dei æterna conveniat. Pythagoræ & Socratis sapientia dogmata expenduntur, Chrysippi tamen paradoxa reprehenduntur; interim nulla Philosophiæ secta tam prope ad Christianam doctrinam accessisse existimatur, quam Stoica. Eatenus itaque recedit a pio & celebri inter Gallos autore (Pascalius,qui nimis acriter Stoicorum dogmata in censuram vocaverit,innuitur) & dicitur, virum tam doctum,si diutius vixisset, correcturum durius illud judicium fuisse. Speciatim postmodum Antoninum ab objectionibus liberatum eunt, ostendentes, quomodo is amorem Dei, preces & exercitium virtutis, contemtum & odium nostri, corporis maxime, cujus moles & defectus communionem inter Deum & homines impediat, inculcaverit; summam hominum miseriam,si a Deo recesserint, felicitatem, si gratiæ ejus participes fiant, sæpe annotaverit; ut fluxam & ad interitum vergentem naturam hominum probe cognoverit, & amorem proprium vehementer improbaverit & destruxerit. Non dissimulant tamen errores Antonini & Stoicorum capitales; quod pluralitatem Deorum crediderint; animam hominis pro particula divinæ substantiæ habuerint; peccati originalis noxam ignoraverint, & homini vitæ mortisque suæ arbitrium detulerint, probata laudataque *αὐτοχειρία*. His atque minoris momenti defectibus quibusdam exceptis,nullos libros post sacros lectu digniores, quam Stoicorum esse affirmant: tametsi præter Senecam, & excerpta Arriani ex Epicteto, nihil ex monumentis illorum supersit. Antoninum duobus illis longe præferunt,tum quod fastum Senecæ rejecerit, tum quod ingenii acumine supra Epictetum ascendat. Extolluntur iterum quædam ejus theoremata, quod de natura animæ accurate multa scripserit, omneque ejus lumen Deo tribuerit: quod justitiam utilitati minime subjecerit, sed a solo Deo dependere ostenderit: quod charitatem summe necessariam & utilem homini esse probet; quod mala quoque a Deo in bonum finem & usum ver-

ti

ti obſervaverit: quod mendacii & falſitatis turpitudinem inſigniter detexerit. Præprimis notabile eſſe monetur, quod felicitatem non quæſierit in excellentia ſcientiæ & ratiocinationis. Ex hoc ſequi ajunt, nulla hominum ſagacitate & intelligentia, ſed ſola fide in Chriſtum, ad ſalutem perveniri. Non minoris pretii eſſe putant præcepta, quæ Antoninus Principibus præſcripſit, tum diſputationes contra Atheos. Concluditur denique, qui hos libros diligenter legerit, illum uno tantum veluti gradu a Chriſtianiſmo abeſſe, neque tamen ad hunc niſi per divinæ gratiæ auxilia progreſſurum. De inſtituto ſuo notant, multam ſibi difficultatem ex obſcuritate ſtyli & ſublimitate materiæ in verſione occurriſſe, accedente codicum depravatione; operam tamen datam eſſe, ut ſenſum autoris aſſequerentur & clare exponerent: eo quoque annotationes præcipue tendere, omiſſis disquiſitionibus philologicis. In ambiguis ſenſum meliorem ſecutos ſe eſſe. Recta divinarum literarum conſenſu firmaſſe, prava indicaſſe & correxiſſe. Subjungunt animadverſionem in autorem Horologii Principum (*Antonium de Guevarra*, quem tamen non nominant) in quo ficta & falſa ſint omnia, quæ de Antonino commemorantur, ut ſatis appareat, ſcriptori iſti libellos Imperatoris hujus conſpectos nunquam fuiſſe, cum nec verbum ex illis retulerit. Reſpondent in fine iis, qui Antonino tautologias & repetitiones objiciunt; has enim non excuſandas modo, ſed & laudabiles eſſe contendunt in libris, qui ad inſtructionem noſtram ſcribuntur. Commendant etiam Antonini induſtriam, quod aliis pleraque verbis commodoque & eleganti modo enunciaverit.

HISTORIÆ REI NVMARIÆ VETERIS SCRIptores aliquot inſigniores ad lectionem ſacrorum & profanorum ſcriptorum utiles, cum Bibliotheca Numaria & Præfatione Adami Rechenbergi in Acad. Lipſ. P. P.

Lipſiæ, ſumptibus Jo. Georgi Lipperti Bibliopolæ Lunæburgenſ. A. 1692. in 4. Conſtant 10. alphabet.

CUm ſtudium rei numariæ hac noſtra tempeſtate multis, iisque viris doctiſſimis ac illuſtribus, in deliciis eſſe ſoleat; non in-

gratam iis rem se facturum existimavit Editor hujus libri integerrimus, si scriptores aliquot insignes nec passim obvios, qui historiam numariam tum sacram, tum profanam eruditis commentariis illustrarunt, atque numorum veterum apud Hebræos, Græcos & Romanos usitatorum pretia potissimum, juxta monetæ, quæ nunc in diversis civitatibus in usu est, valorem metiri & designare operam dederunt, hoc volumine comprehensos denuo evulgaret. *Primus* horum est *Matthæus Horstius, in Academia Francofordana superiori ævo Professor clarissimus*, qui historiam rei numariæ non tantum, sed mensurarum & ponderum simul, tribus tomis constantem, ante hoc seculum jam elapsum Francofordiæ ad Oderam primum publicaverat. In quibus, quicquid ad numorum, quorum in sacris & profanis scriptoribus mentio extat, notitiam facit, quinque libris erudite exposuit. Deinde & tribus libris veterum mensuras & pondera, accurata ratione primum inter se contulit, deinde ad mensuras Germanicas, quoad fieri potuit, exegit; subjunctis tertio tomo quibusdam opusculis de definitione; sex hydriarum capacitate Joh. II; de fabrica arcæ Noachi Genes. VI; de assis partibus, ejusque partium usu in declaranda usura; de chœnice Græca; de numeratione Logistica emendanda; de monomachia Davidis & Goliathi I. Sam. XVII. *Alter* est vir incomparabilis, *Guilielmus Budæus, Parisiensis Consiliarius Regius*, Autor *librorum V. de Asse*, quos propter variam atque reconditam eruditionem, nova impressione dignissimos judicavit *Cl. Rechenbergius*, qui operi huic præfationem addidit. *Tertius* est *Johannes Seldenus* Anglus doctissimus cujus *liber de Numis* & pretio antiquæ pecuniæ, Romanæ & Græcæ, ante hos septem annos Edinburgi impressus, propter argumenti cognationem hic recusus est, cum *Bibliotheca Numaria*, sive Elencho auctorum, qui de antiquis numismatibus Hebræis, Græcis, Romanis, nec non de monetis, ponderibus & mensuris scripserunt, cujus autor est *Philippus Labbe, Bituricus*, Soc. JESU Presbyter non incelebris. Hos, inquam, scriptores in gratiam studiosorum antiquitatis, uno volumine comprehendit Bibliopola jam laudatus.

HIERONYMI BRVCKNERI J.V.D. ET CONSiliarii Saxo-Gothani Aulici & Consistorialis

Deci-

Decisiones Juris Matrimonialis controversi.

Francofurti & Lipsiæ, apud Augustum Boëtium, 1692. in 4. absolvuntur quinque & dimidio Alphabetis.

IN Præfatione ad Lectores Autor consultissimus occasionem hujus Scripti enarrat. Postquam scilicet a Serenissimis Principibus, Dn. BERNHARDO & Dn. FRIDERICO, Saxoniæ Ducibus lineæ Gothanæ, fratribus germanis, successive Consiliarii officio admotus fuerit, & simul negotia Consistorialia ac in his præcipue Matrimonialia tractanda susceperit, se Archivorum Hennebergici & Fridensteinensis Acta perlustrasse, atque Casus Matrimoniales rariores excerpsisse, hos deinde in certa capita digessisse, ac per modum Decisionum Juridicarum enucleasse: cumque per triginta proximos annos multæ controversiæ in Matrimonialibus inter Eruditos ventilatæ sint, has simul examinasse, & ad scopum suum accommodasse.

In Procœmio agit de variis Juris & Legum Differentiis & Divisionibus, in divinas & humanas, naturales & positivas; Juris in naturale, gentium & civile; naturalis in primarium & secundarium; Gentium in universale & particulare, proprie & improprie ita dictum; Civile autem Jus a Positivo distinguit: Legum Mosaicarum in morales, ceremoniales, & forenses; quas omnes partim approbat, explicat & exemplis illustrat, partim corrigit & emendat, leges autem divinas morales positivas, totum humanum genus obligantes, dari negat, & per inductionem demonstrat.

Cap. I. ostendit differentiam sponsalium & nuptiarum, atque refutat divisionem sponsalium Juris Canonici in ea, quæ sunt de præsenti & futuro. Præprimis autem plurimos effectus diversos utrorumque, & inter hos, quod sponsalia ex pluribus causis quam nuptiæ vulgo dissolvantur, recenset.

Cap. II. clandestina sponsalia respectu defectus tum testium, tum consensus parentum, pertractat, atque de istorum probatione per juramenta, horum vero vel rescisione, vel confirmatione, ac suppletione consensus paterni per magistratum, pro circumstantiarum diversitate, late agit, & simul Cleri Pontificii arcana dominationis in Laicos, dum in Concilio Tridentino liberis frena in matrimoniis contrahendis contra parentes laxavit, perstringit,

Capi-

Cap. III. examinat casum, ubi Pater Nobilis cujusdam post sponsalia cum Avunculi Vidua cum ejus consensu rite contracta & dispensationem, dissensu suo ea iterum dissolvere frustra laboravit.

Cap. IV. ostendit, quæ in concursu plurium sponsalium alteris præferri, & quibus pœnis temeritas & inconstantia talis coërceri debeant?

Cap. V. explicat prohibitiones matrimoniales divinas Levit. 18. & 20. Ex his non nisi eas, quæ lineam rectam concernunt, naturalis, reliquas vero positivi tantum juris esse, adeoque in certis casibus, præprimis ubi res non amplius integra est, dispensationem admittere, evincere conatur, ita tamen, ut per analogiam etjam affinium ejus generis & fratrum ac sororum nuptiæ casu fortuito coalitæ (in quas proæretice contractas Deus mortis pœnam constituit) divortio dirimi debeant. Rationem vero prohibitionis legum matrimonialium divinarum non solum consanguinitatem vel affinitatem, sed & alias esse contendit.

Cap. VI. Leges divinas Matrimoniorum prohibitivas graduum paritatem quidem non respicere, extensionem tamen ad alios quosdam casus ex aliis rationibus pati, Autori persuasum est. Prius per rationum diversitatem inter personas unius gradus ratione linearum, item consanguinitatis & affinitatis; posterius per exempla ex Jure Civili ostendere nititur.

Cap. VII. improbat arrogantiam Pontificum Romanorum in correctione computationis graduum Juris Civilis, & substitutione regularum pessimarum trium pro una bona, ac prohibitione matrimonii secundum regulam unicam, ex qua absurda quædam sequantur.

Cap. VIII. nec conjugium cum defunctæ uxoris sorore:

Cap. IX. nec inter comprivignos Lege divina prohibitum esse, Autor contra Dissentientes asserit, suamque sententiam rationibus & præjudiciis firmat.

Cap. X. etiam in gradibus Jure tantum Provinciali prohibitis, non temere, sed tantum ex causis rationalibus (quales Autor octo recenset) matrimonia admittenda esse docet.

Cap. XI. Eunucho Dresdensi Sorlisio quondam recte conjugium permissum esse, & adhuc similibus eunuchis idem permitti posse, late deducit Autor,

Cap.

Cap. XII. nec Hermaphroditos, etiam qui nullo sexu prævalent, a sacris conjugii plane arcendos esse, ex rationibus pro iis adductis probare sustinet.

Cap. XIII. ex primæva conjugii institutione insolubilitatem quidem ejusdem, non tamen prohibitionem polygamiæ, elici posse existimat. Divortia autem hodie, pro conditione hominum in statu lapsus, interdum ex necessitate ad vitanda majora mala concedi.

Cap. XIV. polyandriam, non item polygyniam simultaneam juri naturæ repugnare. Licet autem ex eo, quod hæc juri divino & naturali prohibita non sit, absurde a Lysero colligatur, quod hodie omnibus libere permitti debeat; dispensatione tamen a Magistratu supremo in certis necessitatis casibus eam tolerari posse.

Cap. XV. licet polygamia successiva statui innocentiæ non conveniat, propterea tamen hodie eam improbari non posse: recte etiam a Jure Civili viduis, sub pœna infamiæ, prohibitum esse, intra annum a dissolutione prioris matrimonii nubere, nec prohibitione ista remedium contra incontinentiam ipsis adimi. Quod si vero vidua statim post mortem prioris mariti alii viro nupserit, & intra septimum usque ad undecimum mensem ab eo tempore, partum vivum ediderit, ex duobus maritis eum patrem haberi, quem ordinarium hominis nascendi tempus, i. e. nonus mensis, indicaverit.

Cap. XVI. plures divortiorum causas, quam adulterium & malitiosam desertionem dari, Autor ex praxi Consistoriorum Statuum Evangelicorum communi ostendit, secundum quâ etiam ob bannum conjugis ex delicto, abortum & impotentiam dedita opera procuratam, furorem seu delirium cum malitia aut desertione conjunctum, concubitum præternaturalem & præposterum, & ex aliis causis infra recensendis, divortia decernuntur. Nec tantum Imperatores Christianos, sed & alias gentes Christianas, ex diversis aliis, quam duabus istis causis, per leges suas divortia permisisse.

Cap. XVII. in quibus casibus hodie divortia ob adulterium locum habeant vel non, disquiritur, cum rejectione opinionis communis, quod per adulterium solvatur conjugium ipso jure, nec non unitas carnis cum conjuge.

Cap. XIX. malitiosæ desertionis, divortium parientis, extensionem

siones hodiernas ad varios alios casus, veluti ad fugam metu pœnæ ob delictum, pertinacem debiti conjugialis denegationem, sævitiam intolerabilem, insidias vitæ structas, & alias causas, non nisi per interpretationem authenticam a Legislatoribus politicis horumque Consistoriis fieri posse.

Cap. XIX. divortia etiam vera (non declarationes tantum matrimoniorum pro nullis) hodie absque ulla difficultate apud Evangelicos fieri ob dolum & errorem, non tantum circa personam, sed & interdum circa fortunam:

Cap. XX. item ob errorem circa virginitatem:

Cap. XXI. nec non propter vim metumque injustum:

Cap. XXII. ut & propter impotentiam tum naturalem tum accidentalem, ante matrimonium existentem.

Cap XXIII. propter impotentiam matrimonio supervenientem etiam, vel divortium vel bigamiam permitti posse, tum ex Luthero ejusque coætaneis, tum ex rationibus, contra communem opinionem probare conatur Autor:

Cap. XXIV. imo etiam ob coitum extraordinarium & flagris provocandum.

Cap. XXV. separationem quoad thorum & mensam, tanquam remedium provisorium, ad corrigendos malos mores conjugum discordium, recte quidem adhiberi, sed non recte in ea subsisti, si correctio non sequatur; tunc enim divortium etiam quoad vinculum decernendum esse.

Cap. XXVI. matrimonium ob nullum plane delictum in totum prohibendum, sed delinquentes aliis pœnis afficiendos, matrimonium vero liberum illis relinquendum esse.

Cap. XXVII. in concursu duorum matrimoniorum, prius præferri posteriori, si hoc absque prævia rescissione judiciali prioris, ex errore forte facti, fuerit contractum; posterius vero præferri priori, si hoc authoritate judicis per processum desertionis & sententiam judicis fuerit dissolutum.

Cap. XXIIX. quoniam copula sacerdotalis non sit de essentia, sed tantum decoro conjugii Christiani, præferri etiam interdum posse conjugium copula sacerdotali destitutum illi, ad quod ea accessit, si nimirum una pars fuga dolose eluserit copulam sacerdota-

lem

lem per ſententiam judicis ipſi injunctam, & alibi cum alia perſona nuptias celebraverit.

Cap. XXIX. a Principe vel ejus Commiſſario (Comite Palatino) legitimationem in præjudicium liberorum legitimorum aut agnatorum, neque in allodialibus, neque in feudalibus bonis fieri poſſe.

Cap. XXX. liberos ex putativo tantum matrimonio (modo uterque vel ſaltem unus conjugum fraudis aut doli expers fuerit), natos, ratione ſucceſſionis aliorumque beneficiorum, per omnia æquiparari liberis ex vero matrimonio natis.

Hæc duabus partibus comprehenduntur, quarum quælibet quindecim capita continet. His tertiam adhuc adjuncturum ſe Autor nobiliſſimus in præfatione promittit, & hoc ipſo Lectores, harum rerum amantes, per nos rogat, ut caſus matrimoniales rariores, aut conſilia & reſponſa huc facientia, nondum typis edita, ad promovendam hanc ejus intentionem, ipſi communicent.

HISTOIRE DES ALBIGEOIS ET DES VAUDois ou Barbets, par le R. P. Benoiſt &c.

id eſt:

Johannis Benedicti, Monachi Dominicani, Hiſtoria Albigenſium & Valdenſium. Tomi II.

Lutetiæ apud Jacobum le Febure, 1691. in 12.

Conſtat plag. 31.

Valdenſes vallium Subalpinarum, quæ in Sabaudica ditione ſunt, incolas in ſocietatem exitii ante paucos annos traxerat fatum Reformatorum in Gallia, quos Rex, obſequium Deo ſe præſtare putans, ut ſatis notum eſt, evertit, magna quidem, ſi ſcriptoribus illi obnoxiis credamus, cum gloria ſua. Hujus ſtrenuus ſonorusque buccinator etiam eſt Monachus hic, prodigioſam imprimis celeritatem Regis efferens, qua paucis menſibus plus quam quinque ex Anteceſſoribus ejus, integro ſeculo Albigenſes perſecuti, præſtiterit, idque, ut ait, absque ſanguinis effuſione. Cumulum vero & faſtigium operi impoſitum ab eo putat, quod

non ſolum in ſua provincia, quæ *Delphinatus* nomen habet, reliquias Valdenſium, per inacceſſas Alpium valles indagatas, in latebris ſuis obruerit, ſed & idem ſuis auſpiciis & auxiliis apud Sabaudiæ Ducem procuraverit. Neque hic ſubſiſtit Autor, ſed etiam fœdus ab Imperatore noſtro & plerisque Europæ Potentatibus pro defenſione initum, acerbe inſectatur, & conſpirationem ex invidia admirandi operis pro religione ſuſcepti conflatam eſſe criminatur, nempe ut neglecta proſecutione victoriarum contra Turcos, Galliæ Rex, unicus ille veræ fidei defenſor, armis peteretur. Non minus proterve Sereniſſimum Angliæ Regem *Guilhelmum* cum tyrannis, veteris Eccleſiæ perſecutoribus, comparat, cujus potentiæ deſtruendæ Deus Regem Gallorum, ut brachium ſuum dextrum oppoſuerit. Huic igitur Heroi, & ſoli ſacrorum vindici, omnium Scriptorum labores vigiliasque conſecrari debere contendit, cum nullum ſub cœlo nomen ſit, a quo majus decus conciliari iis poſſit. Ex his facile conjici poteſt, quid ab autore hoc in hiſtoria, quam exhibet, ſperari debeat, magnam tamen induſtriam & fidem profeſſo. Ex centum & quinquaginta Scriptoribus Catholicis & Hæreticis nullum a ſe repertum eſſe ait, qui originem Albigenſium ſatis diligenter inveſtigaverit: plerosque eos cum Valdenſibus confudiſſe: ſe vero deprehendiſſe ait, multo vetuſtiores eſſe Albigenſes, nec eadem cum Valdenſibus, qui non tam longe a Romanæ Eccleſiæ placitis abierint, docuiſſe, quanquam ſucceſſu temporis in unam ſententiam coaluerint.

His aliisque præmiſſis, ad rem accedit, neque tamen quidquam certi aut novi de Albigenſium origine affert; ſtatuit potius, obſcuram eſſe, & ſectam cum filia comparat quæ patrem ignorat, aut cum monſtro ex variis particulis coaleſcente. Succreviſſe ſcilicet ex *Arianorum*, *Manichæorum*, *Petrobruſianorum*, *Henricianorum* & *Valdenſium* erroribus, ut Hydram multorum capitum, tantoque difficiliorem ſuperatu. Recte factum eſſe jactat, quod Pontifices *Cruciatas* ſive ſacras expeditiones his hæreticis oppoſuerint, cum non minora damna, quam Saraceni & Turci, eccleſiæ illaturi fuiſſent, niſi Pontifices potentiam Principum, ſpeciatim Regum Galliæ, contra rebelles illos armaſſent. Inter Scriptores primum omnium laudat ſanctum, quem vocant, *Bernardum*, Abbatem Claravallenſem

sem, ex quo probare nititur, nihil certi constare de sectæ autore; quanquam postea eadem cum illis, quas *Petrus Brusius*, *Henricus Monachus* & *Petrus Valdius* formaverint, habita fuerit; ægre etiam detectam esse ait, quod non nisi clandestinos conventus & inter paucos celebraverint, Clero potissimum infesti & Sacramenta spernentes. Nomen a civitate *Albia* seu *Albiga* Occitaniæ in finibus *Biturigum* adeptos esse, cum ibi anno 1176 concilium haberetur; antea Manichæos & Bulgaros sive Vasconum pronunciatione *Vulgares* vocari solitos. Bulgarorum nomen, *Petrum de Marca* in Historiæ Bearnensi secutus, inde deducit, quod Manichæi ex Armenia pulsi, in Bulgariam, paulo post quam ad fidem Christianam gens illa conversa esset, seculo nono irrepsissent, suosque errores novitiis Christianis instillassent. Statuisse autem duo principia; rejecisse Sacerdotium, imagines, Eucharistiam; negasse Christum ex Maria corpus sumsisse, aliaque non minus insana sparsisse: a Bulgaris tamen *Bagomitos*, id est, Deo charos nominari consuevisse. Ex Bulgaria, occasione bellorum a Gallis in Oriente gestorum, in Franciam delatos, atque in sectas Arianorum & Manichæorum divisos esse, ex quibus tandem *Albigensium* secta coaluerit. His accessisse *Petri a Valdo* (vico prope Lugdunum) sectatores, & *Petri Brusii*, qui in Provincia *Arelatensi* circa annum 1120 dogmata sua, denegato baptismo infantibus, rejectoque templorum usu & sacrificio Missæ, propalaverit, propter hæc & alia vivi comburio punitus. Post annos quosdam, eorundem dogmatum autorem aliorumque renovatorem *Henricum* Monachum *Tolosanum* in valuisse, cujus doctrinæ in concilio *Lateranensi* anno 1179 (mendose pag. 20. legitur 1270) damnata fuerit. Postea in Synodo *Lumbariæ* Lombers prope Albiam, A. 1176. in dissentientes istos omnes serio inquiri cœptum, & condemnationem eorum secutam, licet objecta prope omnia inficiarentur, juramento tamen illis renunciare, religione ducti, abhorrerent. Horrenda utique & fœda imputat illis Autor, secutus *Rogerium de Hoveden* aliosque illorum temporum scriptores, adducitque & in fine librorum subjungit documenta quædam vetera, quibus confirmari posse existimat, quæ scriptores illi tradiderunt, quorum fides non ab omnibus agnoscitur. Licet vero ab anno 1120, ad finem fere istius seculi, multa in Synodis & Romæ decreta contra sectam illam essent,

non caruit tamen, ut Autor porro memorat, incrementis, patronosque invenit Comites Tolosanos, item Albienses aliosque Dynastas. Sub initium sequentis seculi, anno nempe 1202, Innocentius III Pontifex, pro zelo suo satis decantato, severius agere cœpit, primo quidem per Missionarios sive Legatos ex Clero, qui persuasionibus uterentur, deinde adhibita vi: remedium etiam ab exemplo quæsitum fuit. Cum enim Albigenses de corruptis Clericorum moribus maxime quererentur, in Synodo *Montispessulana* anno 1205 *Didacus* Episcopus Osmensis Alphonsi Regis Castiliæ Legatus, ut & *Dominicus* Monachus Calaguritanus, magna jam tum sanctimoniæ fama celebratus, reformationis cujusdam initium fecerunt. Abjecto enim omni luxu & comitatu, vili habitu assumtisque baculis per oppida & vicos circumeuntes, hæresin verbis oppugnabant, parum tamen proficientes; quanquam etiam miracula accessisse, & in agro Carcassonensi culmi festo die *Johannis Baptistæ* resecti sanguinem stillasse ferebantur. Anno 1206 disputatio inter delectos ex utraque parte, voce & scriptis habita est, in oppido *Montisregalis*; condemnatis per arbitros Albigensibus, qui Ecclesiam Romanam a Christo defecisse, & Diaboli sponsam scholamque esse dicebant, & Missam impugnabant. Etsi vero conversi tum pauci fuere, *Dominico* tamen post discessum & obitum Osmensis & aliorum allaborante, centum hominum millia ad obsequium Pontifici præstandum reducta esse dicuntur; eaque occasione institutus est novus Monachorum ordo, qui *Prædicatores & Inquisitores hæreticæ pravitatis*, ab autore vero *Dominicani* nominati sunt. Plus scilicet excommunicationibus & suppliciis, quam concionibus & persuasionibus effectum est. Sane gloriam inventæ *Inquisitionis*, & qua illa promovetur, violentiæ, Autor Dominico vel soli, vel communem cum Innocentio III. assignat. Vid. Tom. II. lib. VI. p. 129. Non deerant tamen, qui rigori sese opponerent, ita ut anno 1207 Legatus Pontificis *Petrus de Castro-novo*, Raymundi VI Comitis Tolosani, ut creditur, insidiis interfectus fuerit. Hoc facinus ultus est Pontifex, non solum excommunicationis fulmine in Comitem vibrato, sed & promulgata, quam vocant, *Cruciata*, sive indicto bello sacro, ad quod speciatim invitabatur Rex Galliæ, quanquam is tunc bello cum Germanis & Anglis implicitus parum præstare

præstare potuerit. Multa tamen hominum millia, non secus ac contra Saracenos Turcosque, in Albigenses arma ceperunt, nisi quod, qui contra hos militabant, crucem in pectore, adversus barbaros vero in humeris assutam vel pictam gererent.

Hæc fere sunt, quæ ex libro I recensenda esse duximus, quia ideam & compendium quoddam historiæ exhibent; cum in libris sequentibus nihil aliud aut parum admodum tradatur, quam bella & vastationes regionum & clades multiplices, quarum finis tandem seculo XIII is fuit, ut Albigensium secta, junctis Pontificum & Regum viribus, ad incitas redigeretur. Inter eos vero, quorum ductu prostrati sunt Albigenses, acerrimus facile fuit, & a Pontificiis Scriptoribus vehementer eo nomine laudatus *Simon Comes Montfortius*. Hujus & aliorum illustrium virorum Genealogias diligenter collegit & descripsit Autor, Comitum imprimis *Tolosæ*. Tom. I. enim pag. 300 & seqq. eorum familia a Caroli Calvi temporibus deducitur, cujus duæ lineæ, Comitum nempe *Tolosanorum* & *Carcassonensium*, hujusque nova propago *Foxiensis*, quæ ad Regnum Navarræ evecta est, distincte ad pag. usque 337 recensentur. Dein *Montfortii*, de quo dictum est, genus explicatur, & inter descendentes ejus, qui domicilium in regnum Neapolitanum transtulerunt, refertur *Nicolaus Comes de Campobasso*, qui Carolum Burgundum anno 1476 proditione sua in exitium præcipitavit. *Comingiorum* non parum illustre olim stemma habetur pag. 353. quorum ditiones tamen & tituli dudum, per matrimonia aliasque mutationes, ad alias familias transierunt. De Pontificum, Episcoporum & Monachorum gestis, in extirpandis, quas vocabant, hæresibus, multa narrat laudatque Autor, quæ seculorum illorum genium repræsentant, cum spiritu tamen Christianismi parum conveniunt. Eo etiam referri possunt statuta conversis præscripta, inter quæ est, quod in Synodo *Biterrensi* (Beziers) conditum fuit, quod nemini permitti debeat lectio librorum sacrorum lingua populari. Id Autori apprime placet, licet hodie sint in ipso quoque Clero Gallicano, qui rigorem illum non probent.

Valdensium historiam, quam in titulo promisit, Tom. II lib. VIII breviter & tenuiter proponit Autor, cujus tamen causa vetera illa de Albigensibus, multis tradita, repetiisse potissimum videtur.

tur. Opponit narrationem suam *Johanni Legero*, celebri Valdensium Ecclesiastæ & scriptori, ejusque fidem, ut hæretici & nescio cujus criminis rei, in dubium vocat. Statuit imprimis, Valdenses non a *Valdo*, sed a vallibus, quasi *Vallenses* nominandos esse, & negat eos sacra sua Apostolorum temporibus accepisse & eodem statu conservasse, quorum utrumque Legerus asseruerat. Ipse circa annum 1183 Albigensium reliquias in abdita illa montium sese recepisse pro certo habet, iisque postea accessisse, quicunque in Hispania & Gallia ab Inquisitoribus indagati, vitæ periculum non nisi fuga illa evitare potuerint, cum ad Romanam Ecclesiam redire nollent. Vallium situm & nomina describit Autor. Pontifices memorat a longo tempore vallium istarum incolas, legationibus, missionibus, inquisitionibus aliisque ejusmodi modis, crebro vexasse, quibus quoties tempus & Principum zelus ferebat, vis & sævitia successit: plerumque tamen situs locorum tutos præstitisse homines illos alioquin simplices, probos & pauperes, sed ad defensionem sui strenuos. Grave in eos bellum instinctu Innocentii IIX. Pontificis A. 1488 movisse Philippum VII Ducem Sabaudiæ Gallicis auxiliis subnixum, irrito tamen conatu sibique damnoso; & religionis suæ libertatem Valdenses retinuisse, confirmatos postmodum exemplo Gallorum & Helvetiorum, post cœptam a Luthero reformationem, quibus, ut Autor refert, anno 1535 Valdenses accesserunt, missis in Germaniam *Georgio Morello* & *Petro Massonio*. Articulos, de quibus inter illos & Helvetios conventum est, summatim recenset Autor pag. 260 & seqq. Concordant autem ut plurimum cum doctrina Reformatorum, & ad horum exemplum disciplina etiam ecclesiarum illarum constituta est, nisi quod Ministri sive Ecclesiastæ vulgo *Barbati* (Barbets) vocari consueverunt. Quoties tum a Ducibus Sabaudiæ, tum a Regibus Galliæ, qui Sabaudiæ & Pedemontii provincias aliquando subjugaverunt, arma in Valdenses expedita fuerint, quibusque ex causis cessatum a vi & quies genti illi indulta quandoque fuerit, Autor ita enarrat, ut eos semper laudibus efferat, qui acerbius cum illis egerunt, aut saltem, cum aperta vi uti non possent, variis artibus eos afflixerunt & coercuerunt. His plus plerumque quam armis effectum esse memorat, ita ut anno 1630 non nisi duo decrepiti senes ex Pastorum numero in vallibus superfuerint, linguæ

Italicæ

Italicæ, qua populus ille utitur, gnari; accersiti vero Concionatores Galli auditoribus non intellecti, ita displicuerint, ut plurimi Missionarios Romanos admitterent, & spes esset, omnes ad sacra illa reduci posse. Valde itaque nocuisse proposito illi notat Autor potentiam Cromvelli Angliæ tyranni, qui Valdenses pecunia, consiliis, & legationibus ad Sabaudiæ Ducem juverit. Sed quæ gesta sunt, ex aliis scriptoribus jampridem innotuerunt, & ab Autore ita narrantur, ut omnem culpam in rebelliones subditorum rejiciat; cum hi innocentiam multaque pacta cum Principibus suis pro se allegent. Postremo exponit, quod in recenti omnium memoria est, quomodo Sereniſſimus, qui hodie rerum potitur, Sabaudiæ Dux *Victor Amadeus*, ad monitum & exemplum Regis Galliæ, anno 1686, publicato edicto, ecclesiarum & scholarum ministros, nisi Romanam religionem amplecterentur, intra quindecim dies vallibus exire, infantes a Sacerdotibus Romanis baptizari, pueros in horum scholas mitti, & non obedientes, viros quidem ad remum, fœminas vero ad fustigationem condemnari jusserit, rejectis omnibus precibus subditorum & intercessionibus Helvetiorum, nisi quod his tandem datum est, ut emigrare iis liceret, qui a religione sua desciscere nollent. Successit expeditio Ducis, & Gallicarum copiarum præfecti Catinati, cujus illum finem narrat Autor laudatque, quod valles omnes expugnatæ, & ex incolis, post cæsos plurimos, duodecim millia in deditionem venerint. Non leviter inde dolet, quod anno 1690 Dux, dehortante licet Pontifice, Gallorum partes deseruerit, hostibus eorum accesserit, exules hæreticos & rebelles in gratiam receperit, iisque jam adversus Gallos utatur. Interim gratias agit DEO, quod Catinati ductu male mulctati sint, speratque fore, ut etiam hi populi ad exemplum Gallorum ab hæresi liberentur, & in parem cum illis felicitatem asserantur. Hanc, & Regem ejus promotorem, mire prædicat, quod doctores idoneos ad convertendos errantes mittat, & apertis thesauris suis, libros aliaque munifice suppeditet: unde illi propediem plenam victoriam & prosperum instituti sui exitum optat & ominatur.

ABREGÉ DE L' HISTOIRE DES VAUDOIS &c. par P. Boyer Ministre.

id est:

Breviarium Historiæ de Valdensibus, autore P. Boyero Ecclesiaste.

Hagæ Comitum, apud M. Uitvverf, 1691 in 12. plag. 14.

Acerrimo Romanæ hierarchiæ assertori & infensissimo Valdensium hosti monacho, cujus narrationem de Valdensibus jamjam recensuimus, haud incommode subjungi potest ex diversa parte scriptor, meliora de suis afferens, monachi tamen historia, ut apparet, non visa. Hic quoque Regem habet, Britannicum nempe, cui tractatum suum dedicat, & admirandam Dei providentiam prædicat, qua populum Valdensem in puritate religionis Christianæ conservaverit, ut omnino cum Israëlitis comparari possit, ob tot clementiæ, sapientiæ, atque potentiæ divinæ documenta illi exhibita; quibus tamen Valdenses præfert, quod nunquam, ut illi, in idololatriam lapsi sint, aut Romanis erroribus infecti. Haud immerito itaque antiquitus sigillo ait usos esse, quo fax repræsentabatur cum inscriptione: *Lux lucet in tenebris.* Id eo mirabilius esse dicit, quod valles Alpinæ in Italia sitæ sint, tantoque facilius jugum Pontificum subire potuerint. Præterea sine exemplo esse, quæ male armati, nec ducibus peritis instructi, impares numero, unus quippe contra viginti, triginta aut quandoque centum, fortissime gesserint, & quod per duo secula, usque ad annum 1686, neque vi neque dolis opprimi penitus potuerint: denique, cum illo anno, permittente DEO, armis Sabaudicis & Gallicis ad incitas redacti essent, restitutio tamen reliquiarum incredibili prorsus modo secuta sit, cum nongenti exules, quindecim dierum itinere, per angustissimas montium fauces ab hostibus insessas penetraverint, patriasque sedes recuperaverint; tum quod omnium maxime mirandum, in gratiam Principis sui, a quo tot & tanta passi fuerant, redierint, & contra Gallos, persecutores suos, stipendiis ejus feliciter militent. Hæc fere summa est historiæ, quam Autor capitibus XXVII compendiose complectitur.

Cap. I. Incipit a nomine gentis, & *Vallenses* a vallibus, non vero *Valdenses* a Petro Valdo dici censet. Hujus enim vocabulum illis non convenire, quia is, cum Lugduno pellere-

tur,

sur, non in valles Alpinas sed in Galliam Belgicam confugerit, ibique sectatores habuerit, qui a regione notissima *Picardi* nominati sunt. Provocat ad confessionum veterum documenta, ex ruina patriæ servata & *Marlando* legato Anglico tradita, quæ nunc in Cantabrigiensi Academia custodiri dicit. Scriptæ autem illæ esse perhibentur A. 1100, 1120, 1170, 1175, & ita prius quam Valdus dogmata sua propalare cœperit. Evangelicam vero doctrinam ad incolas vallium a discipulis Pauli Apostoli delatam fuisse non dubitat, nisi ipse, si iter suum in Hispaniam, quod sibi proposuit, prosecutus Alpes transierit, in illa regione concionatus sit. Quod vero puritatem religionis secundum sacras literas retinuerint, inde constare judicat, quod invocationem Angelorum, B. Mariæ & sanctorum, Missas item, purgatorium, preces & sacrificia pro mortuis, stata jejunia, cœlibatum sacerdotum, nunquam admiserint aut probaverint, nec alia, quam patria lingua, in sacris usi sint. Provocat iterum ad confessiones illas antiquas, & doctrinam *Claudii* Episcopi Augustæ Taurinorum, qui seculo nono vixit, cum confessione Valdensium post duo secula exhibita concordem. Subjungit capita fidei Valdensium A. 1655 edita; uberiorem vero cognitionem ex *Johannis Legeri* historia de Valdensibus generali peti jubet. Cap. II.

Juxta doctrinam, etiam disciplinam sive regimen Ecclesiæ Apostolis acceptam fert, & describit officia Pastorum, Seniorum & Diaconorum, ut & Magistrorum scholæ. Cap. III.

Laudat morum innocentiam & sanctitatem, quam etiam Pontificii negare non possint, ex quibus citat *Thuanum* lib. Hist. 27. & *Claudii Seissellii* Archiepiscopi Taurinensis scriptum A. 1500 Valdensibus oppositum. In his igitur vallibus ex natura locorum Ecclesiam per multa secula quietas sedes, veluti fœminam Apocalypticam in deserto, invenisse observat, usque ad annum 1487, quo Innocentio VIII Pontifice *Cruciatam* promulgante, vi & armis invasi fuerint, vano quidem conatu. Nihil etiam Archiepiscoporum Taurinensium & Ebrodunensium (d' Ambrun) conciones, missiones, minas & lites intentatas profecisse. Cap. IV.

Describit inde primum illud bellum, auspiciis Pontificiis, dicto anno 1487 Valdensibus illatum, & ut hi Sabaudorum & Gallorum octodecim millia parva manu belliquę rudes ad internecionem fere ceciderint, & Philippus Sabaudiæ Dux Cap. V.

pacem victoribus concesserit atque vetera privilegia confirmaverit. Memorat, non multo post Saluziani Marchionatus incolas patrias sedes, ex quibus injuste ob religionem ejecti fuerant, armis recupe-
Cap. VI. rasse. Successor *Philippi* (ita narrare pergit) & filius *Carolus*, sollicitatus ab Episcopis & Inquisitoribus, A. 1534 copias sub *Pantaleone Bressorio* in Valdenses nihil tale metuentes immisit, a quibus cædibus promiscue in miseros sævitum est. Verum Sabaudos a tergo adorti Valdenses ita tractarunt, ut pauci evaserint, & Dux a belli continuatione sibi temperaverit, quanquam non desineret supplicio
Cap. VII. afficere, quos extra valles deprehendebat. Similia quoque & dura alia passi sunt A. 1536, cum Francisco I. Galliæ Rex Sabaudiæ Ducem ditionibus suis exuisset: combusti enim sunt, quotquot in Inquisitorum manus inciderunt, inter quos clari nominis viri referuntur *Bartholomæus Hector* A. 1555, & *Varalius* egregius Angronensium concionator A. 1557 Taurini, & *Nicolaus Sartoris*, qui Genevæ
Cap. VIII. Theologiæ operam dederat, Augustæ Prætoriæ vivicomburium passi. Quartus insultus ab Emanuele Philiberto Duce, postquam Principatum a Gallis restitutum mortuo parente regere cœpisset, factus est, instigantibus Papa & Regibus Galliæ & Hispaniæ. Ab armis tamen, cum multos e suis amisisset, aliquandiu quievit, postea ad insidias fraudesque conversus denuo ductu *Comitis a S. Trinitate* incautos Valdenses aggressus est, magnaque strage perculit. Verum incolæ resumto animo, & pro vita atque libertate desperate pugnantes, a Comite illo, cum auxiliaribus Gallorum copiis instructus munimentum quoddam oppugnaret, egregiam reportarunt victoriam. Hac ut & precibus uxoris, quæ clam religioni Reformatæ favebat, permotus Dux anno 1561 pacem subditis dedit. Deinde post quadriennium, instante Pontifice, edictum contra illos publicavit, quo jubebantur, ut intra decem dies ad sacra Romana reditum promitterent, aut post duos menses in exilium proficiscerentur. Dilata tamen est magna ex parte rigoris hujus executio, & cum postea anno 1572 laniena Parisiensis commiserationem etiam apud Pontificios quosdam ipsumque Ducem excitasset, itetum mitigatus veniam denuo ille subditis concessit, exules revocavit, & potestatem dedit recipiendi, qui ex Gallia religionis
Cap. IX. causa profugerent. Sub Emanuelis Philiberti filio, *Carolo Emanuele*,

nuele, & *Victore Amadeo*, nepote, ob impedimenta plurima armis quidem adversus incolas vallium actum non est, suppliciis tamen sævitum in eos, qui in potestatem magistratuum extra valles veniebant, & in *Saluziano* Marchionatu octo parochiæ destructæ sunt, pulsis in exilium habitatoribus. Postea impuberis *Caroli Emanuelis* Mater & Ducatus Gubernatrix, a Curia Romana stimulata, anno 1650 collegia virorum fœminarumque instituit, per quæ variis modis ad religionem Pontificiam Valdenses alliciebantur: cum vero id exiguo cum successu fieret, nec nisi pauci & viles in partes transirent, excidium gentis anno 1653 decretum est. Occasio tumultus ex proposito quæsita fuit, assignatis *Grancejo* Franciæ Marescallo hybernis in vallibus, & emissis quibusdam ex Clero, qui incolas ad resistendum incitarent; sed hi detecta fraude, Gallorum copias admiserunt, & Granceji moderatione periculum tunc evaserunt. Cap. X.

Ast anno 1655 Hibernis, patria sua a Cromvello ejectis, valles Alpinæ destinatæ, judicesque constituti sunt, qui ex locis quibusdam Vallis *Lucernensis* decedere incolas, & in alios, ubi sacra Valdensium adhuc tolerabantur, migrare cogerent. Quærebatur nova seditionis causa, sed obsecuti sunt incolæ, dein per Deputatos gratiam Ducis implorarunt, & restitutionem in sua suppliciter petierunt. Cap. XI.

Delusi fuerunt & dilati variis prætextibus, donec anno 1655 exercitus ductore *Marchione de Pianezza*, mense Aprili in valles irrumperet. Cum vero fortiter repugnarent incolæ, nec exiguas hostium strages ederent, ad dolos conversus *Marchio* missos ad se primores gentis benigne excepit, miribusque promissis persuasit, ut copias suas in valles vicosque suos admitterent. Hoc facto ad promiscuam & crudelissimam lanienam ventum est, de qua horrenda narrat Autor, ut infantes ab uberibus maternis avulsi, ad saxa elisi aut medii discerpti, senes & ægroti in lectis & cum domibus suis combusti, fœminæ ad mortem stupratæ, deinde in frusta concisæ, aliique in eas & viros immanis carnificinæ modi exerciti fuerint. Cap. XII. & XIII.

Hibernis ante omnes nullum sævitiæ genus omittentibus. Superarant tamen, qui vitam suam tueri auderent, duce *Janavello* quodam, qui cum octodecim solum viris magnum numerum ex copiis Marchionis profligavit, multosque ex illis interemit. Cum vero hic recollecto decem millium exercitu iterum adventaret, fuga sibi Cap. XIV.

consulere *Janavellus* coactus est, per invias cautes filium septennem humeris gerens enixus. Vicus Roras, quem hucusque defenderat, falsis promissis delusо præsidio, Sabaudis deditus ferroque & igne crudeliter vastatus est. Acta hæc esse dicuntur a die 24 Aprilis ad Kalendas Maji. Sed postea *Janavellus*, adjuncto sibi alio centurione *Jayerio*, & collectis sexcentis exulum, Sabaudos ad vicum S. Secundi adortus, ex Hibernis 800, ex Pedemontanis 650 cecidit, multaque alia damna admirandæ fortitudinis exemplo hostibus intulit, donec *Jayerius* proditione in locum iniquum inductus occideretur, Janavellus vero graviter vulneraretur. Successere tamen alii libertatis vindices, ita ut adjunctis quibusdam ex Gallia Reformatis, jam armatorum mille & octingentos sub signis haberent. Duravit hoc bellum tribus mensibus, in quo ex Sabaudis & auxiliaribus quatuor mille, ex Valdensibus vero non nisi nonaginta quinque periisse dicuntur. Secuta est compositio *Pignerolii* d. 9. Augusti 1655, interventu Gallici Legati *Servientii*, restitutique sunt Valdenses in pleraque loca vallium, quibusdam tamen pacis causa cedere coacti. Infidam pacem illam fuisse notat Autor, submisso quodam in valles Jesuita *Longolio* Aquitano, qui ad religionem Reformatam transiisse se simulans, & scholæ magisterium adeptus, conciliatisque sibi quibusdam ex incolis, divisiones inter eos seminavit, prætextu, stipem ab Anglis, Batavis & Helvetiis largiter missam inæqualiter distributam esse. Dux munimentum quoddam in faucibus vallium exstruxit, cujus præsidiarii incolas statim vexare & irritare cœperunt. Immissi etiam delatores, præcipuos vallium cives ad tribunal Taurinense traxerunt, cum secundum pacta domi judicari deberent. Interdictum non uno obtentu multis locis exercitium religionis publicum, neque querelis, quas afflicti ad Gallos & Helvetios deferebant, quicquam proficere potuerunt, sed denuo ad exitium destinata gens est. Exercitus enim sub *Florio* & *Angronio* Marchionibus & Comite *Bagnolio* anno 1662 denuo in valles penetravit, sed restitere fortiter incolæ, multisque damnis copias Ducis ita fregerunt, ut is spem victoriæ abjiceret, & ad pacem subditis concedendam, Helvetiorum Protestantium interventu, haud difficulter moveri se pateretur. Mala tamen fide induciæ, tractatus causa initæ, ut Autor tradit, servatæ sunt. Irruit enim denuo octodecim

Cap. XV.

Cap. XVI.

Cap. XVII.

Cap. XIIX.

Cap. XIX.

millium

millium exercitus, ductu Marchionis *S. Damiani*, quem tamen Valdenſes magna ex parte delerunt, & ſic demum ad pacificationem d. 14. Febr. 1664 perventum eſt, & promiſſum, omnia in ſtatum tractatus Pignerolienſis reſtitutum iri. Licet vero Autor non optima fide ab initio in executione pactorum actum eſſe queratur, laudat tamen Caroli Emanuelis Ducis æquitatem & clementiam, quam literis etiam benignis anno 1672 ad Valdenſes ſcriptis teſtatus fuerit, cum ei in bello contra Genuates ſtrenue militaſſent; nec minorem favorem poſt mortem Ducis, qui anno 1675 deceſſit, experti eſſe dicuntur. Dum vero in magna ſpe eſſent quietis conſtanter obtinendæ, ſucceſſor & filius Caroli Emanuelis, Dux Victor Amadeus II, qui nunc regnat, licet ei Valdenſes contra Mondovienſes fortiter adſtitiſſent, Gallicis tamen conſiliis permoveri ſe paſſus eſt, ut edicto A. 1686 d. 31 Jan. propoſito exercitium religionis prorſus aboleret, templa dirui, Paſtores in exilium ire, infantes a Sacerdotibus Pontificiis baptizari, aliaque ejusmodi juberet, pœna condemnationis ad triremes contravenientibus propoſita. Nullum adverſus hæc a Gallis, quorum interceſſione antea ſervati quandoq; erant, ſperari remedium poterat, nec valebant Helvetiorum officia; Deputati quoque gentis in Aula non admittebantur. Unum ſupererat, ut emigrandi facultatem duris quidem conditionibus, nec ſincere, ut Autor judicat, oblatam acciperent, idque ſuadebant Helvetii ad concilium incolarum d. 22 Martii habitum Delegati. Pars populi accipiebat conditiones, alii recuſabant, cum edictum d. 9 April. in quo emigratio permittebatur, ita conſcriptum eſſet, ut fidi ei non poſſet, nec literæ commeatus ſatis candide expedirentur. Sic res ad arma erupit. Duo itaque exercitus educti ſunt, Ducis alter ſub *Gabriele Sabaudo*; alter Gallicus ſub *Catinato* Caſalii tunc Gubernatore. Valdenſium bis mille & quingenti in armis erant, ſed inconditi & peritis ductoribus deſtituti. Aggreſſionis initium d. 22 Aprilis factum eſt, plus tamen dolis quam vi profectum. Qui enim promiſſis de impunitate & libertate religionis fidentes deditionem fecerant, capti ſunt omnes, ſpoliati inde & exuſti vici, cæſi crudeliter incolæ, ſtupratæ fœminæ aliaque ſævitiæ exempla tum a Sabaudis tum a Gallis edita; captivi vero, quorum numerum ad decem millia adſcendiſſe ſcribunt, cum in bello ter mille occiſi eſſent, in varia loca diſtributi & miſer-

Cap. XX.

Cap. XXI. miſerrime habiti ſunt. Sic funditus proſtrata res Valdenſium videbatur, cum a paucis, qui promiſſis & ſyngraphis hoſtium credere noluerant, & in latebras ſeceſſerant, initium factum eſt ſervandi miſerorum reliquias. Octoginta ex valle Lucernenſi, & quinquaginta ex San-Martiniana, ex locis inacceſſis in novos Vallium colonos irruentes, tandem cum vi ſubigi non poſſent, tuti abitus literas & obſides impetrarunt, & inde in fines Helvetiorum ve-

Cap. XXII. nerunt. Interea etiam Helvetii cum Duce egerant, ut captivos dimitteret; ſed id tam maligne factum eſt, ut media hyeme per vias incommodiſſimas traducti plurimi, & potiſſimum ſenes & debiliores, miſerrime interirent. Incredibile pene eſt, quod de afflictionibus narratur, quas in carceribus, omnibus prope vitæ ſubſidiis carentes ſuſtinuerunt, item de vexationibus a monachis & ſacerdotibus defectionem a religione ſuadentibus. Mille tandem & quingenti ſeminudi & vix ſpiritum trahentes Genevam pervenerunt, reliquos omnes carceris ſqualor, penuria victus, & frigus abſum-

C. XXIII. ſit. Laudat impenſe Autor charitatem exulibus iſtis a Genevenſibus & Helvetiis, tum etiam in Germania, & maxime a Sereniſſimo & Potentiſſimo Electore Brandenburgico exhibitam. Interea ſpes omnis in patriam redeundi decollaſſe videbatur: repletæ erant Valles aliis colonis, & qui ex indigenis libertatem & bonorum ſuorum reſtitutionem abjurata religione pacti erant, denuo ejecti & in alias ſedes traducti fuerunt. Quæ ſecuta ſint, nemo

Cap. XXIV. ignorat. Sexcenti exulum, cum opifices plerique eſſent, nec modum ſeſe ſuosque alendi invenirent, patriæ deſiderio accenſi, magno cum ſecreto, quatuor a Geneva leucis in ſylva *Nionenſi* convenerunt, & accedentibus trecentis, qui itidem exulabant, Gallis, menſe *Septembri* anno *1689*, tranſmiſſo lacu Genevenſi in Sabaudiam penetrarunt, ducibus *Arnaldo* quodam, Eccleſiæ miniſtro ac concionatore, & *Turello* cæmentario, belli quidem rudibus, Mirabili tamen modo obſtacula omnia ſuperarunt, cæſisque qui tranſitus ob-

Cap. XXV. ſidebant, in Valles demum ſuas redierunt. Mox illos vi adorti Sabaudi & Galli in cacumina montium repulerunt. Ex his tamen dejici non potuerunt, & octies cum hoſtibus conflixiſſe feliciter dicuntur, & ex iis ſupra mille peremiſſe, centum tantum ex ſuis deſideratis. Sub finem anni integram dimachorum Gallorum

turmam

turmam (*un Regiment des Dragons*) delerunt, neque illis Marchio *Parellanus* & Gallorum Ductor *Feuquierius*, menſe Februario & Martio anno 1690 cum copiis adventantes multum nocuerunt. Inſperatum inde ſolatium ſalutiſque remedium natum eſt, cum Dux Sabaudiæ a ſocietate Gallica diſcedens, cum Auguſtiſſimo Imperatore noſtro ſociisque Regibus & Principibus fœdus iniret. Cum igitur intelligeret, a Gallis Vallium poſſeſſionem cum integra religionis libertate promitti, ſi in partes illorum transgredi vellent, præveniendum ſibi eſſe (ita referente Autore) & conciliandos ſubditos exiſtimavit. Iis igitur amneſtiam generalem obtulit, captivos ex vinculis liberavit, alloquiis etiam & veſtium dono fovit, culpam antea geſtorum Gallis imputans. Cum vero ex numero Valdenſium ultra duo millia non ſupereſſent, poteſtatem illis dedit, ut quotquot vellent ex profugis Gallis in valles ſuas reciperent. Iſthæc omnia ſingulari & miraculoſa DEI providentia acciditſe, minime dubitat Autor. Præterimus quæ epilogi loco ex cap. 11 & 12 Apocal. Valdenſibus applicavit. Finiit hiſtoriam menſe Octobri 1690, cum ſucceſſus quoſdam Valdenſium contra Gallos retuliſſet, quod ex *Feuquierii* copiis mille & quingentos interque eos tribunos duos, centuriones quadraginta, multosque inferiores ductores interfeciſſent, Valliumque ſuarum poſſeſſione Gallos ejeciſſent. Cap. XXVI. C. XXVII.

D. AVGVSTI QVIRINIRIVINI ORDO PLANtarum, quæſunt Flore Irregulari Tetrapetalo.

Lipſiæ, typis Chriſtoph. Fleiſcheri 1691. in fol.

ALtera pars Operis Botanici hæc eſt, quam poſt Monopetala edere Autor conſtituit, Dipetalis nempe Tripetalisque irregularibus omiſſis, quod hactenus plantæ hujus generis vix ac ne vix quidem innoteſcant. Quemadmodum autem in illa priori parte Verticillata potiſſimum, ita in hac altera Leguminoſa maxime utramq; faciunt paginam; atque ideo de ſiliquarum ſeminumque differentia hic loci largior fit mentio, quam antehac, ubi pleraque ſemina nuda exiguaque occurrebant. Id enim inprimis intendit Autor clariſſimus ut pleniorem, quam hactenus factum, notitiam ſtirpium ſuppeditet Botanophilis, examinando accuratius & flores atque fructus. Nam & hanc ob cauſam auguſta utitur charta, quo magis commode ad vivum delineari queant omnia.

ÆNIGMA GEOMETRICVM DE MIRO OPIFICIO Teſtudinis Quadrabilis Hemiſpharicæ

A D. PIO LISCI POSILLO GEOMETRA propoſitum die 4 April. A. 1692.

Cujus divinatio a ſecretis artibus illuſtrium Analyſtarum vigentis ævi expectatur, quod in Geometriæ pura Hiſtoria tantummodo verſatus, ad tam recondita videatur invalidus.

INter venerabilia eruditæ olim Græciæ Monumenta extat adhuc, perpetuo equidem duraturum, Templum auguſtiſſimum ichnographia circulari, ALMÆ GEOMETRIÆ dicatum, quod, Teſtudine intus perfecte hemiſpharica, operitur: Sed in hac feneſtrarum quatuor æquales areæ (circum ac ſupra baſim hemiſphæræ ipſius diſpoſitarum) tali configuratione, amplitudine, tantaque induſtria, ac ingenii acumine ſunt extructæ, ut his detractis ſuperſtes curva Teſtudinis ſuperficies, pretioſo opere muſivo ornata, Tetragoniſmi vere geometrici ſit capax.

Quæritur modo, quæ ſit, qua methodo quave arte pars iſta hemiſphæricæ ſuperficiei curvæ quadrabilis, tenſæ ad inſtar carbaſi, vel turgidi veli nautici, ab Architecto illo Geometra fuerit obtenta? & cui demum plano geometrice quadrabili ſit æqualis?

Præſentis ænigmatis enodatio (quod ſpectat ad hujus admirabilis Fornicis tum Conſtructionem expeditiſſimam, tum Quadraturam) *Sereniſſimo FERDINANDO Magno Principi Etruriæ*, ſcientiarum & nobiliorum artium *Cultori ac Patrono Generoſiſſimo*, ab eodem Ænigmatiſta oblata jam eſt; qui quidem ſimul non dubitat, quin hoc ipſum ænigma a ſingulis literario in orbe degentibus hodie præclariſſimis Analyſtis ſit ſtatim divinandum, proprias quadrationes impertiendo ſingularis Teſtudinis hujus tetragoniſmicæ ab hemiſphæra diſſectæ, & ipſorum peracutas indagines, multiplicesque induſtrias ad hoc unum, idemque geometricum collimantes impatienter expectat, ut hinc, qui temere contumelias in Geometricam jacere audent, ſilere diſcant; vel potius maxima cum voce exclament, *Obuni-*

Ob unica verorum ſciſcitabilium Scientia a Divina in hominum *mente* infuſa, ut hæc imperviis, mutabilibus, fallacibusque contemtis, æterna iſta, quæ ſemper & unicuique ſunt eadem, tantum appetat, nilque aliud unquam magis innocuum ſcire perquirat.

Ænigma a G. G. L. ſolutum eſt 27 Maji ſtyli novi 1692, ea ſcilicet die, qua ad eum pervenit, & proximo curſore, id eſt tertia abinde die, cum hac ſolutione & Epiſtola ad Magnum Principem Hetruriæ remiſſum. Solutionem hic exhibemus.

CONSTRUCTIO TESTUDINIS QUADRABILIS Hemisphæricæ; Autore G. G. L.

SUperficiem Sphæræ Archimedes demonſtavit æqualem eſſe circulo, cujus diameter ſit dupla diametri Sphæræ. Idem viam oſtendit, qua portio quæcunque Sphæræ, arcus circuli rotatione genita, adeoque vel uno circulo abſciſſa, vel duobus comprehenſa, ad circulos & circuli portiones reduci poteſt. Triangulum Sphæricum tribus circulis magnis contentum dudum dimenſi ſunt Geometræ. Nam quadrupla Trianguli area eſt ad ſuperficiem Sphæræ, ut ſumma angulorum, duobus rectis minuta, eſt ad duos rectos. Hinc jam, cum dentur & triangula duobus circulis magnis & uno minore ad ambos normali comprehenſa, facile habentur etiam illa, in quibus anguli ſunt qualescunque; imo in triangulo jam magnitudine dato, alium circulum ex aliquo ejus angulo educendo, dantur & triangula comprehenſa uno magno & duobus minoribus; ac denique tribus circulis quibuscunque. Sed majus aliquid hic agitur, ut ſcilicet menſurentur portiones ſuperficiei ſphæricæ aliis quoque lineis contentæ, & quod potiſſimum eſt, ut aſſignentur, quæ ſint abſolutæ quadrabiles. Videram dudum patere ad hæc aditum, ſed non omnia vacat agere; itaque non attigi, donec nuper Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Abbas de Monte acuto, Magni Ducis Hetruriæ Ablegatus ad aulam Cæſaream juſſu Serenisſimi Domini ſui hoc mihi elegantiſſimum ænigma Geometricum typis editum, attentandum miſit. *Quæ-*

ritur forma Templi Hemispherici, sed quatuor æqualibus ac similibus, similiterque positis fenestris ita interrupti, ut his detractis, reliquum hemisphæricæ superficiei sit absolute quadrabile. Hunc nodum aggressus ea ipsa, qua literas accepi, die solvi, & quidem infinitis modis, neque enim determinatum problema est. Non tamen ideo facile putari debet, aut solutu indignum; sed rem paucis exponere operæ pretium erit, additis etiam nonnullis, quæ longissime ultra quæsitum extenduntur.

(1.) Si sphærica superficies in Elementa resolvatur ductis meridianis & parallelis, areolæ Elementares inter duos meridianos duosque parallelos comprehensæ, erunt in ratione composita elementorum æquatoris inter meridianos, & elementorum axis inter parallelos; æqualesque productis ex his elementis in se invicem re-
TAB. V. spective ductis, ita *fig. I.* areola LN erit ad areolam NR in ratione
Fig. 1. composita HG ad GQ, & ST ad TV. Quod secundum meam *Analysin infinitorum differentialem* ita apparet, si PK vel KH sit radius r, & PL arcus sit a, & ejus sinus versus PS sit x, & sinus rectus LS sit y, & QH sit v, fiet LM, da, & ST, dx & GH, dv & NM $ydvr$ & $da = rdxy$. Jam areola LN, est NM in LM, ergo est $dvdx$. Hæc prolixius non explico, quod mea principia tam *Geometriæ incomparabilium*, quam *Analyseos infinitorum* in Actis Eruditorum jam prodiere.

(2.) Iisdem positis, trilineum elementare duobus meridianis & elemento paralleli comprehensum, æquatur rectangulo sub sinu verso graduum meridiani, & elemento æquatoris inter meridianos intercepto. Nempe in eadem *fig. I.* PMNP æqu. PT in GH, seu superficiei cylindricæ elementari GHAD. Nam quia LMN æqu. $dvdx$, per præcedentem, ergo trilineum elementare sphæricum PMNP, quod est summa omnium hujusmodi arcolarum inter P & M (manente semper eadem dv,) seu $\int dx\,dv$ erit xdv.

(3.) Trilineum in superficie sphærica duobus arcubus meridianorum (seu circulorum magnorum) & linea alia quacunque subtendente comprehensum, æquatur portioni superficiei cylindricæ, cujus basis sit arcus æquatoris inter meridianos interceptus, ipsa autem superficies formetur, dum puncto, quo quisque meridianus secat æquatorem, normaliter ad planum æquatoris insistit recta,

TAB. V. ad A. 1692. pag. 276.

fig. 1



fig. 3.



fig. 2



cta, æqualis sinui verso graduum meridiani, inter polum & lineam subtendentem interceptorum. Nempe in eadem *fig. I*, dum respective æquantur HF, GD, QB, ipsis PS, PT, PV, & ita in reliquis punctis; tunc portio superficiei cylindricæ HQBF (seu superficies ungulæ) æquatur trilineo in superficie sphærica descripto PMRP, nam quia (per præcedentem) FHGD æquatur ipsi PMNP, & DGQB ipsi PXRP, & ita in cæteris quotcunque, consequens est tota totis æquari, PMRP ipsi HQBF.

(4.) Superficies cylindrica, quæ fit, dum sinus recti punctis respondentibus arcus circuli normaliter ad planum circuli insistunt, æquatur rectangulo sub radio & portione axis inter sinus rectos extremos intercepta. Et proinde quadrari absolute potest. Ita in *fig. 2*, si ubique BC sit æqu. AB, superficies cylindrica B (B) (C) C æquabitur rectangulo sub radio & A (A). Hæc propositio etsi ex calculo nostro paulo ante posito statim derivari possit, quia tamen dudum innotuit Geometris, non est cur immoremur. Videantur qui de linea Sinuum & Cycloide egere. Fig. 2.

(5.) Quadratura carbasi seu Lunulæ sphæricæ certis modis descriptæ, Res nova. Sit in *Fig. 3*, hemisphæricæ superficiei quadrans P D Q S A E P, unde abscindatur carbasus seu Lunula sphærica PEALΛP, per lineam ALLP, ita in Sphærica Superficie ductam, ut ducto meridiano PLS, per L, occurrente æquatori in S, sit FS, vel FΣ, sinus rectus ipsius QS vel ipsius QΣ arcus æquatoris, æqualis ipsi PB, Sinui verso ipsius PNL, arcus meridiani. Hæc Carbasus integra PEALΛP æquatur ipsi plano KΨ, quod est quadratum radii sphæræ. Sed & portio ejus quæcunque habetur. Nam PιNιL3 LP æquatur rectangulo 1F3M comprehenso sub radio, & 1F3F, differentia sinuum versorum Q1F, Q3F, quos habent extremi arcus æquatoris Q1S & Q3S. Hæc ita demonstrantur; rectæ Sω æquales ipsis FS vel PB, insistant arcui æquatoris QSA normaliter ad planum æquatoris KAQ; ita formabunt scutum A C ω Q S A, quod est medietas superficiei cylindricæ artic. præcedenti descriptæ. Jam quoniam Sω æqu. PB, ideo (per artic. 3) carbasi portio PιNιL2 LP æquatur Scuti portioni 1Sιω3ω3S1S, sed hæc æquatur rectangulo 1F3M per artic 4. Similiter tota Carbasus PEALΛP æquatur toti scuto AC ω QSA per 3; & hoc æquatur plano KΨ quod est quadratum radii per 4, ut proponebatur. (6) Car- Fig. 3.

(6) Carbasum sphæricam efficere, quæ sit in data ratione ad quadratum radii sphæræ; ratione inquam minoris ad majus. Hoc fiet lineam PLLA ducendo sic, ut PB sinus versus ipsius arcus PNL (portionis meridiani PLS) non sit æqualis ipsi FS sinui recto ipsius arcus QS, (portionis æquatoris QSA) ut in præcedenti, sed in data ratione minor, unde manifestum est, in eadem ratione & carbasum quadrato radii minorem fore.

(7.) Testudinem hemisphæricam æqualiter quadrifenestratam efficere, ita ut hemisphærii superficies demtis fenestris sit quadrabilis, idque infinitis modis, adeo ut hemisphærica hæc superficies perforata sit in data ratione ad quadratum diametri; ratione inquam minoris ad majus. Nempe si in Testudinis seu templi hemisphærici quadrante quovis fiat, quod factum est in quadrante PEASQDP *fig. 3.* Nam hæc hæmisphærica testudo perforata constabit quatuor carbasis, ex quibus una sit PΛLAEP, ex fenestris autem quatuor (seu foraminibus) erit una PΛLASQDP. Et per artic. 5 fornix seu testudo sic perforata, tota æquabitur quadrato diametri (nempe quadruplo quadrati a radio seu carbasi) aut (per 6) erit in data ratione minor, Quod Erat Faciendum. Est autem QA portio basis, seu quadrans horizontis; P, Zenith; PA, PQ, quadrantes azimuthales.

(8) Alias testudines hemisphæricas perforatas quadrabiles efficere. Exempli causa invertatur figura, ut A fiat Zenith & PQ arcus Horizontis, tunc alius fiet quadrans testudinis ex carbaso & fenestra corniculata (ut prius) constans, sed inversis. Aliter invertatur figura, ut fiat Q Zenith, & AP arcus horizontis seu basis, habebitur quadrans testudinis, quæ tota constabit ex quatuor muris seu fornicibus, unaque apertura, a summo ad imum quadrifide se diffundente inter muros; sed tamen iisdem positis horizonte & Zenith, testudinem quoque quadrifenestratam quadrabilem sic efficiemus: Ponamus meridianum $P_2N_2L_2S$ bisecare æquatoris quadrantem QSA, quadrans igitur hemisphæricus PQSAP medietatem $P_2N_2L_2SAEP$ habebit constantem ex carbaso PEA_2L_2NP & apertura A_2S_2LA. Quod si jam idem fiat in altera medietate quadrantis, quæ est $P_2N_2L_2$ SQDP, ducendo QH_1L lineam æqualem & similem ac similiter positam ipsi A_3L_2L, constabit quadrans hemisphæricus carbaso quadrabili $PDEH_2L_3LAEP$, & apertura

ra QH₁L₁LASQ, sive fornice quadrabili & fenestra; & idem faciendo in cæteris quadrantibus, componetur testudo quadrifenestrata, sive P, sive Q, sive A, sit Zenith; quæ æquabitur facto ex radio sphæræ, ducto in diagonalem quadrati circulo magno circumscripti.

(9) Hæc omnia licebit aliter efficere infinitis adhuc modis. Hactenus feceramus ut PB esset æqualis ipsi FS, aut in data ad eam ratione: sed innumeris modis hæc variari possunt salva quadrabilitate, quot fere modis dantur figuræ planæ quadrabiles; imo secundum datam quamvis quadraturam. Exempli causa, si punctum L sumatur ita, ut PB (sinus versus ipsius arcus PNL, qui est portio meridiani P L S) sit æqualis differentiæ inter tangentem & Sinum rectum ipsius arcus QS, carbasi portio PΛ₂L₂NP æquabitur dimidio quadrato Q₂F, & tota carbasus dimidio quadrato radii. Quin &, si sit PB æqu. KF, æquabitur iterum carbasus quadrato radii. Sed & portio ejus quævis inter meridianos facillime quadratur.

Scholium: Nec inelegans, nec inutile futurum erat, testudinum formas delineationibus exprimere, sed temporis brevitas effecit, ut Geometricis oculis scribere contenti nunc essemus.

CARMINA PACIFICI MAXIMI POETÆ Asculani.

Parmæ, apud Galeatium Rosatum 1691. in 4.

INter *Delicias Poetarum Italorum* (quo elogio ducentorum seculi decimi quinti & sexti in hac gente clarorum hominum ingenii monumenta, post *Jo. Matth. Toscanum*, qui eadem anno 1577 collecta evulgarat, duobus voluminibus inclusa anno 1608 edidit sub *Ranuti Gheri* nomine se occultans *Janus Gruterus*) omnino referri merebantur cultissima hæc Pacifici Maximi poemata, cujus vix nomen in memoria hominum hactenus superfuit; quæ tamen cur in istum censum non venerint, ignoramus. Typis sane Florentinis anno 1489 & Bononiensibus anno 1523 excusæ in publico apparuerunt florentissimi hujus Poetæ centum elegiæ, sive *Hecatelegii libri decem* Matthiæ Pannoniæ Regi dicati; duo autem

de

de Lucretia, quæ vim passa a Tarquinio manus sibi intulit, totidemque *de Virginia* a patre Virginio interemta, cum eam Appius Claudius stupro destinasset, libri, eodem carminis genere venustissime conscripti, Angelo Colotio consecrati, anno 1506 Fani extabant impressi. Præterea epicum carmen *ad Joh. Fatalem Salvalium*; & ad Jacobum Salviatum prosaico sermonis genere scriptus *de componendis elegiis* libellus; nec non *de Romano Kalendario* rotulæ incluso commentatiuncula; *Oratio* etiam *in Senatu Lucensi* habita, qua ad justitiam & fortitudinem cohortatus est Patres. Verum omnia ista alta oblivionis nocte premebantur, parumque de istis constabat nobis, non nisi e Gesnero-Simleriana Bibliotheca edoctis scripta hæc prodiisse. Unde etiam didicimus, plura fœcundissimi ingenii hujus monumenta, præter ea quæ modo recensita jam denuo recusa sunt typis Parmensibus, extare, nempe *de Bello Spartiaco* libros sex; *de Cyri* Persarum Regis *bello* libros septem; *de Sylla & Marii præliis* libros duos; *invectivam in Angelum Politianum*; *Grammaticales regulas* tum prosa tum metro descriptas; *Declinationes verborum Græcorum*. Præter hos libros ab eodem scripti in lucem publicam prodiisse memorantur *de Sapientia* libri septem, *de Castitate* octo; *de Moderatione animi*, *de Bono*, *de Fato*, *de Anima* novem; *de Divina providentia* decem. Ab interitu & oblivione clarum hoc nomen vindicavit, inq; usum & memoriam hominum, quibus exciderant, monumenta ejus primo loco recensita revocavit clarum Nobilitatis Asculanæ decus, Reverendissimus Episcopus Parmensium *Saladinus*, natalium splendore, pietate, doctrina, & virtutibus omnibus insignis. Cui cum contigisset eadem, cum Vate isthoc patria Asculum, (Nicolai etiam quarti P. M. natalibus clara, qui inde *Asculanus* fuit appellatus) civis sui memoriam servandam existimanti, prima fuit cura, ut ingenii ejus præcipuos fœtus conservaret, inque sæculi hujus lucem protraheret. Istos autem in Italia ipsa vix superstites amplius, non alunde quam e divite, & vetustis æque ac novis præstantioribus libris instructo penu Illustris Viri, cujus beneficio ad nos quoque nova hæc editio pervenit, *Antonii Magliabechi* nancisci licuit. Ejus ab humanitate & officiositate geminos, quos supra indicavimus, Florentiæ 1489 & Fani 1506 excusos libros adeptus, in eorum gratiam qui Latinæ poeseos dulce-

dulcedine ducuntur, ejus felicissimi cultoris, & sui nominis vere Maximi, poëmata ac libellos eximiis typis splendide impressos publico dedit. Ex elegiis autem, quæ maximam voluminis partem constituunt, facilitate ac venustate veterum poetarum carminibus æquiparandæ, quod nonnulla parum caste & procaciter scripta in quibusdam intelligeret, eas omisit, quæ pudicitiæ temporum minus convenire, & a bonis moribus ac honestate alieniores viderentur. Ex *Athenæo Asculano* autem (quo nomine liber insignitur eruditos ex Asculo homines orbi sistens; sed qui in publicam lucem nondum emissus est, ab auctore *Paulo Antonio Apiano* S. J. Patre ultimam expectans manum, quod nos docuit laudatus modo *Magliabechus*) vitam Maximi exposuit, hisque Poematibus præfixit doctissimus Editor insula Parmensi insignis. Natum eum docet anno 1400 Asculi e familia nobili & divite, ipsique *Pacifici* nomen a parentibus impositum, ob pacem inter municipes Asculanos eo tempore, cum nasceretur, factam, depositis simultatibus, quas antea aluerant. Carminibus scribendis apto ingenio ipsum valuisse, & huic potissimum studio deditum fuisse, magnum etiam inter Christianos poetas locum esse adeptum affirmat, nisi quod elegantiam versuum lascivia identidem & amoribus fœdis contaminarit; quorum tamen pœnitentia ductus, devexa jam ætate, *de laudibus pudicitiæ* poëmata egregia condiderit. Extremam senectutem eum attigisse, & centesimum annum ætatis cum ageret, anno 1500 Fani, ubi forte agebat, e vivis excessisse, memorat,

LA VIE DE MONSIEVR DES-CARTES.

sive,

VITA CARTESII.

Parisiis, apud Danielem Horthemels, 1691. in 4.

Plagul. 139.

CArtesii, Philosophorum nostri seculi facile principis, Vitam & res gestas erudito orbi exponere diversi quidem jamjum aggressi sunt, extantque hanc in rem scripta a *Lip-*

Præf. pag. xiv. sqq. *Horpio*, *Borello*, *Tepelio*, *de Vries*, aliisque edita: de quibus tamen quid sentiendum, & quomodo non nisi pro meris fragmentis, ac satis quidem imperfectis, habenda sint, in præsentis libri præfatione latius ostenditur. Justam certe viri celeberrimi Biographiam qui contexeret, hactenus nondum comparuit (quamvis p. x. *Morhofius Polyhist. L. I. c. 25. pag. 317.* conjecerit, id factum esse a Chanuto, Gallico apud Suecos quondam Legato, & intimo Cartesii amico, huic utique rei, nisi defuisset otium, aptissimo) ut hinc non exiguæ Autori nostro, quem *Bailletum* esse fama fert, gratiæ debeantur, quod laborem hunc, rogatus a pluribus, in se susciperet, eoque pro more suo, hoc est, dexterrime defungi voluerit. Scilicet non in eo solum boni historici officium implevit, quod gesta fideliter & secundum omnes circumstantias, ut maxime minutæ cuipiam & leviculæ videri possent, recensuit; sed ne nævos quidem ac defectus in persona a se delineata conspicuos celavit: ut hinc tanto minus de ingenua relationis veritate dubitare liceat. Præterea vero gratissimum lectori officium præstitit, dum occasione Cartesii passim excurrit in historiam literariam illorum temporum, atque sic de aliis quoque viris doctis isti familiaribus, aut saltem coævis, eorumque vita, fatis ac obitu plurima commemorat cognitu dignissima. Neque fontes reticuit, unde scriptionis hujus universam hauserit materiam, sed singulis in paginis autores pariter ac alia documenta, quorum vestip. xxii. stigia fuerit secutus, ad marginem sedulo allegavit. Nimirum congessit opus hocce suum partim e variis variorum, etiam Philosophi sui adversariorum libris; partim & potissimum ex ipsius Cartesii operibus, ac epistolis maxime, tam impressis, quam manuscriptis, quæ ut hinc inde sibi ab amicis & possessoribus, quos singulos in præfatione nominatim laudat, communicarentur, impetravit. Ait tamen, se plura hujus generis sibi promisisse ex Hollandia, tanquam loco mansionis defuncti pluspuam vicennalis: ast p. xxx. spe sua magnam partem excidisse, postquam Dominus *de Raey*, schedas Cartesii apud se extantes ut inspiciendas commodaret, rogatus, id recusasset, causatus eas perpaucas esse & nullius momenti; indicata tamen simul haud obscure amico isthæc sollicitanti repulsæ suæ ratione his verbis: *Vita Cartesii est res simplicissima, & Gal-*

& Galli eam corrumperent : quo nomine Autor noſter ipſum & ingratitudinis in magiſtrum quondam ſuum, & invidæ inofficioſitatis erga Rempublicam literariam, & injuriæ tandem in Gallicam nationem commiſſæ poſtulat, & acerbe perſtringit. Cæterum cuncta hoc in opere ordine perquam concinno digeſta comparent, uti e Syllabo librorum & capitum, qui utrique ejus Tomo affigitur, videre eſt: unde cum quis contenta univerſa exiguo labore perdiſcere valeat, non opus erit, ut iis ſigillatim recenſendis hic vacemus. Quin potius in gratiam eorum, quibus librum hunc aut videre aut ſaltem perlegere non erit integrum, præcipua biographiæ hujus puncta breviſſime delibabimus, & ex locupletes congeſtarum hic rerum notabilium cumulo, aliquas ſpecimînis loco excerptas communicabimus. Nimirum prognatus fertur *Renatus Carteſius* e perantiqua apud Turones familia nobili, patre *Joachimo Deſcartes*, Petri filio, & matre *Claudia Ferranda*; quorum utriuſque proſapia diffuſius enarratur. Patriam, de qua hactenus non minus fere, ac Homeri quondam, diſceptatum eſt, habuiſſe dicitur *Hagæ* oppidulum, inter Turonum Pictonumque provincias ſitum: natalem vero diem ultimum Martii, anni 1596: quem quidem ipſe ſedulo concelaſſe perhibetur, ne Aſtrologis in ſuum horoſcopum inquirendi anſam præberet. Nomen ejus quod attinet, *Renatus* vocari meruit, ab altero ſuſceptorum baptiſmalium, *Renato* nempe *Brochardo* Domino *des Fontaines*, Prætore Pictavienſi: cognomen vero, more apud Gallos conſueto, (ad diſtinctionem a fratre natu majore, *Petro Deſcartes*, Regis in Parlamento Britanniæ conſiliario) ipſi primo inditum fuit *du Perron*, a modico quodam hujus nominis diſtrictu, qui & ipſi in partem ceſſit. Eo tamen brevi tempore uſus eſt, dum mox, poſtquam paternam familiam reliquit, majorum exemplo *Deſcartes* iterum cognominari maluit. Graviter autem tuliſſe primo narratur, cum ab exteris nomen hocce ſuum in *Carteſii* vocem, a gentilitio nempe titulo nimis abhorrentem, transformari ac detorqueri inaudiret: præſertim cum juxta orthographiam, antiquitus adhibitam, *des Quartes* majores ſuos appellatos fuiſſe noſſet, ſive *de Quartis*, teſtantibus id pluſculis inſtrumentis e ſeculo XIV ſuperſtitibus: ut hinc pateat, inſulſam ſatis eſſe alluſionem, dum ab uno

Tom. I, pag. 2,

p. 8.

12.

5.

13.

alteroque suorum malevolorum salutatus fuit *Philosophe de Carte*,
26. seu *Chartaceus Philosophus*. Octennis puer Collegio Jesuitarum, tum noviter Flexiæ erecto concreditus, ibidemque studiis humanioribus ac Philosophiæ imbutus fuit ad annum usque 1612: quo, post edita interim quamplurima ingenii, industriæ, judiciique haudquaquam vulgaris specimina, relicta schola, patriaque repetita, variis exercitiis Nobilitati familiaribus impendere se, ac latius in mundanas conversationes exspatiari cœpit. Fertur vero circa hoc
34. tempus sibimet proposuisse studiis penitus renunciare; sive a sodalibus & coætaneis otii ad illecebras seductus, sive, quod Autor mavult, expensa cunctarum pene scientiarum summa imperfectione, in fastidium ac desperationem quasi philosophicam abreptus. Certe ab anno 1614, ad annum usque 1628, vitam habuit partim sedentariam, dum gratuitus modo miles jam Batavorum, jam Bavaro-
40.58.92. rum, jam Hungarorum, jam Gallorum castra secutus est; modo
155. peregrinationibus per Germaniam, Bohemiam, Italiam, Helvetiam vacavit. Exacta sic, inter continuas fere inquietudines & propositi de eligendo certo vitæ genere incertitudinem, meliori ætatis parte, (qua decurrente tamen non omisit per intervalla doctis meditationibus insistere, subinde etiam data occasione amicis ingenii acumen, quæstionibus difficilioribus, Mathematicis præsertim, promte resolutis, approbare;) demum quo desiderium, diu animo agitatum, Philosophiæ certiora, quam hactenus factum, fundamenta jaciendi, commodius exequeretur, abdicato mundanæ turbæ strepitu secessum quærere statuit: quem cum in patria nevix quidem satis quietum, nimis quippe omnibus notus, & familiarium jugiter se invisentium interpellationi expositus, reperire se
168. posse judicaret, ea relicta Hollandiam sibi sedem elegit. Neque vero & hic fixa sede per vicennium, quod in provincia hac exegit,
175. usus est, sed subinde e loco uno in alium suam transtulit mansionem, eo maxime fine, ne diuturna nimis eodem in oppido commoratione hominum notitiæ proditus, ab amicorum se visitantium aut per literas frequentius compellantium cœtu temporis nimiam pateretur rapinam: quam eandem ob rationem quoque, ut nempe melius latitaret, in suburbiis & hortis circumjacentibus majorum
178. civitatum, quam intra earum mœnia se continere maluit: quin & epistо-

epistolas non facile recto itinere ad se dirigi passus est, sed per ambages potius adsitarum urbium, ne vel hinc resciret alii, ubinam ipse degeret. Singularum vero, quas per annos hosce ea in provincia habuerit, stationum catalogum, & temporis ordinem, non 176.
absque labore hinc inde conquisitum Autor communicat. In hoc ergo otio literario, postquam totos novem annos præcedentes eradicandis ex animo præjudiciis opinionum insumserat, disciplinisque sterilioribus & parum hac in vita proficuis (quas inter
speciatim Mathesin speculativam, nudisque numeris ac figuris 112. 225.
mere imaginariis occupatam recensuisse fertur,) renunciaverat, totum sese solidiori Philosophiæ impendere fategit: qua in re quantos habuerit profectus, non aliunde melius, quam ex ingeniosissimis, quæ per hoc tempus elaboravit, scriptis colligere est: quorum historiam, nec non singulorum ætatem ac fata Autor noster nuspiam non secundum annorum seriem accurate annotat, atque deducit: diffuse simul exponens, quas isto annorum spatio cum variis adversariis & æmulis, speciatim cum *Fermato, Beaugrandio, Vötrio, Schookio, Revio, Triglandio* aliisque, controversias satisque acerbas subinde contentiones habuerit; uti & vicissim, quibus amicis ac familiaribus gavisus fuerit Cartesius, passim hoc in opere commemoratur: quos inter omnes haud parum eminuit *Mersennus*, utpote quem solum continuo literarum commercio Philosophus noster dignatus est; solum quoque fere loci, ubinam gentium quovis tempore latitaret, conscium esse sivit; fidelem quippe secretorum custodem. Tametsi vero ita corpore tenus in abdito manere laboraverit, fama nihilosecius de ejus doctrina ac scriptis longe lateque increbuit: unde non modo anno 1647 a Galliæ rege annua ter mille librarum pensione, sponte ac præter ullam Tom. II.
expectationem donatus est; sed & a Christina, tum Sueciæ regina, p. 327.
variæ nempe eruditionis impense cupida, anxie pro magistro expetitus: cujus solicitationibus, per Chanutum, Gallicum in Suecia 386. seqq.
Legatum plus vice simplici factis, tandem invitus licet assurrexit, ac itineri, ineunte autumno anni 1649, semet accinxit, proximo tamen vere in Hollandiam se reversurum confidens. Postquam ita Holmiam circa initium Octobris appulit, a Regina honorifice exceptus, moxque jussus est ipsam quotidie hora quinta matutina in 389.

Bibliotheca ſua inviſere, ac Philoſophiam edocere: quod officium etiam, cum honeſte recuſare non poſſet, ad mortem uſque ſuam, quæ tamen brevi poſt inſecuta eſt, explevit. Nimirum anno
414. proximo 1650, ipſis Calendis Februarii, morbo acuto, quem pleuritidem notham judicarunt medici, correptus, decimo poſt die, ſummo cum Reginæ, non fictis ejus obitum lacrymis dignatæ, dolore
423. expiravit, annos natus 53, cum 10 menſibus & 11. diebus. De cauſa morbi mortisque inſecutæ varius, ut fieri amat, rumor tum ſparſus: aliis fabulantibus, ipſum ex animi mœrore occubuiſſe, eo quod
415. expectatione ſua inclementius haberi ſe ac deſpici a Regina vidiſſet; aliis cauſantibus, eum ex podagra (a qua tamen ſemper liberum manſiſſe conſtat) incaute, licet principiis Carteſianæ philoſophiæ convenienter, tractata obiiſſe; aliis, nil quidquam obſtante inſigni ejus in victu moderatione, non erubeſcentibus evulgare, ipſum a nimio vini Hiſpanici hauſtu extinctum: aliis denique ex immodico labore ac lucubrationibus, aliis ſenectute ab itineris ſuſcepti moleſtiis
399. nimis labefactata, aliis ex propinato ab æmulis veneno defunctum dicentibus. Genuina decubitus cauſa hæc imprimis fuiſſe traditur, quod Reginæ præceptor factus, repentina nimis diætæ hactenus uſitatæ mutatione vim naturæ ſuæ facere opus habuerit. Nimirum non modo borealis climatis inclementia ipſum valde afflixit, dum nihil unquam complexioni ſuæ magis inimicum aëre frigido expertus eſt: ſed & maxime nocuit impoſita ſic neceſſitas ſummo mane quotidie ſurgendi diſcipulamque inviſendi: cum alioquin ab ipſa juventute (conſilio P. *Charleti*, in Collegio Flexienſi Rectoris, magiſtri quon-
T. 1. p. 28. dam ſui ad hoc inductus) ſueviſſet, meliorem horarum matutinarum partem in lectulo terere, ac ſuis ita meditationibus vacare: ſicuti &
T. 2. p. 416. pleraque ſuorum operum ſic decumbens concepiſſe pariter ac peperiſſe narratur. Morbi vero ita ſenſim contracti periculum inde cum primis auctum perhibetur, quod febricula prævia mox cerebrum ægroti ita turbarit, ut ſalutaribus amicorum conſiliis, maturam venæſectionem ſuadentibus, auſcultare omnino renueret, ſubinde ingeminans, *parcite quæſo, domini, ſanguini Gallico;* cum tamen deinde, malo ingraveſcente, cum liberiorem rationis ac mentis uſum redeptus eſſet, ſponte ſed ſero nimis venam ſibi ſemel iterumque fece-
420.
419. rit aperiri, ubi ſanguis oleo non abſimilis effluxit, æſtu febrili nihil remitten-

mittente. Cæterum licet, uti dictum, morbi initio haud obscuram animi emotionem passus fuerit, ea tamen imbecillitate durante non aliis de rebus, quam quæ pietatem humanæque sortis miseriam concernerent, utcunque vagante discursu, mentionem fecisse dicitur; tametsi omnes expectassent, Philosophicas & Mathematicas speculationes, quibus magnam vitæ partem insumserat, ejus imaginationi tum obversaturas ante alia fore. Defuncti corpus, quamvis Regina in templo Regum prædecessorum sepulcris superbiente, terræ mandare ac splendido honorare monumento decrevisset: tamen ad instantiam supra memorati Legati Gallici, cujus amicitia pariter ac patrocinio hospitioque Cartesius usus eò usque fuerat, absque pompa, comitantibus modo paucis Romano-catholicis, in cœmeterio Orphanotrophii, ubi nunc S. Olai fanum est, inter alios ejus religionis consortes sepultum fuit: locoque marmorei Mausolei, quod Regina ipsi destinaverat, non nisi simplex cippus cæmentitio opere erectus in memoriam defuncti, cujus quatuor lateribus adpositæ inscriptiones fideliter ab Autore communicantur; perinde ac ectypus nummi mnemoneutici ipsius in honorem in Hollandia excusi effigiemque exhibentis. Plusquam tribus dein lustris ab ejus obitu jam exactis, anno nempe 1666, *Alibertus*, generalis Franciæ Thesaurarius, veteris amicitiæ memor, veniam impetravit sacrum illud depositum e Suecia in Galliam transportandi: unde solennibus ceremoniis Cartesii cineres ac ossa in præsentia Gallici tunc Legati *Terloni* (qui hac occasione ex manus, tot egregiis scriptis inclytæ, ossiculis unum, religiose a se adservandum ut concederetur sibi, impetravit,) effossa cupreoque sarcophago inclusa fuere; ac postmodum, cum ineunte anno 1667 Lutetiam delata essent, magna cum pompa sequenti die 24 Junii in Basilica S. Genovefæ de Monte sepulturæ tradita: mediam tamen inter hanc solennitatem funebrem, mandatum ab aula regia advenit vetans, ne parentatoria Oratio, ad quam P. *l'Allemant*, Cancellarius Universitatis diu se præparaverat, publice pronunciaretur: dum suspicio fuit, ne qui fortean, inter reliquos auditores, malevoli censores inde unum alterumque iniquius interpretandum arriperent. Marmoreum quoque epitaphium eodem in templo erectum fuit, Cartesii effigiem exhibens cum duplici inscriptione, quarum utraque, altera quidem

224. 429. 431. 436. 440. 443.

quidem Gallica ligato, altera Latina (quæ Petrum Alibertum, *sepulcri pium & amicum violatorem* nominat,) soluto sermone, concepta, plene a nostro recensetur. Indicata hucusque potiora Biographiæ Cartesianæ capita si quis uno obtutu secundum temporis ordinem consignata ac diffusius enumerata videre gestit, consulere poterit Tabellam Chronologicam, quæ in fronte Tomi I. sistitur, ubi singulis actibus hujus curriculi vitæ annus non modo ætatis Cartesii, Æræq; Christianæ sed & plerumque mensis ipse adscribitur, subjuncta simul allegatione paginæ, ubi fusius pertractentur, hoc in Libro. Cæterum præter gesta hactenus commemorata, plurima alia communicantur, Philosophi personam, mores, victum, rem familiarem, & conversationem concernentia. Sic fertur exi-
445. liori statura fuisse, capite tamen proportione corporis majusculo, oculis e nigro & cinereo colore compositis; quibus veluti scintillantibus recens a somno expergefactus subinde objecta viciniora
T.I. p.82. per medias spectare tenebras valuit. A prima mox juventute, pulmonarius fuit & infirmioris valetudinis: indeque cum per-
T.II. p.453. suasum haberet, sanitatem inter bona hujus vitæ summum, si virtutem excipias, locum obtinere, fassus est, ejus conservationem præcipuum omni tempore studiorum suorum scopum fuisse, confisus multa hac in re per quotidianam observati experientiam posse, summe utilia, quæ tamen vulgo ignorentur; adeoque cum Tiberio fere consentiens, quem scilicet Suetonius statuisse refert, hominem triginta annos natum sufficientem jam noxiarum sibi aut proficuarum rerum cognitionem habere posse solius experientiæ beneficio, ut sui ipsius medicus esse utiliter queat. Temperantissima,
448. proinde dieta usus est, ac speciatim a cibis nimium nutrimentum largientibus, quantum pote abstinuit: & licet arbitratus fuerit, summopere conducere, ut continua stomacho occupatio sufficiatur, hanc tamen in rem adhibendos maxime ratus est cibos parcius nutrientes, radices, legumina, herbas, fructus horæos & similia, utpote quæ vitæ prolongandæ magis proficua carnibus ani-
449. malium credidit. Inter alios vero cibos, quod mireris, valdopere delectatus fertur placenta ex ovis jam 8 vel 10 dierum incubatione subactis parata: cum e diverso si aut longior aut brevior incubationis terminus fuisset, non nisi detestabilis saporis ferculum inde

fieri

fieri compererit. Id quoque in victu quotidiano annotavit, & famem, & somnum, sibi a gaudio forte oblato tantum non penitus tolli: utrumque vero eorum augeri a prævio mœrore aut metu periculi obvenientis. Venæsectionem, statis maxime tempestatibus repeti solitam, non parum abbreviare vitam autumavit: imo vix alio eam casu probavit, quam ad reprimendam narium hæmorrhagiam obstinatiorem: tum enim, aliis scilicet remediis, & cum primis abstinentia a fortioribus corporis animive motibus, vino item, acero, sinapi, sale, aromatibus, maxime vero a *croco*, incassum prius tentatis, non aliud magis præsens auxilium malo huic averruncando esse putavit, quam venæ sectionem in pede aliquoties iteratam, ita quidem ut uno tantum alterove cochleari qualibet vice extracto, intra bihorium circiter duæ aut tres sanguinis unciæ emittantur. Rem Cartesii familiarem quod concernit, constat ipsum paucis contentum, nunquam opibus accumulandis studuisse, imo sæpe occasiones iis potiundi consulto neglexisse: unde jocari quandoque solitus est, credere se fortunam offensam sibi esse, quod nihil unquam expectare ab ea aut optare dignatus, semper vitam suam taliter instituerit, ut quam minimam ipsa in se potestatem haberet; sicuti & in defuncti bonis reperta, 200 thalerorum pretium non transcenderunt. Ac sane facilius iis carere potuit, dum uxore liberisque destitutus, non habuit cui de victu prospiceret, nisi sibimet ac famulis, (quorum ipsorum etiam catalogum texere nostri Biographus non omisit, *p. 455. sq.*) nutricem tamen quondam suam quoque, præbita ad mortem usque pensione vitalitia, grato ex animo aluisse traditur. Cæterum quamvis Cartesius fœminarum conversationem non penitus abhorruerit, dum & adolescens adhuc puellam quandam lusciosam dilexisse, (unde postmodum secretaquadam & naturali quasi affectione Strabonibus cunctis favere visus est,) & provectiori demum ætate, suorum magis suasu, quam proprio motu, virginem nobilem Dominam *de Rosay* aliquando ambisse perhibetur, (quæ ipsa dehinc non semel jactavit, solam se inter fœminas esse, quam Philosophus noster adamare dignatus fuerit) conjugio tamen se nunquam mancipavit, majores nempe in Philosophia ac veritatis indagatione, quam sexus hujusce consuetudine, delicias perspicere solitus. Filiolam nihilominus, nomine

451. 459. 457. 458. 499. 501. 89.

Francinam, incertum ex qua matre, genuit in Belgio degens circa annum 1635: quod & ipsum forsitan nesciretur, nisi ejus & conceptionis & nativitatis diem ipsemet in libri cujusdam sui involucro curiose annotasset, ac infantis, dum vixit, educandæ curam provide suscepisset, defunctamque anno 1640 acerbissime defleviſſet. Conjunctionem quidem, ex qua hæc suscepta, matrimonium clandestinum vocitat Noster, fassus tamen ipse, illud a concubinatu ne vix quidem distingui posse: excusare interim lapsum hac in parte admissum eo prætextu nititur quodammodo, quod Cartesio Anatomicis experimentis avidius inhianti, impossibile fuerit cœlibatus regulas ita stricte servare: quod suo loco relinquimus. Restat ut de studiis Philosophi nostri pauca adjiciamus, quorum summa in eo potissimum fuit, ut Naturam ex se ipsa cognosceret, veritatemque indagaret, semotis præjudiciis, & posthabita eorum, qui ante
467. se scripsissent, autoritate: atque hinc non nisi perpaucos legisse libros fertur, & quotquot in defuncti Bibliotheca reperti sunt, fere amicorum donaria fuerunt: ac sæpe contestatus dicitur, se si vel ma-
471. xime a patre studiis dicatus haud fuisset, non ideo minus easdem, & meliores forsitan meditationes editurum fuisse, atque nunc literis
466. imbutus fecisset. Ad scribendum vero multo adhuc segniorem se ostendisse traditur, dum non modo amicorum epistolis respondere plerumque ad ultimam usque horam distulerit, sed & ad meletemata sua in chartam conjicienda vix aliter, quam eum repugnantia quadam inductus fuerit. Certe nil minus ei cordi fuit, quam
464. scriptis per orbem innotescere, id quod satis testatur ejus symbolum, tum Ovidianum istud, quo primitus usus est: *Bene qui latuit, bene vixit*; tum quod ultimis vitæ annis adoptavit ex Seneca Tragico: *Ille mors gravis incubat, qui notus nimis omnibus, ignotus moritur sibi.* Patet hinc, quam parum de discipulis sibi conciliandis laboraverit: quos tamen vel invito fama undique adduxit & veluti obtrusit: e quorum numero non nisi tres hic memorare juvat, nativitatis nempe conditione præ aliis quid præcipui habentes. Et unam quidem
413. jam supra indicavimus *Christinam* Sueciæ Reginam, apud quam quippe tantum ejus verba valuere, ut post factum dein ad Pontificiam religionem transitum non dubitaverit publice privatimque fateri, Cartesium ad sui, quam putabat, conversionem haud exiguum momen-

momentum contulisse. Alteram exhibemus *Elisabetham*, Friderici V. Electoris quondam Palatini & electi Bohemorum Regis filiam, tanta Philosophiæ Cartesianæ dulcedine captam, ut vel ideo, quo liberius ei vacaret, Regis Poloniæ matrimonium spreviſſe feratur. De qua, præter alia complura, ejus fata & vitam concernentia, id quoque perhibetur, quod gravi morbo decumbens validum ad pangendos versus instinctum apud se senserit; (quale quid de Socrate incarcerato Plato testatus est;) cujus rationem dein ipsa a magistro suo Cartesio hanc accepit: oriri nempe eam propensionem a fortiori spirituum animalium agitatione, quæ siquidem cerebro non satis valido obveniat, turbare imaginationem ac in deliria rapere soleat: robustiores vero tantum excalefaciat & ad poesin disponat. Tertio loco nominare liceat *Dietericum Rembrantz*, rusticum, pagi *Nierop* in Hollandia septentrionali incolam, professione sutorem, qui innato quodam ad Matheſin amore ductus, Cartesium sæpius invisisse avidisque doctrinam ejus auribus hausisse narratur: tales sane isto in studio profectus fecit, ut sequentibus annis uno alteroque scripto vernacula lingua in publicum edito inclaruerit. Superesset ut de Cartesii ipsius scriptis jam disseremus, de quibus nempe tam editis, quam manuscriptis post mortem ejus repertis, plurima hoc in libro passim commemorantur specialia scituque digniſſima: sed cum jam nimis fere prolixi fuerimus, merito hic desinimus: id tamen Lectorem latere nolentes, quod in Præfatione hujus scripti perhibeatur, generalem cunctorum Cartesii operum editionem nunc de novo apparari: quæ cum lucem adspexerit, fusius & commodius de iis discurrendi occasio dabitur. 230. seqq. 365. 554.

J. B. *ADDITIO AD SCHEDAM DE LINEIS CYCLOIDALIBVS &c. Proximo Maji Actorum horum mense pag. 207 & seqq. exhibitam.*

VIxdum submiseram Editoribus Actorum nuperam speculationem de Cycloidalibus cæterisque curvis, cum postridie a *Fratre* Parisiis literas acciperem, in quibus nonnulla egregia

huc ſpectantia communicavit, ſignificans, quod præter Cauſticam *Tſchirnhauſianam*, aliam repererit, quæ quoque ſit Cyclois; quod deprehenderit Cycloidem vulgarem *Hugenianam* ſui ipſius ut Evolutam ſic Cauſticam exiſtere; & quod obſervaverit, eandem proprietatem Spirali Logarithmicæ (quod partem conſtituit inventi Curvæ mirabilis) communem eſſe: quæ omnia non ſine ſtupore perlegere potui, cum conſiderarem, neutri de alterius ſpeculationibus has curvas concernentibus quicquam conſtitiſſe. Anſam vero dederunt iſta, materiam hanc jam ſepoſitam denuo reaſſumendi, ac obſervandi ſequentia: *1.* Quod omnes Cycloides ex circuli ſuper circulo revolutione per punctum in ejus peripheria acceptum genitæ, evolutione ſui ſimiles ſeu easdem ſpecie Cycloidas deſcribunt. *2.* Quod Cauſtica vulgaris Cycloidis ex radiis axi parallelis eſt alia Cyclois vulgaris, cujus baſis prioris eſt dimidia. *3.* Quod Cauſtica circuli ex puncto in ejus peripheria ſumto, Cyclois eſt, genita ex revolutione circuli ſuper æquali circulo, & quod ſui quoque evolutione ſeipſam deſcribit. *4.* Quod Cauſtica hujus Cauſticæ ſive Cycloidis, & ipſa Cyclois eſt, ſed *Tſchirnhauſiana*, & cujus circulus genitor radii eſt ſubdupli ejus ſuper quo revolvitur. Quæ omnia, ut Lectoribus iſthæc examinaturis laboris compendium faciam, breviter hic demonſtrata ſiſto.

TAB. VI. Fig. I. *Lemma:* Si circulus *dcl* (Fig. I) ſuper convexa aut cava peripheria alterius cujusvis circuli *bdg* rotetur, & in prioris peripheria acceptum punctum *c* ſit punctum lineans alicujus Cycloidis, & *m* punctum reſpondens in Evoluta ejus, adeoque ducta recta *cm* Cycloidi perpendicularis, & propterea tranſitura per contactum circulorum *d*. Dico, fore *cd* ad *dm*, ut *al* ad *ad*, aggregatum puta vel differentia radii expoſiti & diametri genitoris circuli ad radium expoſiti. *Dem*: Sit *df* particula infinite parva peripheriæ *bdg*, quam tangant rectæ *ds* in *d*, & *ft* in *f*, ſumtæque intelligantur *ch*, *hi*, ſigillatim æquales ipſi *df*, *ip* vero quarta proportionalis ad *ad*, *dl* & *df*, & ducantur *bf*, *if*, *pf*, ſecantes rectam *cq* parallelam ipſi *ft* in *n*, *o*, *q*; ut & *ir*, *pr*: quo facto ang. $pfs = bfs (cds) + ifh \pm pfi = cld + ifh \pm pfi = cld + dlf \pm pfi = clf \pm pfi = clf \pm prf$ (ob *ad. dl* vel *pr* :: *df. pi*) $clf \pm daf = clf \pm ifs$: hinc $pfs = pfs \pm tfs = clf =$ (poſtquam continuata rotatione circulus

TAB. VI. ad A. 1692. pag. 292.



Fig. I.







Fig. III.



circulus circulum tetigerit in *f*) angulo tangentis *ft* & ſecantis *cf*: quare tum *cf* cadet ſuper *pf*, eoque ſitu cycloidi perpendicularis erit, ac producta alteram perpendicularem productam *cd* ſecabit in puncto Evolutæ *m*: unde porro ſic arguere licet: *ad. al* (*ad* ± *dl*) :: *ad* in *df*. *ad* in *df* ± *dl* in *df* :: *df*. *df* ± $\frac{dl \text{ in } df}{ad}$ :: *ch hi* ± *ip* (*hp*) :: (ob arcum *cp* habendum pro recta, & rectas *hn*, *pq*, pro parallelis) *cn*. *nq* :: *df*. *nq* :: (ob ſim. Triang. *dmf*, *nfq*) *dm*. *nf* (*cd*). Q. E. D.

Coroll. 1. Si *ad* ſit radius circuli infinite magni, h. e. *bdg* linea recta, erit *cd* = *dm*. *2.* Si circulus genitor ſit infinite magnus, h.e. *cdr* linea recta, fiet *dm* = 0, ipſaque cyclois coincidet cum illa, quæ ex evolutione circuli expoſiti deſcribitur. *3.* Si circulus expoſitus ſit infinite parvus, h. e. punctum, degenerabit cyclois in circulum. *4.* Si *ad* = *dl*, erit *cd* = 2*dm*. *5.* Si 2*ad* = *dl*, erit *cd* = 3*dm*. *6.* Si *ad* = *dl*, & circulus rotetur ſuper peripheria concava, erit *dm* infinite magna, adeoque punctum lineans *c* loco cycloidis rectam, vid. diametrum circuli expoſiti deſcribet. Patet ergo, quo pacto linea recta, & circulus pro ſpeciebus quoque cycloidum haberi poſſunt.

Propoſitio I. Sit BEF (*Fig II*) Cyclois genita ex revolutione circuli CDL ſuper convexa, ut in ſuperiore, aut ſuper concava peripheria circuli BKF, ut in inferiore figuræ parte: & ſumatur AH tertia proportionalis ad AL & AD, cæteraque fiant, ut figura monſtrat; quo pacto AL. AD :: AD. AH :: ± AL ∓ AD. ± AD ∓ AH :: LD. DH :: CD. DM: quare punctum M eſt in Evoluta Cycloidis BEF per Lemma præc. Item, quia DK. HG :: AD. AH :: LD. DH :: CL (DK). HM, erit HG = HM; & propterea etiam punctum M in Cycloide a circulo MDH ſuper GH revoluto deſcripta. Cyclois vero hæc *eadem ſpecie* ſeu ſimilis alteri BEF, quia diameter genitoris circuli ad radium expoſiti utrobique eandem habet rationem, ut oſtenſum. Ergo Cycloides omnes evolutione ſui *easdem ſpecie* cycloidas deſcribunt. Q. E. D. *Coroll.* Si BKF ſit circulus infinite magnus ſive linea recta, Evoluta Cycloidis erit *eadem numero* cyclois, ratione AL ad AD, ſeu LD ad DH, in rationem æqualitatis abeunte. Fig. II.

Propoſ. II. Sit vulgaris Cyclois ACK (*Fig. III.*) & ſimilis alia ALH, cujus baſis AH prioris AK ſit dimidia, eſtoque BF majori Cy- Fig. III.

cloidi perpendicularis, BG radius illiincidens parallelus axi HC, BE radius reflexus, qui sumatur æqualis incidenti BG, cæteraque fiant, ut figura docet: quo facto ang. BFD = FBG = FBD; proinde BD = DF, & D centrum genitoris circuli FBI: & quoniam Triang. BFG, BFE, per hypoth. & constr. se habent juxta 4, Imi *Eucl.* erit ang. BEF = BGF = recto, & consequenter jacebit in peripheria circuli diametro DF descripti; cumque angul. FDE = DBF +. DFB = 2 DFB, & contra diameter DF diametri FI subdupla, erunt arcus subtensi angulis æquales, nempe arcus FE = arcui BI = rectæ FH: unde punctum E est in Cycloide descripta a genitore circulo FED, cujus diameter DF alterius FI est dimidia, h. e. in Cycloide ALH. Item quia BF est semiradius circuli Cycloidem ACK in B osculantis per *Coroll. 1, lemm. prac.* atque recta FE radio reflexo perpendicularis, idem quoque punctum E est in Caustica Cycloidis ABC ex radiis axi HC parallelis, per nuperum meum *Theorema*, quod relationem inter Causticas & Evolutas exhibet. Caustica ergo Cycloidis hujus similis & *eadem specie* Cyclois est. Q. E. D.

Prop. III. Anti-Caustica curvæ cujusvis eadem est cum ejus Cycloidali, quoties punctum radians respectu expositæ, & punctum lineans respectu genetricis curvæ similiter posita sunt, ut nuper innui. Ergo & Anti-Caustica circuli ex puncto in ejus peripheria sumto coincidit cum Cycloide, quam describit punctum similiter sumtum in peripheria circuli super æquali circulo rotati. Sed ejusmodi curva, qua est Cyclois, per propos. I ex evolutione similis cycloidis; & per ea quæ nuper, qua est Anti-Caustica, ex Caustica evolutione describitur. Quare & Caustica ex puncto in peripheria circuli accepto Cyclois est ex circuli super æquali circulo revolutione genita. Q. E. D. Patet hinc, *fraternum* hoc inventum Theorematum istorum generalium duntaxat consectarium esse. Constat etiam, quod *Frater* inobservatum præteriit, Causticam hanc non secus ac *Tschirnhausianam*, ex sui evolutione seipsam describere.

Fig. IV. *Prop. IV.* Sit BGC (*Fig. IV*) Caustica semicirculi DEC ex puncto C, eademque Cyclois genita ex revolutione circuli GEFH super æquali ipsique DEC concentrico circulo BHR. Esto autem H circulorum contactus, G punctum lineans cycloidem, Q centrum genitoris, & ducantur rectæ AHQ, BG, QG, BH, GH, perpendicularis futura cycloidi, quæ producatur in N, junctaque BN & demissa in BG perpen-

perpendiculari HO, diametro HQ describatur circulus HPQ secans rectam QG in P. &c. Quo pacto QG = QH = AH = AB, ut & arc. & subt. HG = arcui & subtensæ HB, per def. cycl. unde Triang. Isosceli a ABH, QGH, similia & æqualia, & tum angul. HGB = HBG, tum QHG = AHB; cumque ambo illi sint æquales his ambobus (quandoquidem additus utrisque communis BHG duos rectos complet) erit unus HGB = uni QHG = QGH; ideoque GQ reflexus radius incidentis BG. Deinde quoniam GPH = QPH = recto (utpote in semicirculo) = GOH, erunt quoque Triangula GPH & GOH similia & æqualia, & GP = GO = ½ GB: Præterea etiam HB = HG = (ob æqualitatem circulorum GHF, BHN) ipsi HN; quare circulus centro H radio HG descriptus, per B & N transibit, angulumque GBN rectum ostendet. Denique si supponatur punctum I in Evoluta Cycloidis BGC, erit HI tertia pars ipsius HG vel HN per *5 coroll. lemm.* Quibus præmissis, ex nupero Theoremate evincitur, punctum P in hujus Cycloidis Caustica ex puncto B versari: nam juxta Theorema debebit esse $GP = \frac{GB \text{ in } GI}{2\,GN - GI} = \frac{4GB}{12-4} = \frac{4GB}{8} = \frac{1}{2}\,GB$, ut repertum. At idem punctum P versatur quoque in Cycloide *Tschirnhausiana* BKR, ea scil. quæ gignitur ex revolutione circuli radii subdupli HPQ, super circulo dupli radii BHR: cum enim idem angulus PQH vel GQH existat tum in peripheria circuli HPQ, tum in centro circuli duplæ diametri HGE, erit arcus subtensus HP = arcui HG = arcui HB; unde constat &c. Nota, ABGQ est Trapezium regulare, in quo BG parallela AQ, AB = GQ & ABG = BGQ.

Coroll. Hinc casu in solutionem incidimus Problematis, quod alias satis perplexum videri posset ei, qui illud de industria vellet aggredi: nempe Punctum ex infinita & aliud ex finita distantia radiare debent in diversas curvas expositas, sic ut reflexi utrobique radii suis intersectionibus eandem numero & positione Causticam forment. Quæruntur Expositæ cum communi Caustica? Resp. Quæsito satisfaciunt exposita Cyclois BGC, & radio AQ descriptus TKM circulus; in illam enim si radiet punctum B, in hunc punctum infinite distans per radios rectæ BT parallelos, radii reflexi utrobique eandem causticam *Tschirnhausianam* BPKR formabunt.

Tres ergo Curvas deteximus, *Spiralem Logarithmicam, Cycloidem*

dem vulgarem,& *Cycloidem noſtram* ex circuli ſuper æquali circulo revolutione ortam, quæ eximia inter ſe affinitate gaudent, duasque proprietates valde notabiles communes habent: una eſt quod ſingularum evolutione eædem curvæ deſcribantur (qua quidem etiam reliquæ cycloides conſpicuæ ſunt,) altera quod ſingularum Cauſticæ quoque eædem curvæ ſint: quanquam & hic non leve diſcrimen animadvertimus, quod facit, ut ea quæ communia habent, ſingularitati *ſpiræ mirabilis* nihil derogent. Nam primo non tantum Evoluta & Cauſtica Spiræ mirabilis, ſed & Ant-Evoluta, Anti-Cauſtica, Peri-Cauſtica &c. eadem Curva ſunt, quæ in cæteris fere diverſæ exiſtunt. Deinde, in evolutione Spiræ mirabilis partes curvæ eodem ordine deſcribuntur, quo evolvuntur, in evolutione Cycloidum omnium inverſo. Tertio, Spira mirabilis eandem *numero* & Evolutam habet & Cauſticam; Cyclois vulgaris eandem quidem *numero* Evolutam, ſed Cauſticam ſimilem tantum ſeu *ſpecie* eandem; noſtra vero Cyclois ſimilem ſeu *ſpecie* eandem Evolutam, at diſſimilem ac *genere* duntaxat eandem Cauſticam. Colligitur hinc, ſi vulgaris Cycloidis Cauſticæ, ſimul ac naſcuntur, ſpeculi conſiſtentiam acquirere poſſent, ad excipiendum & reflectendum eos ipſos radios ex infinita diſtantia profectos, e quibus enatæ fuerant, fore ut aliæ novæ orirentur Cycloides prioribus continuo minores minoresque, eo modo quem Figura III parte dextra refert; cum contra Spiræ mirabilis Cauſtica in ſpeculum mutata, & radios ex communi umbilico emanantes repercutiens, aliam non minorem ſed identicam prorſus Spiram producat. Quemadmodum itaq; per productionem *Spiræ mirabilis* communicationem eſſentiæ divinæ *adintra*, (ut in Scholis loqui amant) qua Deus Filius Patre non minor, ſed æqualis ex intima Patris eſſentia & Deitatis quaſi umbilico naſcitur, & ab utroque exit Spiritus S. utrique par, non inconcinne adumbrari nuper partim diximus: ita nunc continuata analogia communicationem imaginis divinæ *ad extra*, qua Creator ex infinito quaſi intervallo, (quo a Creaturis ſuis diſtat) ipſis radios divinitatis impertit, eo vero imperfectiores minoresque, quo minus immediatæ ad nos emanarint, per *Cycloidis* productionem non minus apte repræſentari poſſe arbitramur.

✱)o(✱

ACTA
ERUDITORUM

publicata Lipsiæ
Calendis Julii Anno M DC XCII.

TRAITE' DE LA SITVATION DV PARADIS terrestre.

id est,

Tractatus de situ Paradisi terrestris; autore Petro Daniele Huetio, Episcopo Abrincensi, Academico Gallicano.

Parisiis, apud Joh. Anisson, 1691. in 12.
constat plagulis 12 & tabula chorographica.

Dissertatio hæc tam exquisita sermonis elegantia, ac eo eruditionis apparatu, quem in celeberrimo Autore dudum suspexit orbis literatus, elaborata est, ut lectu non minus jucunda, quam utilis visa sit. Versatur autem circa investigationem genuini sensus descriptionis Paradisi Mosaicæ, *Genes. II, 8 -- 15.* Offenduntur de eo variæ apud Patres & interpretes modernos opiniones. His rejectis ad unam omnibus, unicam seligit *Huetius* ac defendendam suscipit, non negans, nonnulla ejus fundamenta pridem jacta esse a *Joh. Calvino* Comm. in Genesin, & *Josepho Scaligero* in *de emend. temp. lib.* 5. & *Epist. l. 4. ep. 441.* Hæc ut recte percipiatur, singula Mosis verba, quæ obscuriuscula aliquantum videntur, percurramus,

Quoad *v. 8*, vox *Eden* nomen proprium est regionis, Carthis c. 11.
in Mesopotamia vicinæ, (quod colligitur ex *4. Reg. XIX, 2. Esai. XXXVII, 12.* & *Ezech. XXVII, 23.* ubi *Haran* & *Eden* junctim memoran-

morantur,) circa confluentem Euphratis & Tigris, usque ad locum, quo communis ille alveus in duo brachia divisus in mare Persicum devolvi incipit. Provinciæ hujus pars orientalior complectebatur Paradisum. Hoc indicat Moses voce גַּן־עֵדֶן, quæ non temporis prioritatem, sed loci situm in aliis quoque topographiis sacris innuit, c. c. *Gen. III, 24. XI, 2. XII, 8. XIII, 11 Num. XXXIV, 11.* Neque tantum sibi in Arabia deserta commoranti, sed & ipsi Edenis provinciæ Paradisum מִקֶּדֶם sive *orientalem* fuisse, Moses asserit.

c. III.

c. IV. Vox יצא, ἐκπορεύεται, *egredi*, vers. 10. non originem fluvii, sed tantum cursum illius Huetio notat. Hinc fluvium Paradisiacum non autumat in Edene ortum, sed aliunde originem trahere, deinceps Edenem ingredi, per Paradisum ferri, mox Edene iterum egredi, ac in duo brachia, quorum utrumque in mare Persicum porrigitur, desinere. Appellari eum hodie *Schat-el-Arab*, i. e. fluvium Arabicum, olim Pasitigrim. Oriri ita ex *Euphrate* & *Tigri*, confluentibus antequam Paradisum is ingrediatur, ac dein Paradiso jam egressum terminari, ubi in geminum diverticulum dispescitur, *Gihon* & *Pison* Mosi dictum.

c. V. *Quatuor* ergo istos *terminos*, (duos *a quibus*, totidem *ad quos* tendat paradisi fluvius,) *quatuor* esse *capita*, רָאשִׁים, ἀρχὰς Mosi vocitata. Hinc erroris postulat omnes, quotquot *capita* idem ac *fontes* esse existimant.

c. VI. Quamvis autem tempore vertente alveus Euphratis & Tigris conjunctorum, in plura brachia corrivatus ac diductus fuerit, attamen ab initio rerum, quin & Mosis ætate, integrum adhuc fuisse non dubitat. Cæterum variæ, quas canalis ille subiit, mutationes fusius abs eo & ex ordine enarrantur. Refelluntur etiam Bellarminus, Malvenda, Bonfrerius, qui negarant, eundem Pasitigrim, antequam in sinum Persicum se exoneret, in duo iterum dividi brachia, quorum utrumque in tabulis Cl. Ptolomæo adjectis (intuitu primæ originis) *Tigris*, Mosi autem *Gehon* & *Phison* appellatur. Quodque hi bini fluvii jam olim hinc illinc modernam insulam Chader, *Mesopotamiæ* nomine apud veteres celebratam, circumdederint, testimoniis Philostorgii, Stephani Byzantini, Xiphilini, & Cl. Ptolomæi evincit.

c. VII. Orientalius igitur hujus alvei Paradisiaci versus mare properantis brachium Huetio est *Phison*, aut, ut Hebræi efferunt, *Pischon*. Nec tantum ad etymologiam provocat, sed & cumprimis ad vers. 11, ubi

ubi Phiſon *terram Chavila* petere dicitur. Hanc incoluere *Chavile* Chuſigenæ poſteri. (Confer S. *Bocharti* Phaleg. l. IV. c. XI.) Profanis autoribus *Chalothei*, *Chablaſii*, *Chavlaſii*, *Chavelæi* dici ſolent. Hanc regionem vicinamque Arabiam & auro abundare & בְּדֹלַח שֹׁהַם, (ſive eo bdellium, ſive potius margaritas notari cenſeas,) itemque שֹׁהַם, h. e. onyche vel beryllo, proximo loco clariſſimus oſtendit Autor. c. VIII. c. IX, ſſ.

Gehon (vel Gichon גִּיחוֹן) occidentalius brachium eſt alvei Paradiſiaci, perluens terram *Chus*, verſ. 13. Hanc eſſe *Suſianam* probat, tum ex recentiori nomine *Chuzeſtan*, tum antiquo *Cutha*, ſimulque confert *Coſſæos* & *Ciſſæos*, quos eo tractu geographi veteres collocant. Addit digreſſionem Lectori haud negligendam de *Memnone*, Auroræ filio, quem non Æthiopem, ſed Suſianum fuiſſe, prolixe diſputat. c. XII. ſ.

De Chiddekel & Perath res minus impedita fuit. Æque tamen operoſe Noſter adſtruit, illo Tigrim notari, hoc Euphratem, antequam nempe uterque confluat in alveum Paradiſiacum, ſive *Schat-el-Arab*. c. XIV. ſſ.

Adderemus plura, niſi ex tabula chorographica, quam Latio a nobis donatam heic adjiciendam exiſtimavimus, ſatis intelligere liceret, quæ celeberrimi Autoris mens eſſet. Ad alia ergo animum nunc advertimus.

THEOD. JANSONII AB ALMELOVEEN Bibliotheca promiſſa & latens.

Goudæ, apud Juſtum ab Hoeve, 1692, 8. Plag. 11.

EA eſt ſcriptorum quorundam ingenii fœcunditas, ut libris aſſidue conſcribendis incumbant; dumque monumenta ſua in literas mittunt, ſuccreſcente identidem novo argumento, iſti quoque manum ſtudiumque admoveant, & ſic libros ex libris ſerant. Verum multi eorum, aliis negotiis curisque abrepti, non omnes fertilis ſui ingenii fœtus excludere poſſunt. Sæpe etiam mors prius vitæ ipſis fila abrumpit, quam ultimam ſcriptis ſuis imponant

ponant manum: adeoque imperfecta ea hæredibus relinquuntur; interdum etiam numeris suis absoluta, ab hæredibus, ista cognitione, qua erudita intelligant, minus instructis, negliguntur ac inutiles velut chartæ abjiciuntur; nonnulla, meliori fato quæ gaudent, Bibliothecis studiosorum hominum aut illustrium virorum recepta asservantur, a Catalogis earum orbi cognita. Isti doctorum virorum labores ut ab oblivione vindicarentur, & conditos eos esse pluribus innotesceret; ex editis eorum commentariis, in quibus passim suorum ἀνεκδότων injecere mentionem, aut aliorum, qui ea indicant scriptis, aut elogiis & vitis eorum, aut catalogis manuscriptorum in Bibliothecis illustribus latitantium excerpsit, & in recensum hunc, juxta seriem literarum nominibus Scriptorum digestis, congessit Auctor industrius. Præ cæteris multa hujusmodi scripta, in literas ab autoribus, non autem in publicum a posteris missa, enumerat Jo. Andr. Bosii *p. 5. 6. 7.* Isaaci Casauboni *p. 9. 10. 11. 12.* Joh Bapt. Ferreti *p. 18, 19, 20.* Mart. Fogelii *p. 21, 22.* Pauli Merulæ *p. 34, 35.* Petri Petiti *p. 40, 41, 42, 43.* Claudii Salmasii *p. 48, 49.* Jos. Scaligeri *p. 50, 51.* Henr. Stephani *p. 54, 55, 56.* Ger. Joh. Vossii *p. 61, 62.* Observari etiam meretur quod *p. 8.* annotat, in Petri Francii, doctissimi & eloquentissimi Amstelodamensium Professoris, bibliotheca extare *Græcorum Poetarum fragmenta* a Theod. Cantero concinnata: quorum editionem cum nemo rectius promovere possit, quam qui thesaurum hunc possidet, summopere eum, ut id præstet, rogamus. In recensu autem ipso nonnulla deprehensa nobis sunt, quæ pro nondum editis habuit studiosus Collector, jampridem in publicam lucem prolata tamen quæ observamus: v. g. *p. 1.* Ant. Æmilii oratio de politicis artibus Principis Augusti, quibus in libera Republica sibi & successoribus principatum peperit, quæ est quarta inter editas & Ultrajecti 1651 excusas; *p. 24.* Gabr. Barth. Gramondi Historiarum Galliæ ab excessu Heinrici IV libri octodecim, qui Tolosæ 1643, Amstelodami 1653, Moguntiæ 1673 & Lipsiæ 1674, excusi prodierunt; *p. 14.* Lud. Cresollii Theatrum veterum rhetorum, orarorum, declamatorum & sophistarum, quod Parisiis 1620 prodiit; *p. 25.* Des. Heraldi de rerum judicatarum auctoritate libri duo, Parisiis 1640 editi; *p. 30.* Bern. a Mallinckrot paralipomenon de Historicis Græcis centuriæ quinque, Colo-

Coloniæ 1656 impressi; *p. 31.* Petri de Marca eximium opus de concordia sacerdotii & imperii, sive de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ libri octo, Parisiis 1641, 1663 & 1669 evulgati; *p. 40.* Juliani Imp. opera a Dion. Petavio ad manuscriptorum fidem castigata, Græce & Latine, cum notis, Parisiis 1630 edita; *p. 68.* Jani Gruteri Bibliotheca exulum, Francof. 1625 excusa. Sed facilis hujusmodi in rebus est memoriæ lapsus, & dum non semper ea promta est, accidere potuit, ut quæ vulgata jam sunt, sed cum hæc scriberentur non succurrebant, admiscerentur istis, quæ promissa fuerunt, sed non edita.

Bibliothecæ huic promissæ sed latenti accensetur & sub finem annectitur elenchus scriptorum, quæ *Georgius Hieronymus Velschius, πολυμαθέστατος* hujus sæculi medicus, in epistola ad typographos & bibliopolas Germaniæ, Augustæ Vindelicorum 1674 a se concinnata, plurima & prælo non minus digna ac parata indicavit; adjecta causa, quæ impulerit ipsum, ut tractatum quemque conscriberet, & ostenso modo, quem in scribendo servarit, utilitate etiam, quam quivis liber sit præstiturus, exposita. Legitur hæc epistola, ut & reliquæ, quas hoc loco recusas dedit Almelovenus, Velschii ad Fridericum Wurtenberg. Ducem, Georgium Barbadicum Cardinalem, Octav. Langenmantelium, Leonh. Weissium, Chr. Weickmannum, Jo. Georg. Styrzelium, Petr. Paderum, Jo. Georg. de Werndle, Hier. Velschium, Sert. Vrsatum, Joach. Becherum literæ, subjectæ Epistolis Vossianis Aug. Vind. anno 1691 recusis: unde istas doctissimus Editor depromsit, iis rem gratam facturus, qui voluminis istius copiam non habent, ut tam multijugæ eruditionis virum, quem d. 11. Nov. anno 1677. extinctum, tot præstantibus libris in publicam lucem edendis non superesse merito dolemus, aliqua ex parte cognoscant.

NOVVEAV VOYAGE D' ITALIE.

i. e.

Itinerarium novum Italicum, conscriptum anno 1688.

Hagæ Comitis, apud Henricum van Bulderen. 1691 in 12 maj. Constat plagulis 29. & Fig. æneis non paucis.

TRiginta & septem epistolis complecti heic videas MAXIMILIANVM MISSONIVM, quidquid memoria dignum observavit in itinere e Belgio per Germaniam in Italiam suscepto. Ex his varia, speciminis caussa, recensebimus.

PARS I. p. 9. Roterodami vidit rusticam, quæ A. 1686 sex mares uno partu ediderat; primogenito quatuor mensibus superstite & cum tribus fratribus baptismum adepto. Francofurti ad Mœnum ostensum sibi refert lapidem nephriticum, qui caput humanum mole sua æquet, quiq; possessori suo *Petriade* (Πετριάς) Medicinæ Doctori mille sexcentis Joachimicis constiterit. Inter res Italicas non videtur negligenda historia Marchionissæ de Obizzonibus, a Nobili Patavino, stuprum frustra intentante, pugione transfossæ, cujus tamen Manibus scelerati hominis cruore parentavit filius *Ferdinandus* Marchio *degli Obizzi*, hodienum inter Augustissimi Imperatoris ministros haud postremus. Inscriptionem ea de re publicam exscripsisse, non erit dividiæ:

p. 48. p. 135.

*Venerare pudicitiæ simulacrum & victimam, Lucretiam de Dondis ab Horologio Pyæneæ * de Obizzonibus Oreiani Marchionis uxorem. Hac inter noctis tenebras maritales asserens tædas, funeriales recentis Tarquini faces casto cruore extinxit. Sicque Romanam Lucretiam intemerati tori gloria * vincit. Tantæ suæ Heroinæ generosis Manibus hanc dicavit aram Civitas Patavina. Decreto die 31. Decembris anni 1661.*

*Legeremus, PYRRHI (i.e. Pyrrhi) ÆNEÆ. * forte: vicit.

p. 158. Venetiis Abbatis Lithi Bibliothecarii ope, codicem *Evangelii Marci αὐτόγραφον*, uti traditio fert vulgata, inspexit, sed adeo vetustate corruptum deprehendit, ut non nisi vocem KATA & aliis locis Δ & Σ distincte legere potuerit; unde certo collegit, MSCtum illud, (quod in quarto compactum crassitiem habet binorum digitorum) non Latinum esse, sed Græcum, cum Pontificiorum multi Marcum Latine scripsisse autument. Confer Acta Erud. A. 1687. p. 596. Unde patebit, Missonium longe beatiorem fuisse Mabillonio & Germano, quibus codicem illum, ut ipsi in Itinere Italico referunt, sigillo nempe obsignatum, evolvere nullo modo fuit

concess-

conceſſum; oculatiorem autem Medico Veneto *Grandi*, qui, ut in *Itinerario* ſuo *Burnetus* refert, teſtatus eſt, codicem a ſe quoque inſpectum, ſed literas adeo detritas fuiſſe, ut licet quidam linearum ductus dignoſcantur, judicari tamen nequeat, Græcumne ſit, an Latinum iſtud manuſcriptum: tametſi nec id diſſimulandum, *Miſſonium* noſtrum pro Græco quidem habuiſſe, ſed ita, ut incertum relinquatur, ſitne Evangelium D. Marci, an cujuscunque argumenti liber alius.

Cum Sacerdotem deceat, integro gaudère corpore; nihiloque p. 204. 205.
tamen minus ad devotionem excitandam utile cenſeatur, cantores eccleſiaſticos optima voce eſſe præditos: hinc Miſſonius confidentiſſime aſſerit, moris eſſe, ut ſi quis ſacrorum eunuchorum Miſſam decantaturus exciſos teſticulos intra veſtem abditos gerat, nulla ratione pro ſpadone adeoque ad ſacras functiones inepto, Venetiis habeatur.

Cæterum prolixus eſt Noſter in deſcriptione S. ædis Lauretanæ, itemque montis Veſuvii & antri pſeudo-Sibyllini, ut & monumentorum aliorum, quorum luſtrandorum cauſa in Italiam exteri ſolent commigrare. epiſt. 19. epiſt 22.

PARS II.

Hiſtoriam de Joanna Papiſſa non improbabilem eſſe, fuſe diſputat. p. 64. ſſ. p. 83. ſſ.

Lectu etiam digna eſt excurſio de catacumbis Romanis, quas Miſſonius negat a Chriſtianis excavatas, ut tempore perſecutionis illic habitarent, ſacrisq; ſuis operarentur; *putteulos* potius, ſive cœmeteria publica eſſe aſſeverat, in quibus infima plebis fex, & in hac multi Ethnici, nec pauciores Chriſtiani conditi fuerint. Quamplurima enim ſuperſunt in catacumbis illis Ethnicorum conditoria; e. c. *Cæciliæ*, Metelli Cretici filiæ, ante quod viſitur hiatus ſubterraneus, oſtio putei non abſimilis. In hunc forte fortuna delapſus eſt A. 1688 Nobilis Cæſenas, *Malateſta Strinatus*, comitibus adeo intentis antiquitatum contemplationi, ut non ſtatim jacturam, quam fecerant, animadverterent. Foſſa quoque adeo profunda erat, ut nemo in crypta clamorem miſeri hominis audiret, niſi forte dicas animi deliquium obſtaculo fuiſſe, ne vocem ſtatim emitteret. Quicquid hujus ſit, ubi Malateſta nuſquam comparet, amici omnia perveſtigare, obſtupeſcere dein, exire tandem

p. 109. ſſ.

e ſubterraneo ſpecu, incerti, quid ſodali ſuo accidiſſet. Sexaginta horis poſt, manibus is pedibusq; reditum molitur ex barathro illo, atque pallore, fame viriumque defectu, mortuo magis ſimilis quam viventi, proximam cryptis ædem pultat, juſculoque ibi exceptus, brevi temporis ſpatio priſtinam veletudinem recuperat.

p.119. Ne fabulam eſſe putes traditionem pervulgatam de Præſule quodam Germano, qui per miniſtrum, quibusnam in tabernis nobilius vinum venum exponeretur, explorari, & dein ad januam notari curaverat: EST, &c. Miſſonius affirmat, ſepulcrum ſuis oculis ſe vidiſſe Monteſiaſcone in eccleſia ad D. Flavianum; cujus ſuperficies repræſentet virum mitratum, duo pocula vitrea, & totidem ſcuta gentilitia, quorum unumquodque perpendiculariter ſectum hinc leonem, illinc faſcias duas repræſentet, itemque inſcriptionem ſemi-Gothicis literis exaratam: *Eſt, Eſt, Eſt, propter nimium Eſt, Jo. de Fuc. D. meus mortuus eſt.* Abbreviaturam interpretari refert loci incolas hunc in modum: *Joannes de Fucris* (Fugger) *Dominus &c.*

p.142. *Lucæ* ad D. Frediani viſitur monumentum, inſcriptum: *Hic jacet corpus ſancti Riccardi Regis Angliæ.* Genealogiæ ac hiſtoriarum cultoribus magna heic crux figitur; niſi enim *Riccardum, Lucæ ſepultum*, plane ſuppoſititium eſſe perhibeant, difficillimum fuerit, de eo aliquid vero ſimile commentari.

p.157. *Epiſtolam Chryſoſtomi ad Cæſarium monachum*, Antonii *Magliabechii* V. Cl. auxilio conſpicari ſperaverat Miſſonius. Sed quia Sereniſſimus Magnus Dux Hetruriæ expreſſis verbis interdixerat, ne alicui copia fieret MSCti, non potuit is votis ejus atque expectationi reſpondere; Miſſonium tamen certiorem fecit, locum, quem ex epiſtola iſta Petrus Martyr citavit, totidem literis conſignatum reperiri in MSCto illo Medicæo. Confer ſis Acta eruditorum A. 1683. p. 25. & A. 1687. p. 563. itemque Supplementa eorundem p. 495.

p.197. In palatio Marchionis Simonettæ, quod duobus fere paſſuum millibus Mediolano diſtat, audita eſt eidem mirabilis *Echo*, quadraginta ad minimum vicibus extremam ſyllabam repetens.

P.II.p.138. Ubivis fere Auctor veteres inſcriptiones & picturas rariores indigitat, ſed non raro brevibus adeo verbis, ut obſcurum ſatis ſit, quo

quo respiciat. E. c. Pisis a se visum narrat decretum Civitatis marmori inscriptum, quo jubeatur, *ut NVNTIATA MORTE CÆSARIS toto anni spatio pullis vestibus incedant cives, omnibusque ludis publicis abstineant.* Intelligit dubio procul cenotaphium *Caji Cæsaris Augusti F.* quod *Henricus Noris*, antiquariorum Italorum facile princeps, eruditissimo commentario illustravit, in Actis A. 1683. p. 113. & sqq. a nobis recensito.

Nullibi etiam non Pontificiorum superstitiones, reliquias sanctorum, in his umbilicum & præputium Christi, quæque jactare dicuntur miracula perstringit, ac sale non insipido perfricat. c.c. P.II. p.37.38. P.II. p.28.

Crebro etiam invehitur in Italos, quos nimis magnifice sentire ait de rebus suis, v. g. opibus artibusque politicis *Reip. Venetæ*, altitudine turris *Cremonensis*, palatiorum *Vicentinorum* splendore, &c.

Insignis gratia libro accedit a figuris æneis scitissimis quam-plurimis, quas inter eminent viginti *vasa & instrumenta sacrificialia* Romana; S. Domus *Lauretana*; numus, hinc capite Pontificis & lemmate: *GREGORIVS XIII. PONT. MAX. AN. I.* illinc Angelo sinistra crucem gerente, dextra hostes gladio transigente, ac epigraphe: *VGONOTTORVM STRAGES 1572.* insignitus. ut alia taceamus, quorum multa in aliis quoque Itinerariis, æneis tabulis illustrari cernas. Part. I. p. 116, P. I. p. 224. Part. II.

DE PRESBYTERATV DISSERTATIO QVAdripartita, Presbyteratus Sacri Origines, Naturam, Titulum, Officia & Ordines, ab ipsis Mundi primordiis usquead Catholicæ Ecclesiæ consummatam planrationem complectens. Autore Samuele Hill, Diœceseos Bathonienſis & Wellensis Presbytero.

Londini apud R. Clavell 1691 in 8. plagul. 17.

LItes hierarchicas in Reformato Orbe sopiturus, ut ait, Autor præsentem tractatum edidit, atque in eodem Hierarchiam Ecclesiasticam e Jure Divino adstruere conatus fuit. Ea

C.I.& II. vero usus est methodo, ut *Lib. I.* Senioris & Junioris variis significationibus perlustratis, doceat Senioritatis spiritualis virtutem,
C. III. operatricem informatione Juniorum in sanctitatis principiis & arte bene beateque vivendi absolvi; nequaquam vero ecclesiasticum
C. IV. regimen in mera Presbyteratus sacri virtute consistere: ex ipsa na-
C. V. tura constare, Senioribus regimen, Junioribus obsequium convenire:
Senioris titulo absolute posito sapientiæ Professorem semper de-
C. VI. signari: in variis regiminum speciebus subditos Juniorum charactere designari, adeoque Juniorem esse sub domino servum, sub doctore discipulum, & sub rectore plebejum. *Lib. II.* Seniorum Historiam ab ipsis rerum primordiis pertexere aggreditur, tum de
C. I. Senioribus antediluvianis ab Adamo usque ad Noam, tum de post-
C. II. diluvianis a Noa usque ad Mosem verba faciens, & insigniorum aliquot ante legem Mosaicam Presbyterorum, scilicet Abelis, Enochi, Noæ, Abrahami, Isaaci, Jacobi, Josephi, Mosis ex Hebr. XI. 2. sqq. recensionem instituens. *Lib. III.* de ordine Seniorum inter omnes Hebræi populi ordines per singula secula sigillatim differere instituit, ac distinctis classibus Seniores a Patriarchis usque ad Reipublicæ Judaicæ finem proponit. *Lib. IV.* ad œcumenicæ Theocratiæ fabricam, quam Jesus per omnes gentes voluit institui, perlustran-
Cap I. dam sese accingit, ac inquirit primum *in Presbyteratus Christiani rationem formalem*, quam tum in sapientia sacra e divinis literis & traditionibus hausta, tum in ejusdem cum aliis communicatione
C. II. collocat: postea *Presbyteratus Christiani originem* ad ipsum Christum refert, & XII Apostolorum ac LXX discipulorum docendi facultatem a Christo ut Propheta, docendi autem autoritatem & or-
C. III. dinationem a Christo ut Rege derivandam esse judicat. Hinc de *Sacerdotii Christiani origine* dispicit, inter alia observans, omne Sacerdotium ab ipsis mundi incunabulis duplicia exequi pietatis officia, moralia scilicet & mystica: mystica Sacerdotii Levitici in tribus potissimum, nempe in lotionibus, sacrificiis, & dapibus earumque propriis ceremoniis; moralia autem in sacris benedictionibus, liturgiis precum & laudis, ac personarum & rerum piis usibus devotarum consecrationibus constitisse: in veteri & nostro Sacerdotio eadem omnino esse moralia, mystica vero diversa, nostra vero prioribus *ἀντίτυπα*: solos Apostolos in Sacerdotium a Pontifice Christo

Christo consecratos, cum primo cœnam suam sacravit, iisdemque distribuit, & eandem pariter sacrandam ab Apostolis in publicam Ecclesiæ communionem instituit. Inde *ad Hierarchiæ Christianæ originem perscrutandam* se convertit, atque ex *1. Cor. XII, 28. Hebr. XIII, 17.* & *Rom. XII. 28.* clare patere judicat, non omnes doctores Ecclesiæ gubernacula pari jure ab origine tenuisse; ac jus rectorium Petro primo promissum *Matth. XVI, 18. 19.* deinde Apostolis eorumque in Ecclesia primariis & propriis Successoribus Matth. *XIIX, 18.* tandem post Domini resurrectionem omnibus Apostolis actu indultum fuisse. Post hæc paucis admodum *de ordinationibus Apostolicis* agit, ostenditque, Apostolos ordinationes debitas non tantum celebrasse, sed & aliis celebrandas commisisse, adeoque regimen Episcopale Apostolis a Domino indultum cum ipsis neutiquam exspirasse. Porro ad *imparitatem Presbyterorum Apostolicorum* demonstrandam sese confert, atque duplicem in Ecclesia fuisse Presbyterorum ordinem, præsidentium scil. & subsellianorum ex *1. Tim. V. 17.* coll. *Rom. XII, 8.* adstruere conatur, insimul & locis *Tit. I. 5. 6. 7. Actor. XX, 17. 28. 1. Petr. V, 1. 2.* quæ contra Hierarchiam Episcopalem afferri solent, satisfacere studet. Et cum pro Presbyteratus cum Episcopatu identitate item urgeatur, quod Paulus *1. Tim. III, 1. - 14.* duorum tantum ordinum, Episcoporum atque Diaconorum meminerit, epistolamque ad Ecclesiam Philippensem Episcopis & Diaconis inscripserit, quos Polycarpus in sua ad Philippenses epistola vocet Presbyteros & Diaconos, respondet Presbyteros minores sub Diaconorum classe commode posse comprehendi; epistolamq; ad Philippenses pluribus Episcopis ideo inscriptam, quia aliqui, nempe Macedoniæ vel provinciarum conterminarum Episcopi cum Ministris suis tunc temporis Philippos convenissent, vel certo conventuri fuissent. Tandem consectaria tredecim e principiis suis enata tradit, totique tractatui colophonem imponit. C. IV. C. V. C. VI. C. VII. C. VIII.

REPVTATIO CIRCVLATIONIS AQVEORVM Maris Vaporum & Causa Fontium, exhibita Societati Regiæ ab Edm. Halley.

Translata ex Tranſact. Philoſ. Anglic. Menſ. Jan. & Febr. 1692.

Num. 192. pag. 468. ſeqq.

EXperimentum aliquo ab hinc tempore oſtendi concernens quantitatem aquæ intra diei ſpatium a maris ſuperficie in vaporem exaltatæ: quod quidem tali cum approbatione ab inclytis quibusdam Societatis hujus membris exceptum eſt, ut juſſus ab ipſis fuerim inquiſitiones iſtas proſequi, ac ſpeciatim, reſpectu habito ad methodum a natura teneri ſolitam, circa memoratos vapores in mare denuo reducendos: id quod nempe tam exacte perficitur, ut ſatis certi eſſe queamus, Oceanum a multis retro ſeculis nullum, quod in ſenſus incurrat, per vaporum jacturam decrementum accepiſſe: neque tamen etiam exundaſſe ab immenſa iſta quantitate aquarum dulcium, quas jugiter a fluminibus recipit. Iſthoc vero æquilibrium acceptorum & expenſorum in mari univerſo demonſtrare tametſi durius penſum eſt, quam cui ſuſcipiendo ſim: interim ut iis obediam, quibus inſervire honorificum mihi eſt, ea huc in medium afferam, quæ hactenus viſa mihi fuere rationem ſuppeditare maxime ſatisfactoriam magni hujus phænomeni. Tentavi antehac explanare modum, quo vapor per calorem aſcendat, oſtendendo quod, ſiquidem atomus quædam aquea expandatur in corticem ſeu bullam ea ratione, ut decies adæquet mole diametrum, quam dum aqua erat, habuerat; talis, inquam, atomus ſpecie levior evaderet aëre, ac tam diu adſcendere pergeret, quamdiu flatus iſte aut ſpiritus calidus, qui eam primum ab aqua ſeparaverat, ipſam ad eundem gradum diſtendere pergeret: declinante vero æſtu, ac ubi aer frigidior fieret atque inſimul ſpecifice levior, tum vapores conſequenter ſubſtituri forent circa certam aeris regionem, aut plane deſcenſuri, id quod varias ob rationes contingere poteſt, prout mox deducere conabor. Attamen id adſtruere non molior, unicum hoc eſſe incentivum aſcenſus vaporum, neque dari poſſe certum materiæ genus, cujus *conatus* gravitatis conatui contrarius eſſe queat: talę quid etenim evidens eſt in vegetatione

tione, ubi tendentia ſurculorum directo ſurſum, ſive contra perpendiculum fertur. Quæcunque tamen tandem vera cauſa ſit, id quidem in facto certum eſt, quod calor particulas aquæ ſeparat easque emittit majori atque majori cum velocitate, quo magis magisque æſtus intenditur; uti manifeſtum fit in exhalatione bullientis caldarii, ubi pari modo vaporum aſcenſus viſibiliter decreſcit, uſque donec evaneſcant, diſperſi videlicet ac aſſimilati ab aere ambiente.

Vaporibus jam per calorem ita elevari ſolitis, ponamus primo, univerſam totius globi ſuperficiem eſſe aquam valde profundam, aut potius totum Terræ corpus aquam eſſe, Solemque diurno ſuo motu illud circumire: equidem arbitror ſecuturum, quod aer per ſe imbibiturus foret certam aquoſorum vaporum quantitatem ac retenturus eos, ad inſtar ſalium in aqua diſſolutorum; porro quod Sole aerem tepefaciente abundantioremque ab aquis vaporem interdiu excitante, aër ſuffecturus eſſet ſuſtinendæ majori vaporum proportioni: quemadmodum aqua fervens plus ſalium diſſolutorum ſuſtinere potis eſt; hi ipſi tamen per Solis abſentiam noctu omnes rurſum diſſolverentur in rores: perinde ut ſalia præcipitari videmus liquoribus refrigeſcentibus. Neque vero credibile eſt, tali in caſu ullam fore tempeſtatis diverſitatem, præterquam periodicam omnibusque annis ſimilem; mixtura videlicet quorumcunque vaporum terreſtrium, ſalinorum, heterogeneorum ſublata: qui ipſi nempe, prout varie compoſiti ſunt ac ventorum miniſterio advehuntur, cauſæ videntur eſſe variantium, quas nunc experimur, tempeſtatum. Iſto caſu præterea aeris regiones cunctis in locis ad eandem altitudinem æqualiter repletæ forent tali aquæ proportione, qualem continere valerent, reſpectu unice habito ad diverſos caloris gradus ſecundum propinquitatem aut diſtantiam Solis: perpetuus quoque ventus orientalis flando pervaderet totum globi ambitum, ad idem modo Orientis latus inclinans, ad quod latitudo ab Æquatore: uti obſervatum eſt in oceano intra Tropicos.

Sed ſupponamus ulterius, Oceanum hunc interſperſos habere amplos & ſpatioſos terræ tractus cum excelſis montium jugis, cujusmodi ſunt Pyrenæi, Alpes, Apenninus, Carpathii in Europa;

Taurus, Caucasus, Imaus & complures alii in Asia; Atlas ac Montes Lunæ cum aliis minus notis montibus in Africa, unde ortum habent Nilus, Niger atque Zairus; in America denique Andes & Apalateani montes: quorum nempe singuli longe transscendunt consuetam altitudinem, ad quam vapores aquei per se enituntur, quorumque in vertice adeo frigidus ac rarefactus aer est, ut non nisi exiguam eorum vaporum partem retinendo sit, qui ventorum ope istuc devehuntur. Hi itaque vapores, qui copiose in mari excitantur, ac a ventis per depressiores terrarum tractus deferuntur ad ista montium juga, ibidem ab aeris flumine coguntur sursum cum ipso scandere ad montium cacumina, ubi aqua extemplo præcipitatur, deorsum per saxi rimas destillans: parte quoque vaporis cavernas montium subintrante, ejus aquæ tanquam in Alembico colliguntur intra pelves lapidum, quas ibi offendit: quibus semel oppletis, omne id, quod de aquis istuc adventantibus exundat, superfluit qua locus est humillimus, ac per montium latera prorumpens singulos format fontes. Horum jam plures dum per convalles seu incilia inter collium juga delabuntur ac mutuo uniuntur, rivulos producunt, aut torrentes: eorumque rursus plures in unam communem vallem confluentes planumque nacti solum ac inde facti minus rapidi in amnem evadunt: quorum dein aliqui in communem canalem collecti tanta demum gignunt flumina, uti sunt Rhenus, Rhodanus, Danubius: quorum hunc postremo nominatum quidem ægre quis crederet collectionem aquæ ex vaporibus condensatæ; nisi consideretur, quam vastum telluris tractum flumen hoc alluat, quodque veluti summa sit universorum illorum fontium, quotquot ex australi latere montium Carpathiorum erumpunt, nec non ex boreali immensorum istorum, quibus Alpes constant, jugorum, quæ continua montium catena est inde ab Helvetia ad Pontum usque Euxinum. Atque pro regula fere esse potest, fluvii alicujus magnitudinem, aquarumque quas exoneret quantitatem, proportione respondere longitudini atque altitudini jugorum, unde ejus scaturigines exsurgunt.

Hæc ipsa vero Fontium Theoria haudquaquam nuda est hypothesis, verum experientia utique fulcitur: quam ipsam nempe ut acquirerem, fors mea tulit, dum in S. Helenæ insula commorari aliquan-

aliquandiu mihi obtigit: ubi nempe nocturno tempore in montium vertice, 2400 circiter pedes maris superficiem transcendente, adeo mira fiebat condensatio, aut potius præcipitatio vaporum, ut non parum impedimenti crearet cœlestibus, queis tum vacabam, observationibus; etenim sereno quoque cœlo ros tam copiose solebat cadere, ut singulis horæ quadrantibus vitra mea optica guttulis obtegeret, quæ idcirco toties abstergere me oportebat: charta quoque, in qua scribebam, fere in momento rore adeo madescebat, ut atramento sustinendo haud sufficeret amplius: unde concludere licet, quam celeriter aquæ colligantur in vastis illis ac præaltis, quæ modo nominavi, montium jugis.

Hoc itaque pacto pars una vaporum flatu super terras delata, per flumina intra mare reducitur, unde venerant; pars alia per nocturnum frigus in mare iterum delabitur, sub forma roris aut pluviæ etiam, priusquam ad aridam pertingat; quæ quidem vaporis universi longe maxima est portio, ob vastam nempe Oceani amplitudinem, quam ventorum motio non pervadit longo admodum temporis spatio. Atque hæc ipsa ratio est, cur flumina non refundant tantum in Mare Mediterraneum, quantum sub vaporum specie inde extrahitur. Tertia quædam pars cadit in terras humiliores, plantisque in pabulum cedit: neque tamen ibi remanet, vesum rursus exhalatur in vapores per Solis actionem, & sic vel a ventis devehitur ad mare, sub schemate pluviæ aut roris illuc relapsura, vel ad montes alioquin, quo ibi in scaturigines convertatur: & ut maxime hoc non immediate ita contingat, post plusculas tamen vicissitudines, quibus modo in vaporibus ascendit, modo in rore vel imbribus delabitur, singulæ tandem aquæ particulæ ad mare, unde prodierant, revertuntur. His accedit, quod aquæ pluviæ, postquam tellus affatim humore satiata est, per valles ac depressiores terræ partes viam intra flumina inveniunt, & ita per compendium ad mare retromittuntur.

Hac proinde methodo Circulatio ea perficitur: neque equidem dubito, quin Hypothesis hæc rationi magis consentanea sit, quam opinio eorum, qui scaturigines universas ab aquis pluviis derivant, cum tamen illæ perennes ac diminutionis expertes sint, tunc etiam, cum multo temporis intervallo imbrium nihil cecidit:

magis

magis item, quam altera illa, quæ easdem deducit a filtratione seu percolatione aquæ marinæ per certos tubulos imaginarios seu meatus subterraneos, intra quos salsuginem suam perdit: quæ quidem sententia, præter plures alias, hac principali absurditate laborat, quod grandissima flumina fere copiosissimas suas scaturigines quam maxime a mari remotas habent, ac talibus in locis, quorsum tam vasta aquarum dulcium quantitas alia qualicunque via derivari nequit, quam per vapores. Atque hic ipse, siquidem causas finales admittere fas est, videtur esse designatus montium finis, ut eorum juga, per medios continentis tractus dispositа, pro Alembicis quasi inservirent, ad destillandas aquas dulces in usus hominum æque ac animalium, eorumque altitudo declivitatem præberet istis amnibus ad leniter decurrendum, instar totidem venarum macrocosmi, pro largiori creaturarum emolumento. Si porro differentia inter rorem & pluviam, causa itidem, cur nubilum aliquando, aliquando serenum cœlum sit, exquiratur, equidem nil habeo, quod pro justa horum solutione venditare queam: quod si tamen conjecturas, quæ mihi quidem occurrunt, optimas modeste proponere licet, ita arbitror: quod videlicet, aere in cumulum congesto per mutuum occursum duorum ventorum contrariantium, cum Mercurius in barometro alte scandit, vapores tanto melius sustinentur prohibenturque, ne in guttas coagulentur aut condensentur, unde non ita facile nubes generari contingit: atque noctu sic vapores singulatim decidunt, uti ascenderant in atomis aqueis sensum effugientibus. E diverso quando Mercurius depressus est, aerq; rarefactus per exhaustionem, inductam a binis ventis ad plagas contrarias ab eodem loco prodeuntibus, tum atomi aereæ non ita bene separatos distinent vapores, quin hi in guttas coalescant visibiles in nubibus: unde porro facile trahuntur in majores pluviæ stillas. Præterea nec impossibile est, nec improbabile, quin genus quoddam salinarum aut angularium vaporis cujuspiam terrestris particularum, aqueis, quas bullas esse arbitror, immixtum scindere aut rumpere harum pelliculas cuticulasque valeat, atque sic facere ad celeriorem ipsarum in pluvias condensationem.

RELATIO

RELATIO EXPERIMENTI DE MERCVRIO sanguini injecto, noxiisque ejusdem in Pulmones effectis, Societati Regiæ communicata ab A. Mouslin, M. D.

Ex Tranſact. Phil. Angl. M. Jan. & Febr. 1691. N. 192. p. 486. ſq.

PRomiſeram, cum noviſſimum haberemus conventum, me daturum hoc ipſo die rationes, quibus inductus arbitrer Mercurium pulmonibus inimicum eſſe: ſpero proinde pollicitationis fidem impletam fore, dummodo exhibuero experimentum, quod apud Dn. Boylium autumno nuper elapſo in cane feci. Nimirum injeci intra venam ejus jugularem ſeſquiunciam circiter Mercurii crudi, ac paulo poſt obſervavi, canem tuſſicula ſicca exiguis intervallis ipſum adoriente affici. Conſuto tum vulnere, canem remiſi curandum, non aliis iſto quidem tempore Mercurii effectibus annotatis. At exacto biduo cum eundem reviſerem, offendi ipſum inſigni difficultate reſpirandi laborantem, ſono edito, qualis anheli ſeu ſuſpirioſi equi eſſe ſolet; nullus interim tumor erat circa linguæ radicem, neque ullam in glandulis maxillaribus aut parotidibus inflationem, diligentiſſime licet ſcrutatus, invenire poteram; nec ipſe ſalivam effundere ſentiebatur, ut maxime calidum juſculum ei præberi juſſiſſem, ſalivationem expectans. Quarto poſt Mercurii injectionem die moriebatur, poſtquam biduo mortem antegreſſo tam valida orthopnœa infeſtatus fuerat, ut ſomnum aliter capere nequiret, niſi capite qualicunque fulcimini innitente. Eo diſſecto reperi libram unam extravaſati ſeri ſanguinolenti intra thoracem. Extimum quoque pulmonum latus plerisque in locis vidi puſtulis plenum: quas licet primo adſpectu habuiſſem pro præternaturalibus quibusdam dilatationibus veſicularum, queis bronchia conſtant: non erant tamen niſi papulæ, ſive ſeparatio quædam communis pulmonum integumenti ab eorum ſubſtantia. Harum aliquæ grandiores erant piſo majuſculo, aliæ exiliores: pleræque tamen earum continebant globulos Mercuriales, qui in

pluſculis etiam nondum apertis jam viſum incurrebant per ipſam exteriorem cuticulam: in apertarum vero pene omnibus, quotquot examinare curioſitas ferebat, tales conſpexi. Multas quoque earum ruptas deprehendi, factaque leni preſſura obſervavi Mercurium effluere, & cum ipſo pauxillum ſaniei: adhibita vero compreſſione validiuſcula, largam talismodi ſaniei copiam emanare vidi.

Diſſecto dextro cordis ventriculo, nonnullas hydrargyri particulas offendi in ipſo meditullio ſanguinis coagulati iſtic ſtabulantis, uti & in eo, quem arteria bronchialis continebat. Obſervavi præterea cruorem coagulatum, & modo quidem (quem verbis exprimere neſcio) magnopere abludente ab omnibus, quos unquam alias mihi cernere contigit, tametſi varias alioqui methodos in eo coagulando adhibuerim; atque eum in interſtitiis inter columnas modo dicti ventriculi: ac in hoc ipſo majorem Mercurii quantitatem, quam in ulla alia canis parte. Coagulum autem hoc erat in vertice ventriculi, columnis ac parietibus ſatis arcte adhærens.

Siniſtro ventriculo aperto, tenaciſſimum reperi ſanguinem coagulatum firmiterque majori valvulæ adhæreſcentem incluſis ejus tendinibus, ac polypo nonnihil æmulum. In hoc ventriculo tametſi diligenter Mercurium exſcrutari laboraſſem, nullum tamen invenire valui: unde colligere eſt, Mercurium non ulterius penetraſſe, quam ad extremitates arteriæ pulmonalis. Atque hæc occaſio fuit puſtularum ſuperius memoratarum, dum ille viam ſibi violenter aperuit per communem pulmonum tunicam, partim proprio ſuo pondere, partim per propulſionem ſanguinis recentis ad easdem extremitates, qui per Mercurium in motu ſuo ſufflaminatus conſequenter tranſitum ſibi vi paravit per locum facilius cedentem, communem nempe pulmonum tunicam.

Denique aſperam arteriam aperui deſcendendo ad ipſa uſque bronchia, nullum tamen ibi Mercurium, quam diligentiſſime licet facta perquiſitione, offendere licuit. Subdiviſionum æque ac diviſionum in bronchiis ſingulæ repletæ erant ſanie, qua abluta globulos hydrargyri pluſculis in locis reperi ſub bronchiis, & facto examine comperiebantur eſſe in arteria pulmonali. Premendo globu-

globulos istos retrorsum antrorsumque trusi, eorumque aliquos feci prorumpere per foramina in vesiculis supra descriptis facta. Non parum operæ impendi, ut certiorem me redderem, ubinam sanies intra bronchia recepta foret, satis tamen mihi facere hac in re non valui.

Cæterum eluceſcere ex dictis poterit, quantum periculi habeat Mercurium taliter intra corpus humanum adhibere, ut in maſſam ſanguineam penetrare queat, ac ſpeciatim intra pulmones: dum nempe hi deſtituuntur vegeta illa fortique motione, qua quidem muſculi gaudent aliis in partibus, utpote qui ſufficiunt iſti eadem cum ſanguine via propellendo, eum in finem, ut excitetur ſalivatio. Laxa etenim ac ſpongioſa pulmonum textura nimis eos ineptos reddit ad liberandum ſeſe a tam moleſto hoſpite, cujusmodi eſt Mercurius. Quod vero hic eundem effectum in humanis pulmonibus habeat, planum ex eo evadit, quod quotidie experimur fieri in perſonis quibus talis ſalivæ fluxio ſæpius inducta fuit: quæ ſcilicet fere tabe omnem Medicinæ opem eludente emori obſervantur.

DIOGENES LAERTIVS GRÆCE ET LATINE, cum Commentariis integris doctorum Virorum.

Amſtelædami apud Henr. Wetſtenium, 1692 in 4. maj. Conſtat duobus Vol. Alphab. 7. pagell. 7 iconibus Philoſophorum 24.

Multæ ſunt Diogenis Laertii dotes, ob quas dignus habendus eſt, qui ab eruditis ſtudioſius verſetur, ejusque de vitis, dogmatibus & apophthegmatibus Philoſophorum veterum Græcorum libri decem aſſidue manibus eorum terantur. Nam præter variam ſcientiam, qua iſti ſcatent, Philoſophiam, uti per gradus & incrementa nata auctaque ſit, ita in iis depinxit, ut vel ex ſolis iſtis totius Philoſophiæ ratio facili compendio poſſit cognoſci: ſiquidem non tantum uniuscujusque Philoſophi vitam & mores deſcripſit, verum etiam inſtitutum & doctrinam cujusque diligentiſſime expoſuit, & potiſſima cujusvis ſectæ dogmata enarravit, ad hæc multas graviſſimas ſententias, multa argute dicta facta-

que, suo quæque loco insperſit, & auctores ubique, e quibus ea depromta sunt, indicavit, ut ob solam horum nomenclaturam grati eruditis hi libri esse debeant. Sæpe etiam sua intexuit epigrammata & versus, ex libro quem *παμμέτρον* nomine insignixerat, petitos; in quo de omnibus sapientia & doctrina illustribus viris carmine luserat. Ac etsi memoria non satis firma ipsum fuisse usum, quæ sæpenumero vacillavit, ingenio etiam non adeo valuisse appareat; plusque adeo studii in congerendis, quam judicii in deligendis vel digerendis veterum auctorum sententiis adhibuisse, a doctis annotatum fuerit; hæ leves tamen maculæ insignibus reliquis hujus operis ornamentis haud officiunt, & præstanti utilitate, quam ex eo capere licet, pensantur. Quocirca ut diutius officinæ librariæ egregii hujus libri copia destituerentur, ferre non potuit vir plane eximius *Henricus Wetstenius*, quo nemo ætate nostra elegantiori eruditione instructus librariam mercaturam facit, nec quisquam de cultu librorum, quos excudi curat, magis est sollicitus. Animadvertens enim, Anglicanam editionem, quæ ultima viginti & octo abhinc annis cum Menagii observationibus Londini prodierat, nullibi amplius venalem extare, a multis autem veræ eruditionis amantibus Laertium expeti; ipse de nova concinnanda sollicitus, adhibito in consilium doctissimo sene *Marco Meibomio*, omnis Græcæ literaturæ scientissimo, rationem inivit, ut & priorum editionum elegantiæ omnes iterum exhiberentur, & pulcherrimis accessionibus eædem augerentur, ipseque Diogenis Græcus contextus, & ejus Latina interpretatio, & ad istum observationes, meliores integrioresque extarent, nitidissimis typis excusæ: quorum Græci id peculiare habent, ut litterulæ quævis seorsim conflatæ, nec ullis abbreviaturis, quibus ad codicum manuscriptorum exemplum compositi veteres excusi libri abundant, coarctatæ sibique implexæ legantur; quam rationem cumprimis Meibomio improbari intelligimus.

Juxta Aldobrandinianam editionem, quæ Romæ A. 1594 prodiit, quam Londinenses typi anno 1664. expresserunt, Græca excusa sunt; collatione tamen Basileensis & Stephani editionum, ut & duorum a Thoma Galeo suppeditatorum manuscriptorum codicum, indeque complurium locorum emendatione ac restitutione, cumprimis

primis in decimo libro, a Meibomio facta: qui Latinam etiam Ambrosii Calmaldulensis a Benedicto Brugnolo anno 1475 Venetiis recognitam interpretationem, posthabita Aldobrandiniana, passim meliorem fecit, & multa supplevit, ut pro nova hæc haberi possit. Libros autem, ut quo loco in iis quodvis memorabile extat, posthac accuratius denotari, & Laertius non minus ac reliqui Autores veteres, ab editoribus in capita & paragraphos divisi, exactius allegari possit, in segmenta distinxit, emendatæque typorum constitutionis diligentissimam rationem habuit.

Notas hæc nova Wetsteniana editio exhibet omnes, quotquot antea extiterunt, *Th. Aldobrandini*, *Henr. Stephani*, *Isaaci* & *Merici Casauboni*, ipsi Laertio subtratas, quibus eruditas etiam suas admiscuit ἑλληνιστὶ τῷ *Meibomius*. Doctissimi autem in Gallia Abbatis, elegantioris omnis eruditionis commodo, quod per tot annos tam insigniter promovit, adhuc superstitis *Ægidii Menagii* observationes, in Anglia ante hos octo & viginti annos excusas, copiosas juxta & eruditas, alteri volumini, ut seorsim haberentur, inclusit Editor; qui multis accessionibus ab Auctore, in provecta adeo ætate (cujus jam nonum & septuagesimum annum agit) litteris his assiduo invigilante, locupletatas acceperat e Gallia missas: insigni documento, acerrimum etiamsi inter infestas gentes bellum geratur, suam tamen litteratis inter eas sartam tectam constare pacem, neque Martis castra & partes Minervam sequi. Observationibus subjecit ejusdem doctissimi auctoris *de mulieribus philosophis* commentariolum seu historiam, Annæ Fabræ Daceriæ inscriptam & Lugduni 1690 editam, a nobis in *Actis anni 1691 mense Nov. p. 535.* memoratam. Hunc libellum excipiunt *Joachimi Kühnii* eruditissimi viri, qui Argentoratensem academiam Græcarum litterarum & historiarum studiis exornat, ac Æliani editione & animadversionibus in Julii Pollucis Onomasticon orbi litterato se approbavit, observationes in Diogenem.

Ejusdem autem Viri clarissimi studio novam editionem dicti Onomastici adornandam, suisque sumtibus in publicam lucem proferendam pollicetur, qui Diogenem nobis nunc dedit; Pausaniam quoque ejusdem cura proditurum & notis ipsius illustratum in nostra urbe brevi lucem conspecturum esse, qua ut plura eruditi Viri

scripta fruantur, quæ confecta eum habere accepimus, optandum, fide Bibliopolæ apud nos primarii, qui excudendo ei sumtus impendet, promittimus.

Præfationes & epistolæ a prioribus Diogenis editoribus Ambrosio, Curione, Frobenio & Episcopio, Stephano, Aldobrandino, Casaubonis scriptæ; ut & vita Platonis auctore Olympiodoro contexta, a Mer. Casaubono & Jo. Windeto edita; nec non variantes duorum codicum Diogenis Anglicanorum lectiones a Th. Galeo suppeditatæ; & accurati in ipsum æque Laertium ac commentarios ejus modo memoratos, a Jo. Clerico concinnati indices postremum locum hujus voluminis occupant. Imagines autem quatuor & viginti Philosophorum: Thaletis, Solonis, Pittaci, Anacharsidis, Socratis, Æschinis, Aristippi, Euclidis, Platonis, Xenocratis, Carneadis, Aristotelis, Theophrasti, Antisthenis, Diogenis, Monimi, Chrysippi, Pythagoræ, Archytæ, Heracliti, Zenonis, Democriti, Sexti Empyrici, Epicuri, ex nummis, marmoribus, aut gemmis petitæ, libris Laertii, in quibus vitæ & dogmata eorum memorantur, insperſæ sunt, æri affabre insculptæ: ut prorsus nihil desit, quod ad nitorem libri facere quicquam possit, sed oculi & animus Lectoris quo pascantur abunde habeant, ac proin jure hæc dicatur omnibus numeris absoluta editio. Cujus elegantia motus doctissimus apud nos Vir *Joh. Gothofredus Herrichius*, cum conspiciendus ei a nonnemine nostrum tot commentariis & iconismis instructus & exornatus Diogenes præberetur, pro sua qua pollet Græci carminis facultate, isthoc reddidit μήτρεον:

ΔΙΟΓΕΝΕΙΣ πλεθρσι δύω, νέῳ ἠδὲ παλαιός·
Τὸν βαρὺν εἰς, ἕτερῳ τὸν τόνον ὀξὺν ἔχῃ.
Εἰς ξίφῳ ὀξὺ χερῶν κεφαλὰς, βαρὺ πυξίον ἄλλῳ·
Εἰς μάχετας λογχοις, εἰς χαφίδεσι, μάχην.
Ἄλλῳ Ἀθηναίῃ κεχαλκομένῳ, λρεῖ δ' ἄλλῳ·
Εἷς πολυμητις ἀνὴρ, δεύτερῳ ἢ σοφός.
Λαρτιάδην βάζ' θείᾳ φάτις ἄλλον Ὁμήρῳ,
Πατρίδι δ' ἄλλῳ ἐῇ λαέτι ῳ ἐυχῳ ἔδω.
Εἰς ἐν Ὀδυσσεία τηλεκλυτον ἔλλαχε κῦδος,
Εἰς ἕθεν ὡ βίβλοις Πηνελόπειαν ἔχῃ.

Καὶ

Καὶ τίς ἀμφιπόλοις ἐθέλοι δμωαῖς τε μιγῆναι,
Εἰ δύναται κυδρὴν δεσπότιν αὐδὶ λαβεῖν;
Δεσπότις ἡ ΣοΦ. σοφίην δεδιδαγμένος ἄδδην
Λάρτιος ἀρχαίων δόγματα Φῆνε σοφῶν.
Οἷα ΚΑΣΑΤΒΟΝΙΔΗΣ ὑπομνήματα γέγραΦε πρώην,
Δῆεν ὅσ' ἰχνευτὴς ΜΗΝΑΓΙΟΙΟ νόος,
Πλείά τε, ΜΕΙΒΟΜΙΟΥ μελέταις καμάτοις τε συνήΦθη,
Ὅσσα σαΦηνίζῃ κρυπτὸν ἐκεῖθι ζόΦον.
Ταῦτα καταγραΦθέντα νέοις ΑΚΟΝΗΛΙΘΟΣ ἡμῖν
Σήμασι, καὶ λογίοις συμβολίοισι διδοῖ·
Ἔστιν ἔτ' ἀῤῥενικοῖς ΣοΦίην ἐνταῦθα προσώποις
Δερκέμεν. ἀνδρομέαις εἰν ἰδέῃσι Θεάν.
Ὃς μὴ Διογένην ἀκαπᾶ Λαέρτιον ἤδη,
Διογενὲς τέργοι Λαρτιάδαο πλάνην.

HERMANNI VVITSII MISCELLANEA SACRA.

Trajecti ad Rhenum, 1692. in 4.

LIbro SECUNDO horum Miscellaneorum (primum in *Actis* proximo mense *Majo pag. 227. & seqq.* recensuimus) Dissertationes in universum sex diversi argumenti, Autor clarissimus exhibuit. *Prima* enim de mysteriis agit tabernaculi Levitici: *Secunda* sacerdotium Aaronicum cum sacerdotio Christi comparat: *Tertia* synedria Hebræorum contemplatur: *Quarta* bestias quatuor Danielis: *Quinta* de cultu Molochi instituitur: & *postrema* denique de præsenti & futuro seculo.

Mysteria itaque evoluturus, tabernaculo Levitico adumbrata, discernit ante omnia tabernaculum *privatum* Mosis, extra castra erectum post μοχλοποίΐαν (quod tabernaculum alias conventus nominatur) a *publico* Davidis, quod Zione erectum legitur, 2. Sam. 6. & 1. Chron. 16. & hoc rursus a *Levitico*, cujus instar monstratum in monte Mosi fuerit. Quod postremum cum hujus loci sit, non fata tantum ejus, materiam, atque formam; verum & partes cumprimis ac significationem mysticam studiose persequitur. Materiam

teriam tabernaculi collectam esse ex voluntaria Israelitarum oblatione partim, partim ex indicto censu sicli dimidii a singulis pendendi. De priori oblationis genere & Hieronymus loquitur: In tabernaculo Dei, dicens, offert unusquisque, quod potest: alii aurum, argentum, & lapides pretiosos: alii byssum, & purpuram, & coccum offerunt, & hyacinthum: nobiscum, subjicit, præclare agi-
p. 401. tur, si obtulerimus pelles & caprarum pilos. Quæ ab arcaniore significatione, qualem Autor hic subesse scribit, non dissentiunt. Tributum solvendum fuisse in expiationem animarum, ut in-
p. 402. mentem nobis veniret veri illius λύτρου, non auro constantis vel argento, sed pretioso Filii Dei sanguine, quo sumus ab ira & maledictione Dei redemti atque liberati. Formam tabernaculi fuisse Mosi ab ipso Deo ostensam, monstratamque e cœlo ideam, ad quam conformanda exactissime fuerint singula. Spenceri itaque, aliam longe originem commenti, & occasionem ejus ex tabernaculo Mo-
403. lechi & Chiun deducentis, sententia abduci censet animum a simplicitate narrationis Mosaicæ, nihil tale memorantis: a castitate cultus divini, cui cum Molechi abominandis superstitionibus nihil sit commune vel affine: ab intentione Dei, qui mores sui populi nullatenus vicinarum gentium moribus similes, verum sejunctissimos ab iis esse voluerit: denique a sublimiorum longeque præstantiorum rerum meditatione, quibus significandis tabernaculum fuerit inventum atque destinatum.

Partes ejusdem fuisse atrium, altare holocaustorum æneum, & labrum, tentorium cum tegminibus suis, sanctum cum suis utensilibus; mensa nimirum aurea, candelabro aureo, & altari aureo
408. suffitus; Sanctum dein Sanctorum, & in eo arcam cum operculo propitiatorio atque Cherubinis, inque hujus cavitate rursus tabulas fœderis, urnam auream cum Manna, virgam Aaronis, quæ fronduerat, totumque legis Mosaicæ volumen. In quibus lustrandis occu-
406. patus Autor observat, ignem sacrum ab altari in itinere fuisse remotum, & cum cineribus suis inditum lebetibus, necessarioque ibi ali-
411. mento fotum, donec altari redimponeretur. Atrium, Ecclesiæ figuram esse, secundum œconomiam suam externam, formamque visibilem spectatæ: Altari holocaustorum æneo notari Christum, quatenus oblationem sui ipsius pro peccatis electorum sanctificarit,

Deoque

Deoque gratam fecerit: ignem ſacrum cœlitus delapſum, jugiterque aſſervandum, eſſe emblema æterni Spiritus, quo ſemetipſum Chriſtus obtulerit inculpatum Deo, Ebr. 9, 14: ad purificationem animarum, quam ex Spiritu Chriſti habemus, pertinuiſſe labrum: pedes atque manus, lotione indigentes, actionum noſtrarum eſſe ſymbola. Tabernaculo generaliter quidem gratioſam inhabitationem & præſentiam Dei in Iſraele ſignificari: ſpecialius autem ſumto vocabulo, deſignari humanam Chriſti naturam, & eccleſiam electorum. Interiora hujus ſi ſpectes, locum qui Sanctum uſurpatur, figuram fuiſſe eccleſiæ militantis. Menſa aurea, panibus duodecim inſtructa, Chriſtum adumbrari, ejusque verbum & Sacramenta. Menſæ huic ad plagam borealem opponi e regione candelabrum, ut intelligamus, Deum in adminiſtratione ſuorum fœderum, lucis ſymbola ad cognitionem, & cibi ad nutritionem paſſim conjunxiſſe. Quomodo in primo ſtatim, arborem ſcientiæ & vitæ: in deſerto columnam ignis & manna: hoc loco candelabrum & menſam; in N. T. baptiſmum, φωτισμὸν dictum veteribus, & ſacram cœnam combinarit, utraque re quam maxime nos indigere ſubinuens, alimento ad vivendum, ad ſapienter operandum vero lumine. Candelabrum eſſe figuram eccleſiæ, quæ Chriſti colluſtrata lumine idem & aliis præferat. Oleo deſignari Spiritum ſanctum; ramis vero ex uno ſcapo prodeuntibus, eccleſias particulares. Altare ſuffitus typum eſſe Chriſti, intercedentis pro nobis, precibusque noſtris gratiam apud Deum conciliantis, Joh. 16. Odoramentis notari rurſus interceſſionem Chriſti, nec non a ſanctis profectas preces, & gratiarum actiones.

p. 413.

p. 414.

417.

419.

420.

422.

De aulæi interioris, quo Sanctum Sanctorum a Sancto ſejungebatur, ſignificatione myſtica, majore cum fiducia putat ſe poſſe diſſerere, quod præeuntem hic Paulum ipſum habeat: adeoque fuiſſe eodem ſignificata 1. cœlum viſibile, per quod tranſierit Dominus, quodque ſpes fidelium Jeſum inſecuta penetret: 2. Legis cæremonias, quibus contecta plurimum fuerint myſteria Evangelii; & 3. denique carnem Chriſti ac formam ſervi ab eo aſſumtam. Sanctum ſanctorum ſupremi cœli typum gerere, quod perfectiſſima ibi ſanctitas, Dei thronus, gloria incredibilis, & res per arcam, propitiatorium, atque Cherubim adumbratæ reperiantur. Sub

424.

425.

428. excidium templi, arcam una cum templo conflagrasse, rejectis aliorum conjecturis, Autori videtur probabilius. Reliquum Dissertationis in refellendis Spenceri inventis consumitur, qui religionem arcæ non aliunde quam ex sacris Ægyptiorum cistis derivare co-
437. natus est: contra quem etiam totum ministerium Mosaicum ad Messiam respexisse manuque veluti duxisse, præcipuarum partium inductione probat & confirmat.

In sacerdotii Aaronici collatione cum sacerdotio Christi, quæ *secunda* Dissertationis argumentum est, docetur initio, non humanæ inventionis, sed divinæ jussionis esse sacrificia, quod nullus cul-
456. tus Deo possit esse gratus, quem non ipse jusserit: quod ἐθελοθρησκείας Paulo sint damnatæ, quodque fides, qua sacrificium Deo
458. gratum Abel obtulerit, & jussione Dei, & promissione nitatur, plurimumque ab insita persuasione distet, qualem priscis Spencerus
461. tribuat. Fuisse eam fidem de sacrificio Messiæ. Quod sacrificia per se Deo non placeant, nec Ethnicis paulo humanioribus fuisse obscurum. Patriarchas itaque longe aliud in iis consideravisse, & nihil quidem potius, quam dictum Messiæ sacrificium. Vero
462. consentaneum videri, pelliceas Adami tunicas fuisse animantium Deo oblatarum exuvias; Deumque adeo ante sacrificium Abelis
463. fœderis gratioſi promulgationem non sine effusione sanguinis dedicasse, adipe videlicet & carne in suum honorem combustis, pellibus vero Adamo, velut primo sacerdoti cedentibus. Mundorum quoque & immundorum animalium discrimen ante diluvium a Deo esse, & pertinere ad sacrificia. Jus sacrificandi nulli ordini
466. sep. adstrictum legi initio, neque referri oportere ad primogenitorum
469. prærogativas. Mosen ineunte republica, jure singulari & extra ordinem Pontificatu functum, adstrinxisse illud ad familiam Aaronis, certisque legibus definiisse.

Hinc ad arcem præsentis causæ deductus, quo explicare distinctius possit, quæ Messiæ sacerdotium præfigurarint, ad sacerdotum personas, ad consecrationem eorum, & ad functionem
470. ipsam respiciendum sibi censet. In *personis*, natalium dignitatem, integritatem corporis, animi sanctitatem, & matrimonii castita-
473. tem fuisse requisitam: quæ quam apta ratione transferri ad Christum possint, postea ab Autore ostenditur; sic tamen, ut lege connubiali,

nubiali, Levit. 21, 13, 14. 15. Pontifici dicta, Christi & Ecclesiæ castos amores insinuari doceat. *Consecrationem* sacerdotis constitisse, ex divino præscripto, lotione, indutione sacrarum vestium, unctione, & nonnullis sacrificiis: earumve rerum veritatem in Christo admodum esse conspicuam. Jaspidem gemmarum in pectorali ultimam, Ex. 28, 20; primo loco numerari in fundamentis novæ Jerusalem, Apoc. 21, 19. ut intelligamus, incipere T. N. ubi Vetus desinit; & ut recordemur, Paulum ex tribu Benjamin, repræsentata utique per jaspidem, fuisse ex principibus novæ Hierosolymæ ædificatoribus. Per Urim denotari lucem uberrimam sapientiæ, gloriæ, atque lætitiæ: per Thummim vero nitorem sinceritatis & sanctitatis perfectissimæ in Christo; neque Deum per quidquam tutius aut certius consuli, quam per Christum, qui oracula cœlestia ecclesiæ suæ restituerit clariora, uberiora, majorisque de momenti rebus, quam audita unquam fuerint. Tessellatam tunicam justitiæ & salutis esse symbolum, qua indutus Christus ipse suos induat, Psal. 132, 9. Jes. 61, 10. Tintinnabula cum malogranatis, suavem repræsentare sonum evangelii, cum fructibus coloris ac saporis jucundissimi: cidarin ex byssо candida, exactissimam Christi puritatem; quo loco & quæstio, an Johannes, Jacobus, & cæteri Apostoli ornatum pontificalem gesserint, Baronio reclamante, decidit. Unctionis negotium declaraturus distincte oleum unctionis, ungendi modum, & personas ungendas considerat. Quæstionem, utrum & sacerdotes gregarii uncti fuerint, distinctione adhibita resolvit, aliter asserens unctum fuisse pontificem, aliter sacerdotes: illum oleo sacro perfusum in capite: hos oleo, victimarum sanguine mixto, leviter tantum adspersos in sacra veste. Postmodum quam facili ratione singula applicari Christo possint, ostendit. Ad consecrationem denique pertinuisse oblationem triplicis sacrificii: juvenci, qui piaculare; arietis, qui holocaustum; rursusque arietis, qui salutare seu pacificum sacrificium præstiterit. 479. 480. 486. 487. 490. 495.

Functionem ipsam muneris, generatim si spectetur, in eo poni, ut sacerdotes ad Deum appropinquent, familiariterque cum eo conversentur, velut ministri Deo proximi. Si specialius, tres illius numerari partes: dona, & victimas, & incensum pro peccatis offerre, intercedere pro populo, & populo benedicere, verbo, Deum placare: 497. 500.

care: victimarum oblationem alias ad victimarum dominos referri, alias ad ſacerdotes. Incenſi oblationem & quotidianam eſſe, & annuam; tres articulos in ſacrificii oblatione probe diſcernendos, ſuum quoque invenire locum in oblatione Chriſti. Eum enim ſemetipſum *primo* obtuliſſe, quando ſponte ſua vivus valensque eo profectus eſt, unde ſciebat ſeſe ut victimam piacularem ad judicium, mox ad crucem ipſam ducendum: *ſecundo* cum patiens & moriens ſanguinem ſuum fudit, eductus eum in finem extra pomœria, uti extra caſtra & urbem cremandæ erant victimæ, quibus adumbrabatur: *tertio* quando ſanguinem ſuum in ſanctuarium ſine manibus factum, hoc eſt, in cœlum ipſum intulit, Patrique ſuo ſtitit. Finem oblationis & effectum, eſſe plenam peccati noſtri expiationem ac deletionem: neque aliam ob rationem de Chriſto dici, quod tradiderit ſemetipſum pro nobis oblationem & victimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ. Peractæ expiationis evidens argumentum haberi in laceratione veli. Omnia denique benedictionis ſacerdotalis myſteria impleri in benedictione Chriſti: ut adeo certum ſatis & exploratum ſit, nihil in ſacerdotalis functionis partibus occurrere, quod non fuerit modo exactiſſimo a Chriſto præſtitum.

p. 503. 508. 510. 517.

Tertia Diſſertationum explicat ſynedria, & conſeſſus judiciales in Hebræorum republica uſitatos. Cumque tria horum ferantur genera, minimus qui tribus; major qui viginti tribus; & maximus conſeſſus qui LXXI. viris ſeu judicibus conſtitit, de poſtremo cumprimis hic Autori ſermo eſt: neque multum ſe novi, in notabili hac Judaicæ antiquitatis parte illuſtranda, allaturum is profitetur, ſed quæ ſparſim ab aliis annotata ſint, collecturum & ordine non inconcinno diſpoſiturum, cum præſertim probe ſciat, a Johanne Seldeno, opere integro; & a Johanne Leusdenio, peculiari Diſſertatione in Philologo mixto, de hoc eodem argumento actum copioſius. Poſtquam igitur primam Synedrii M. inſtitutionem, perſonas in illud cooptandas, earumve numerum, tribum, & qualitates; cooptationem ipſam; autoritatem hujus Senatus; locum præterea & formam conſeſſus, tempus, continuationem denique & ſucceſſionem ejusdem expoſuiſſet, Talmudicorum de Synedriis ſuis hiſtorias non exploratæ veritatis eſſe oſtendit, neque fidem illis haberi oportere, niſi quatenus ex ſacris confirmentur. Non pauca eſſe

521. 527. 534. 558. 563.

quæ

quæ ſuadeant, nullum tale ſynedrium ante captivitatem Babylonicam extitiſſe, ſed viguiſſe demum, Hebræis ſub poteſtate Principum Macedonum, Alexandri magni ſucceſſorum, viventibus: ipſumq; nomen inde originem traxiſſe, non levi eſſe argumento, quod Macedones ſenatores ſuos, quorum conſilio adminiſtrata respublica, Livio teſte, *Synedros* nominent.

Diſſertatione *quarta* diſquiritur, ecquid de Imperii Muſlimici origine ac progreſſibus, ſeptimo capite Danielis, ſub emblemate pardi præſignificetur? Anſam inſtituto præbuiſſe refert armagentis Turcicæ, ſuperioribus annis Imperium Romanum in Germania ita invadentis & quaſſantis, ut de ſumma rei periclitari videretur. 565.

Qua re & ſe excitatum atque permotum ſcribit, ut exponendum in prælectionibus ſuis duceret, ecquid divina oracula de Saracenis & Turcis, eorumque ad Eccleſiam Chriſti habitudine, prædixerint, quidve ſperandum ex iis, quid metuendum habeamus. Quod opus tamen cum ad expolitionem ſui majore diligentia indigeat, quam occupationes Autori nunc permiſerint, viſum 568.
fuit, loco ſpeciminis argumentum præſens inde excerpere operique huic Miſcellaneorum inſerere. Fuiſſe vero interpretem Danielis, hujus ævi non incelebrem, Coccejum puta, in ea ſententia, caput modo allegatum loqui de quatuor regnis, ab eo Imperiorum genere, quod ſecundo capite præfiguratum legitur, plane diverſis: primumque eum interpretari adeo de Imperio Conſtantini atque ſucceſſorum: ſecundum de regno Gothorum, Vandalorum, & Longobardorum: quartum de Imperio Caroli M. & ſucceſſorum. Hujus vero initia cum proxime anteceſſerit Turcicum, emergere inde putavit tertium, pardi nomine inſignitum. Quamvis autem repugnare nolit Witſius, quo minus habeantur illa pro veris atque ſolidis, retinere tamen ipſe & tueri ſententiam receptam maluit, tandemque ſublatis non modo difficultatibus, quas communi objicere 603.
voluit Coccejus, verum adductis etiam non levibus, queis nova premitur, concludit, illam anteponi huic merito, & pardi emblemate 607.
Macedonum rectius, quam Muslimorum Imperium ſignificari.

Quinta Diſſertatio cum abominandum ritum, quo non peregrinæ ſolum nationes, verum & ipſe Dei populus liberos ſuos cacodæmoni Molocho obtulerunt, exponat, non parum lucis & ver-

616. bis protomartyris Stephani, Act. 7, 43, & Amosi Prophetæ c. 5, 26. videbitur fœnerari. Persuasum ab impiis sacrificulis fuisse gentilibus, uno infante sic oblato, salvos fore cæteros, totamque familiam rebus prosperis usuram. Impietatem hanc Deum severe interdixisse suis, addita & mortis pœna. Ritum eum esse legi naturæ, & pietati in liberos contrarium: esse sacrilegum, quod liberos Deo genitos, eique per circumcisionem sacratos, furto abstulerit & sacrificarit Dæmoni: magicum esse, cum consultatione Dæmonum ut plurimum conjunctum, & propitiatorium, ad mala scilicet averrun-
617. canda susceptum & peractum. Apparere ex eo nihilominus, quod insitum hominibus sit, non convenire Numini, ut propitium se præbeat peccantibus, nisi idonea interveniente hostia: neque sufficere ad placandum Deum sacrificia pecudum: rectius liberos nostros consecrari Deo, ejusque rei professionem publicam faciendam esse: nihil denique tam charum nobis esse oportere, quod libentes non impendamus Numini.

Sexta & ultima Dissertatio, de seculo præsenti & futuro in-
620. stituta, observat inter alia, quando futuro seculo notentur dies Messiæ, præsens tunc seculum id vocari, quod usque ad manifestationem illius regni currit: quando autem per futurum intelligatur conditio animarum separatarum post hanc vitam; seculum præsens respectu uniuscujusq; hominis fluere usque ad vitæ hujus animalis terminum: quoties denique futuri seculi nomine innuatur tam hominum, quam totius universi status post resurrectionem mortuorum; præsenti seculo intelligi, quidquid ævi ad universalem omnium rerum innovationem fluat. Unde efficitur, ut sine contradictione possit una eademque res & ad præsens, & ad futurum seculum referri. Ne itaque turbentur calculi, semper attendendum esse monet ad præsentis seculi cum futuro contentionem, servata ejusdem significationis analogia. Dies Messiæ futuri seculi nomine venire, probat quoque ex Doctorum Hebræorum cum veterum, tum recentiorum
627. scriptis. Quin & sacrorum vatum & Apostolorum locutionibus niti, qui Messiæ regnum novi seculi exordium nominent. Novi mundi
629. tres facit gradus seu periodos, de quarum secunda: *Alteram quoque*, ait, *mundi innovationem sub Messiæ auspiciis exspectamus; quum nimirum Antichristo de throno suo deturbato, destructis destructoribus*

terra

terra, conversis Israelitis, plurimaque cognitionis, sanctimoniæ, & consolationis luce ecclesiam circumfulgente, insigni mundus opulentia, & quasi vita ex mortuis donabitur. Gemella & libro 3. c. 5. n. 147. p. 740. leguntur. Atque hæc de Dissertationum, ad librum secundum relatarum, argumentis dixisse sufficiat.

TERTIVS liber Miscellaneorum de sensu epistolarum, quæ ad septem ecclesias Asiæ minoris datæ leguntur in Apocalypsi, agit, & num historicæ, dogmaticæ, atque hortatoriæ illæ sint, statum ecclesia- p.648. seq.
rum Asiaticarum, qualis tunc erat, enarrantes, cum hortationibus, comminationibus, promissionibus statui dicto convenientibus, ad eundem modum, sicut & reliquæ epistolæ Apostolicæ; an vero propheticæ, allegoricæ, emblematicæ, vaticinantes de futuro ecclesiæ statu, sicuti septem sigilla, ac septem tubæ, quibus septem hæ epistolæ in prophetiis & allegoriis suis respondeant; curatius disquirit. Posterius placuisse recentioribus Apocalypseos interpretibus, contendentibus, ecclesias illas Asiæ non tam in se considerandas esse, quam ut emblemata & typos totius ecclesiæ Christianæ in septem distinctis, sibique ordine succedentibus temporum periodis: ita quidem, ut *Ephesina* conditionem referat ecclesiæ primitivæ, a Christi in cœlos ascensione incipientis, ac desinentis in Apostolorum morte, circa finem primi seculi: altera, *Smyrnensis*, seculo secundo & tertio respondeat, sitque figura ecclesiæ patientis, & plurimis martyriis exploratæ: tertia, *Pergamensis*, trium sequentium seculorum statum exprimat: quarta, *Thyatirensis*, plura secula complectatur, usque ad reformationis initia: quinta, *Sardensis*, emblema sit ecclesiæ Lutheranæ, nullo, quod sciamus, *μισαδελφίας* crimine fœdatæ, modo *καταγνήτης* inveniat, multo minus mortuæ: sexta, *Philadelphiensis*, ei respondeat, cujus confessionem Autor sequitur, quamque agnoscit paulo posteriorem esse tempore: septima denique, *Laodicena*, ultimorum temporum describat conditionem.

Qua quidem in causa Autor sic versatur, ut novem initio ar- 650. seqq.
gumenta afferat, pro sensu prophetico: & quinque postmodum pro 669. seqq.
sensu historico militantia. Quibus probe examinatis & excussis, 701. seqq.
non solum primæ classis argumenta parum esse valida ostendit, 731.
verum & incommoda non pauca, nec levia, quibus prophetica expositio premitur, in medium adducit.

POSTRE-

POSTREMUS Liber Dissertationem complectitur, de Donatistarum schismate agentem. Locustas Apocalypticas imaginem
743. hic facit Romani cleri, astute quidem nuper simulantis, Reformatio
744. in Gallia collationem se offerre, qualem Carthagine cum Donatistis habuerint olim Catholici, Augustino etiam procurante; re autem vera nil nisi Diocletianæ ætatis scenam revocantis. Laudato itaque simili plane argumenti scripto, Leideckeri *Ecclesiæ Africanæ Historia*, Donatisticæ factionis historiam ab ovo orditur, & continuata serie ad dictæ modo Collationis tempora deducit: idque
745. eo consilio, ut palam faciat, injuriam insignem hominibus suæ professionis fieri, quando cum Donatistis, factiosis, pervicacibus, turbulentis, imo sceleratis hominibus in unam classem rediguntur: cum quo-
746. rum institutis & moribus nihil commune sibi esse patiantur. Hodiernos quoque Romanæ Ecclesiæ Antistites ab illa via longe discessisse, cui insiterint prisci quondam catholici: tantum sinceritatis, charitatis, & mansuetudinis hic apparere, quantum ibi fraudis, vafritiæ, & sævitiæ observetur: neque Romanenses justam collationem unquam concessisse Protestantibus. Neque propositum illud fuisse nuperis ecclesiæ Gallicanæ præsulibus, blandis licet verbis id pro-
858. fitentibus: nihil in mente eos aliud volvisse, quam reformatæ religionis in Gallia πανολεθρίαν quovis modo procurandam, eventu
838. ipso rem comprobante. Concilium Tridentinum nihil minus
840. fuisse, quam liberum; æquiora quodammodo fuisse Colloquii Possiaceni primordia, Carolo IX. imperante habiti. Ex cujus historia rursus evincit, suam Autoris religionem professos, catholicorum veterum candorem atque sinceritatem novo exemplo expressisse. Romanæ e diverso Ecclesiæ Antistites in fastuosis Donatistarum tergiversationibus artibusque eludendi variis omne suum quæsivisse præsidium.

Sub finem denique totius operis triplicem habes indicem, quorum *primus* summam & seriem materiarum Miscellaneis hisce propositarum; *medius* Scripturæ loca illustrata; *& ultimus* voces Hebraicas hic illic declaratas, complectitur.

PRO-

PRODROMVS AD REFVTATIONEM ALCORANI, in quatuor partes divisus, auctore Ludovico Marraccio, e Congregatione Clericorum Regularium Matris Dei, Innocentii XI. P. M. olim Confessario.

Romæ, typis Congr. de Propag. Fide, 1691 in 8.
Pars prima constat Alph. 1. & plag. 18.

PArti primæ operis hujus, præter præfationem copiosam, præmissa est Vita Mahumeti (sic scribit Auctor, qui Arabibus est *Mohammed*) quam sequitur Descriptio Alcorani. Præfatione hoc agitur, ut primum miretur Clarissimus Auctor, quum tot immensa volumina contra varias sectas conscripta sint, paucissimos esse, qui contra Mahumetanam stylo certaverint, quos nominatim laudat, Philippum nempe Guadagnolum, Bonaventuram Malvasiam, Josephum Martellinum, & nuperrimum Tyrsum Gonzales de Santalla, Hispanum. Etsi vero etiam antiquiores sint, qui in hoc stadio decurrerunt, utpote Joannes Damascenus; Petrus Paschasius; Petrus Cluniacensis; Joannes Cantacuzenus, Imperator; Abnuhum & Abraham Chaldæi; Ricoldus; Joannes de Turrecremata; Dionysius Carthusianus; Cardinalis Cusanus, & Hieronymus Savanorola: etsi, inquit, hi aliquem numerum faciant, tamen perpauci censeri debent, si vel cum hostibus, a quibus oppugnamur; vel cum nostris comparentur, qui contra alias sectas magno numero dimicaverunt. Esse etiam in illis dicit, qui ex rerum Turcicarum ignorantia in medium proferant, quæ risum potius Mahumetanis excitent, ac in errore eos obstinatiores reddant. Caussas postea, quibus alii Scriptorum paucitatem vel cessationem excusent, examinat ac confutat, quarum primam ponit, esse Alcoranum cunctarum hæresium congeriem, ideoque in ipsis, ex quibus conflatus est, hæresibus dudum confixum & enervatum: deinde, frustra adversus eos stylo pugnari, qui religionem suam gladio defendant: adhæc crasiores Mahumetanorum errores esse, quam ut multis voluminibus confutari deceat: quartam denique adferri dicit, quod inanis Turcis labor, contra noxius Christianis futurus sit; neque enim illos superstitionem deserturos esse, in Christianis autem fore fortassis, quibus

p'aceat cognitum, quod tutius ignorare potuiſſent. His rationibus reſpondetur, & primæ quidem, non ita mixtum ex antiquis Alcoranum eſſe, ut nihil novi adferat: quin ipſas antiquas hæreſes non paucas, a plurimis confutatas, vigere etiamnum, nec ſine fructu hodieque refutari. Ad ſecundam reſponſurus Auctor, novam agendi cum Turcis methodum ex libro Marchionis Febure, Venetiis A. 1684 impreſſo, titulumque præferente *Teatro della Turchia*, commendat, ſecundum quam, ſepoſitis initio controverſiis de Fide, ex adiaphoris jubet non nulla proponere, ut doctrinæ alicujus opinionem apud illos acquiramus. Poſtea de iis ſermonem vult inſtitui, quæ ad Deum, ejusque attributa, & ad rerum creatarum mirabilem præſtantiam pertineant, a quibus quum ad Hominem gradatim ejusque ſummam felicitatem perventum fuerit; tum demum putat commode ad ea, quæ credenda ſunt, acceſſum fieri, præſertim ſi ipſi Turci, ſuperiori ſermone excitati, de noſtra religione ex nobis forte requiſiverint. Id enim uſu auctorem ejus libri didiciſſe, permultos annos cum Mahumetanis converſatum. Tertiæ & quartæ cauſſæ reſpondet, craſſos quidem Mahumetanorum errores eſſe, at occultum ſub illis venenum latitare, quo maxima pars hominum infecta fuerit, qui facilius ad Turcicam religionem, quam ad Chriſtianam, adduci poſſint. Non ergo inanes illorum labores eſſe, qui tam valido veneno præſentaneam antidotum oppoſuerint. Quintam cauſſam, quæ periculum urget, quod Chriſtianis in Turcia degentibus ex refutatione Alcorani oriri poſſit, leviorem putat, quam ut multis verbis profligari oporteat, utpote ipſo uſu & experimento improbatam. Non enim neceſſe eſſe, ut libri iſti Turcis oſtendantur, qui illos etiam tolerent, ſi nihil in Mahumetum vel Alcoranum manifeſto injurium contineant. Altera pars præfationis diſtributionem operis quadripartitam exponit. Prima nempe parte, poſt Mahumeti & Alcorani deſcriptionem, dicta Scripturæ Sacræ utriusque Teſtamenti a perverſione Turcorum vindicari: ſecunda, miracula Mahumeti examinari: tertia, doctrinam Chriſtianam ab oppugnationibus Turcorum defendi: quarta, leges & mores utriusque gentis committi. Tandem bibliothecas Romanorum laudat, quæ ſibi codices huic operi perſcribendo ſuppeditaverint.

Vita Mahumeti diviſa eſt in XXVII capita, quorum priora

de

de nativitate ejus & educatione agunt, in quibus id ſingulare ineſt, quod Meccam, patriam illius, non in Arabia Felice, ſed cum Gabriele Sionita, & Geographis Arabicis in Arabia Petræa locat. De fabuloſis miraculis, quæ Mahumeto puero evenerint, & de crebris angeli Gabrielis apparitionibus, ſuperſedemus quidquam repetere. Quid? quod cap. VIII probatur ex Arabum teſtimoniis, interpretum Alcorani, Mahumetum uſque ad quadrageſimum ætatis annum idola cum cæteris Meccanis coluiſſe, ex quo falſa eſſe elucet, quæ de ſuperioris ætatis ſanctitate & angelicis apparitionibus a multis fuerunt tradita. Cap. XIII fuga ex Mecca in Medinam, unde initium epochæ Mahumetanorum; & ſequentibus capp. expeditiones Mahumeti bellicæ narrantur & incrementa potentiæ, uſque ad mortem ejus, quam ſequitur cap. XXV deſcriptio templorum Medinenſis & Meccani, ex Gabrielis Bremondi opere, *Deſcrittione eſatte dell' Egitto Superiore ed Inferiore*, qui quod de ſepulcro Mahumeti in Medinenſi templo ſcripſit, exiguam corporis portionem in illo inveniri; colligit Auctor noſter, non abſimile vero eſſe, quod graves ſcriptores prodiderunt, quum poſt mortem Mahumeti de imperio proceres certarent, cadaver ejus, nemine in tumultu cuſtodiente, a canibus dilaceratum fuiſſe.

Sequitur de *Alcorano*, cujus nomen, verſiones, ſtyli inæqualitas, diviſio in Suras vel Suratas, & in ſectiones minores, quas Signa vocant, id eſt pericopas uſque ad rhythmum in proſa procurrentes, explicantur, uſque ad cap. III, quo de materia Alcorani hæc in principio referuntur, *vix dici poſſe, quid determinate contineat Alcoranus: eſſe enim miſcellam & farraginem innumerarum rerum.* Cap. IV de auctore & adjutore Alcorani conſcribendi diſputatur, quem Chriſtiani *Sergium* quendam monachum fuiſſe, traditione acceperunt. Noſter autem oſtendit, non fictum prorſus aut falſum eſſe, quod de monacho iſto traditur, ſed ex ipſo Alcorano fieri probabile. Sura enim XVI Signo 106 Meccani objiciunt, *doceri Mahumetum ab homine.* Torquent ſe interpretes Saraceni, ut perveſtigent, quis ille homo fuerit. Gelalledinus *Cainum* Chriſtianum vocat: Maſaudius *Bahiram*, & eſſe eundem ac Sergium, ac paullo poſt *Neſtorium* appellat; quod noſter Auctor interpretatur, monachum illum, ſive Sergius ſive Bahiram fuit, profeſſione Neſtorianum fuiſſe, quod

Georgius monachus, ſcriptor Arabs, ſed Chriſtianus, confirmavit. Hoc poſtea noſter aliis laudibus Alcorani opponit, e cœlo, a Deo, per Gabrielem datum eſſe, quem homines in membranis & chartulis annotaverint, quas ſucceſſor Abubacer collectas in eum ordinem, quo nunc ſunt, redegerit. Addit, contradictiones in Alcorano paſſim occurrentes, excuſari a Mahumetanis diverſitate temporis, quod Deus vel Gabriel præceperit quædam Mahumeto, quæ alio tempore revocaverit: unde & ipſi inter verſus *abrogatos* & *abrogantes* diſtinguant, de quibus toto cap. V. agitur. Sexto autem capite, quod ultimum hujus tractatus eſt, Alcorani æſtimatio expenditur, quem Moslemi ſeu Mahumetani duabus propoſitionibus includunt, I. *nihil ſimile Alcorano ſcribi poſſe*, quod quia in ipſo Alcorano ſcriptum exſtat, neceſſe eſt, ab ipſis ſancte & indubitato credi. II. *Alcoranum eſſe æternum & increatum.* Quanquam vero inter ipſos huic contradixerunt multi, etiam Caliphæ quidam: priorem tamen propoſitionem a nemine putant, niſi hæretico, negari poſſe, qualis Mardar, monachus Saracenus fuit, unde Mardarienſium apud illos ſecta appellatur. Et hactenus quaſi de prolegomenis.

Ipſius operis Pars I. examinat, quæ pro Alcorano ſuo & Mahumeti auctoritate Moslemi ex noſtris Scripturis utriusque Teſtamenti, maxime ex Pentateucho & Evangeliis, adferre ſolent. Nam noſtris ſacris libris divinam auctoritatem adeo non derogant, ut in ipſo Alcorano ad eos provocari credant. Sect. V. §. 50. Deus fingitur ita Mahumeto locutus: *Subſequi fecimus poſt prophetas Jeſum filium Mariæ, qui verificavit id, quod antea prædictum fuerat in Pentateucho, & dedimus ei Evangelium, in quo eſt directio, & lux, & confirmatio.* Et Sect. X §. 93: *Quod ſi dubitatio aliqua in te ſuboriatur circa ea, quæ tibi revelavimus, interroga illos, qui ante ſacra volumina legerunt.* Ubi interpres Gelaleddinus: *Interroga eos, qui legerunt Pentateuchum ante te.* Et Sect. XXI. §. 7: *Interrogate profeſſores Scripturarum, ſi vos neſcitis.* Quod idem Interpres ita explanavit: *Interrogate eos, qui ſunt periti in Pentateucho & Evangelio.* Ne vero gratis hanc fraudem nobis Mahumetus impoſuiſſe videatur, duo pro ſe ex ſacris libris teſtimonia in Alcorano adducit. Primum Sect. VII §. 149: *Qui ſecuti fuerint Legatum, Prophetam idiotam, quem reperient ſcriptum apud ſe in Pentateucho & Evangelio,*

lio, præcipientem ipſis juſtum, & prohibentem injuſtum &c. Sed nihil horum in Pentateucho reperitur. Alterum Sect. LXI. §. 6. *Dixit Jeſus filius Mariæ: O filii Iſrael, certe ego miſſus ſum ad vos Legatus a Deo, ut verificem Pentateuchum, qui traditus fuit ante adventum meum: & ut annunciem Legatum alium, qui venturus eſt poſt me, cujus nomen erit Ahmed.* Mirum ſane evangelium, nequiſſime a pſeudevangeliſta confictum. Sed regerunt Mahumetani, olim hæc in noſtris libris lecta fuiſſe, ſed poſtea eraſa aut mutata partim a Judæis, partim, quod ad Evangelia pertinet, ab ipſis Chriſtianis. Hinc longa exercitatio ab Auctore inſtituitur pro integritate ſanctarum Scripturarum, quam, quod gratum nobis eſt, iisdem argumentis probat, quibus nos contra plures Pontificiorum pro eadem cauſſa pugnamus. Diſtinctionem præmittit inter lectiones diverſas, *Keri* & *Kethib*; & inter corruptiones, cum in ipſo Alcorano dentur hujusmodi varietates, quem corruptum eſſe ipſius admiratores ſtrenue negent. Deinde pag. 33. *Fateor*, inquit, *non defuiſſe ex noſtris aliquos, etiam magni nominis Auctores, qui vaticinia aliquot, ad Chriſti adventum ſpectantia, e Veteri Teſtamento a Judæis maligne ſublata vel depravata fuiſſe affirmarent. Verum a cæteris Doctoribus communiter hæc ſententia, ut falſa & Chriſtianæ religioni nimis perniciosa, rejicitur.* Addit, quod Vetus Teſtamentum ſit veluti baſis & fundamentum noſtræ religionis: ſi itaque illud corruptum depravatumque ſit, non poſſe non hanc etiam vacillare ac pæne corruere. His præmiſſis, primum argumentum pro Scripturarum integritate ſumit a *Divina providentia*, quæ non permittat, ut quidquam, quod ad ſalutem noſtram pertinet, corrumpi temere ac depravari poſſit. Hoc niſi concedant Mahumetani, contra ipſos inverti poterit, quia fruſtra exinde Alcorano robur quærent, quod ipſi depravationis arguunt. II. A *diligentia* Judæorum circa Veteris; & Chriſtianorum circa Novi Teſtamenti curam atque cuſtodiam. III. A *divulgatione* Scripturæ Sacræ ex primo ſeculo Chriſtianorum per omnes gentes & provincias terrarum Orbis, in quarum etiam linguas verſionibus transfoſa fuit, quod ex Auguſtino, Theodoreto, Chryſoſtomo & Hieronymo p. 39. confirmat. Jam dicit, tot verſiones in plerisque conſonare tam inter ſe, quam cum ipſa authentia Græca vel Hebraica: & ſi alicubi diſ-

ſenſus ſit, particularem illum eſſe, nec plus originali derogare, quam Alcorano, quod verſionibus quibusdam non optime expreſſus eſt. IV. Neque *cauſſas*, ait, neque *tempus*, neque *auctores* corruptionis poſſe aſſignari. Judæis quidem tribui eorumque in Chriſtianos odio: at vero in Hebraico textu reperiri hodie vaticinia illa omnia, quæ in Novo a Chriſto & Apoſtolis allegantur: præterea etiam alia multa exſtare. De utrisque fatetur p. 42, *ob proprietatem Hebraicæ linguæ interdum clariora & efficaciora ibi eſſe, quam in ipſa Latina Vulgata.* Immo ſupereſſe hodieque Hebræos codices, quorum antiquitas ſuperet ipſum Mahumeti ortum: ergo propter illum corrumpi non potuiſſe. Deinde nec tempus corruptionis convenire oſtendit, quod nec ante Chriſtum fuit, quia id Chriſtus & Apoſtoli non tacuiſſent: neque poſt Chriſtum, quia ſtatim in manibus Apoſtolorum aliorumque erant librorum exempla & quidem magno numero, quæ Judæi corrumpere non potuerunt: & ſi quid corrupiſſent, deleviſſent ea, quæ ad Meſſiam ſpectant, non quæ ad Mahumetum, quem nemo tum, utpote nondum natum, vel fando vel divinando cognoverat. De auctoribus corruptionis ita argumentatur: aut omnes conſpiraſſe, aut aliquos ad corrumpendas Scripturas. Non potuiſſe omnes, quia per orbem diffuſi erant: nec aliquos, quia pauci non omnium codices, verſiones, commentarios pervertere potuerunt, nec cæteri de tanto facinore tacuiſſent. Quod gemino exemplo illuſtrat. Si, inquit, parva vox *Filioque*, a Latinis Symbolo, inſcientibus Græcis, adjecta, tantas turbas concitavit, quantos tumultus datura fuiſſet ipſius Scripturæ non uno loco tentata depravatio? Deinde potentiam Arianorum proponit, qui univerſam pæne Eccleſiam poſſidebant, etiam Imperatorum aliquos in partes attraxerant, qui vero nunquam auſi ſint contra Deitatem Chriſti in divinis Scripturis quicquam immutare.

A pag. 60. Moſlemorum objectiones contra integritatem Scripturæ examinantur. At quum omnes illæ futiles ſint, ſolam primam huc afferre ſufficiat, quæ a diſſenſu Samaritani codicis in annis patriarcharum deſumta eſt. Putant enim, in odium Chriſtianorum decurtatos numeros a Judæis eſſe, ne *ultimo tempore*, ut prædictum erat, veniſſe Jeſus in mundum videatur: quo futurum ſit, ut is vero Meſſiæ charactere excidat. Reſpondet Noſter, in numeris facilem

facilem lapſum eſſe: & victoriam pro Hebraico textu ſtare, cum quo non modo hiſtoriæ veritas, ſed etiam Latina vulgata concordet. Reliqua argumenta ineptiora ſunt, quam ut referri mereantur; etiam ita ἀπροσδιόνυσα, ut ſapientiores Moslemos illorum pudeat, qui ſilentes de corruptione, ex ipſis Scripturis, quales nunc habemus, pro Mahumeto, tanquam in iis prædicto, argumentantur; quibus generaliter reſpondetur, novum non eſſe, quæ ad Chriſtum ſpectant vaticinia, ab maleferiatis aliorſum detorqueri. Quod duobus Noſter exemplis illuſtrat, Virgilii, qui Sibyllæ de Chriſto, ut putat, oraculum, in Pollionis filium; & Suetonii aliorumque, qui vaticinium de orbis domino ex Judæis prodituro, ad Veſpaſianum tranſtulerint. Speciatim ad dicta, quæ objiciuntur, a pag. 78 reſpondet, & primo quidem ad Deuter. XXXIII. 2. & Habac. IV. 3, *Pharan* non eſſe Meccam aut Medinam, ſed intra Palæſtinæ fines ſolitudinem, 1. Samuel. XXV. 1. a Mecca XL dierum itinere disjunctam. Deinde objiciunt Geneſ. XXI. 20: *Et fuit Deus cum puero* (Iſmaele) cujus generis multa in laudem ejusdem conglomerant, quæ quam apte ad Mahumetum, ejusque novam religionem trahantur, quilibet ſanus intelligit. Nec verba Geneſ. XVI. 12: *Manus ejus contra omnes*, in Mahumeto demum impleta ſunt. Leviuſculum eſt, quod auctor vitæ Mahumeti ex verbis Geneſ. XVII. 20 במאד מאד *valde, valde*, per Gematriam, quam a Judæo forte didicit, nomen Mahumeti vult elicere, quia idem numerus, qui in illis verbis eſt, ſit etiam in מחמד, ut Arabice ſcribitur Mahumeti nomen, nempe 92. Nam hic numerus eſt etiam in נביא כזב *propheta mendacii*, ut argumentum eadem Gematriæ lege contra Mahumetanos poſſit inverti. Adhæc objiciunt ex Deuteronom. XVIII. 15. *propheta ex fratribus tuis*: ergo vel ex Eſavo, vel Iſmaele, qui fratres Iſraelis erant. Sed, fatentibus Judæis, ex Eſavi poſteris nullum prophetam ſurrexiſſe. Reſpondet Auctor noſter, vim verborum מקרב *ex interiore fratrum*, non alium ſenſum ferre, quam *ex populo tuo*, non ex Iſmaelitis, qui alieni æque ac Eſavitæ erant. Ineptias porro agunt, quando ex Deuteron. XXVI. 19. & Pſalm CXLIX ſuæ gentis gloriam probare ſatagunt: aut Pſalmum XLV Mahumeto applicant, quem ipſe Ahmed in Apologia de Chriſto interpretatus eſt, cujus verba Noſter p. 121, adduxit integra; aut Mahumeti patriam

triam Psalmo XLVIII. 2. prædici credunt, quasi *civitas* illa Mecca sit, & *laudabilis* Mahmad, vel Mohammed, ut Arabice impostoris nomen, quod *laudatum* significat, scribi consuevit: ad quem eadem stoliditate Psalmum LXXII, qui Salomonis nomen præfert, & ad Messiam pertinet, impudenter detorquent. Nec modestiores sunt in Esaiæ vaticiniis pervertendis, cap IX. 6. *Puer natus est nobis*; C. XXI. 16. *Video equites*: cap. XXIV. 7. *Ab extremo terræ cantus*, quasi vox Mahumeti: & cap. XLIX. 16. *in manibus meis signavi te*, &c. quæ simpliciter narrasse, refutare est. Quis enim tam stupidus & rerum sacrarum est ignarus, quin illico sentiat, Zionem vel Jerusalem, quibus Ecclesia significatur, intelligi, ubi illi suam Meccam somniant: aut Messiam, ubi illi Mahumetum? Eadem est ratio *lapidis sine manibus abscissi*, Dan. II. 34. de quo Auctor noster p. 147 contra Mahumetanos disputat. Ex Novo Testamento ineptissime colligunt, *Paracletum*, a Christo Johann. XIV. seq. promissum, Mahumetum esse, quod probare conantur, quia *Paracletus* significatione idem sit quod *Mahmad*, nempe laudatus ac gloriosus, confundentes sic περίκλητον cum περικλυτός. Vide p. 158. Deinde *Principem mundi*, Joh. XIV esse Mahumetum dicunt, quod ipsis relinquere possumus. Præterea per *veros adoratores* Johann. IV. 23. Moslemos signari putant, propter quinq; preces, quas quotidie persolvunt, quasi vero Christiani preces nullas fundant. Nec pudet illos *lapidem ab ædificantibus reprobatum*, Ps. CXIIX. 22. ad Mahumetum referre, quem Christum esse, ipsa verba Matth. XXI. 42. manifestissime convincunt. Mittimus quæ iidem homines ex Esaia, Daniele, Ezechiele, Habacuc allegant, quorum ne vestigium quidem in illorum prophetarum libris reperitur, ut ostendit Auctor noster p. 167. qui postquam certis conclusionibus veram vaticiniorum interpretationem monstraverat (a pag. 186,) proponit tandem, quæ ex ratione pro vaticiniis de Mahumeto afferunt, quorum præcipuum est p. 204, Mahumetum sexcenties in Alcorano affirmare, se in Pentateucho & Evangelio prædictum esse; & hoc prædicasse audientibus Iudæis & Christianis, a quibus, nisi vera dixisset, facillime mendacii argui potuisset. Sed ipsi confitentur, Mahumetum suum indoctum & idiotam fuisse, quod si est, bona fide allegare non potuit, quod neque legerat ipse, neque intellexerat. Deinde ea ætate Mahumetus vixit, & eo loco versatus fuit, ut non mirum

sit,

fit, Christianos, qui cum ipso erant, parum observasse, quæ ille ex sacris deprayaret. Erat enim Ecclesiæ status illis temporibus in Oriente non optimus. Sed piget plura afferre, ne lectorem fatigemus. Quæ causa est, ut *Appendicem* Partis primæ, de vaticiniis, prognosticis ac testimoniis, quæ pro Mahumeto ejusque secta proferunt Moslemi extra Sacras Scripturas, tantum indicemus, non recenseamus. De tribus reliquis Operis hujus partibus quædam proxime dicentur.

VERITABLE MANIERE DE BIEN FORTIfier de M. de Vauban, par Monsieur l'Abbé du Fay &c.

hoc est,

GENUINA DN. VAUBANI RATIO PROBE muniendi, Autore Dn. Abbate du Fay.

Amstelodami, apud Adrianum Braekmann, anno 1692, in 12. Plagulæ 9, Iconismus 1.

Circelli numeris suprapositi notant hexapedas Gallicas.

EXhibuimus, *Actorum anni 1689 mense Majo, a pag. 291*, cum nova methodo construendarum munitionum, judicium simul *Auctoris anonymi* de Operibus *Vaubanianis*: nunc ipsam sistimus muniendi rationem, famosissimo hujus temporis Architecto propriam: ut præfatio hujus libelli contendit, longe diversam ab ea, quam unus alterve eidem hactenus tribuit. Agnovit autem hanc pro sua *Vaubanus*, & per omnia conformem testificatus est operibus regiis, ipso scilicet magistro extructis: approbatione tractatui præmissa, eaque nominis sui subscriptione roborata, eandem a cæteris figmentis, quæ nomen suum falso temereque hactenus usurpavere, distinguens.

In limine Opusculi Clarissimus Editor *du Fay*, Architecturæ *Vaubanianæ* tractatulum præmittit, de principiis geometriæ: in quo succincta terminorum, quorum præcipuus hic usus est, explicatio traditur; insertis textui figuris, illorum illustrationi inservientibus. Harum tamen lineas, angulos &c. non ut vulgo fieri solet, alphabeticarum literarum notis (quem modum pro impedito habet) exprimit: sed harum loco figurarum partes, de quibus in textu agitur, lineis continuo ductu descriptis; cæteras, per puncta designatis, exprimit,

Quod ad methodum *Vaubanianam* attinet: in ea *latus* cujusque *regularis polygoni externi est* 180°; & ex ejus medio introrsum ducta perpendicularis, lateris dicti octava pars in tetragono, septima in pentagono, sexta in hexagono & reliquis, *angulum forcipulæ* (*angle flanquant*) sive concursum linearum defendentium, ex angulis propugnaculorum contiguorum ad cortinæ & alæ oppositæ commissuram usque ductorum, determinat. *Facies propugnaculorum* constanter sunt 50°, stringunturque a linea defendente. *Alæ* designat chorda arcus, ex humero propugnaculi adversi tanquam centro, intervallo humeri alæ quæsitæ adjacentis, descripti: earum partem unam occupant *auriculæ* humerum armantes, semicirculi (cujus diameter tertia circiter pars est alæ) forma ita ductæ, ut convexitas ejus lineam defensionis non secet; eæque interius *portæ emissariæ* (*fausse-porte*) sunt instructæ. *Reliquum ala* in *arcum* excavatur, cujus subtensa est ipsum alæ rectæ residuum, inter auriculam & cortinam interceptum; centrum vero est angulus verticalis trianguli æquilateri, subtensæ dictæ, tanquam basi, insistentis.

Alarum secundarum, quæ hic perpetuo exulant, vice, cortinis alisque præstruitur *forcipula loricata*: eaque vel *simplex*, *duarum* tantum *facierum*, tenus lineas defensionis, a communi earum intersectione versus propugnaculorum facies ductarum; cujus vallum qua cortinæ obvertitur, vel huic ipsi, vel forcipulæ faciebus parallelum esse potest: vel *alata*, *geminis faciebus*, *alis* & *cortina* constans: relicto (in utroque forcipularum genere) inter angulos facierum (*flanquées*) forcipulæ, & propugnaculorum humeros, spatio 3°; ad cujus extremitatem ducta alæ propugnaculi parallela, *linea capitalis* est forcipulæ posterioris generis: cujus insuper *facies* semissem occupant lineæ defensionis, inter angulum forcipulæ, hujusque extremitatem interceptæ; *ala* vero perpendiculares sunt ad lineam defensionis, cui incidunt.

Ab angulo forcipulæ per transversam fossam (quæ faciebus propugnaculorum ferme parallela, ante eorum angulum 20°, ante humeros 18° aut 16° lata: 16 vel 18 pedes profunda est) *crypta*, (*caponiere*) protenditur, 12 pedes lata, & ab utroque latere loricata: loricæ ejus tribus pedibus horizonti fossæ supereminent, scabelloque præditæ sunt, & sudibus ferratis (*palissades*) munitæ. Crypta

hæc

hæc foſſam ab inſultibus hoſtilibus valide defendit, & obſeſſores tranſitu ejus prohibet; nullis præterea hoſtium machinis (ut & forcipula) obnoxia eſt, & proinde *Autori* ſummopere (non ſecus atque illa) commendata. Mediæ cryptæ ſuperne *pons* incumbit, a forcipula quæ alio ponte ipſi vallo munitionis jungitur, procedens; qui tranſitum ab interioribus munitionis partibus ad exteriora præbet.

Pontis hujus alterum extremum definit in *Semi Luna* (*Demilune*) mediæ forcipulæ præcincta, eandemque operiente. Conſtat hæc duabus faciebus, & totidem (aliquando) alis, duplicique ſemicollo. *Angulus* ejus *defenſus* determinatur in perpendiculari, ſuper latere polygoni externi campeſtria verſus excitata, ab interſectione arcus, ex angulo alæ & cortinæ tanquam centro, intervallo humeri oppoſiti propugnaculi, deſcripti. Ex hac interſectione rectæ, verſus humeros propugnaculorum vicinorum ductæ, ſuppeditant *facies* SemiLunæ. Alæ vero (ſi quæ ſunt) perperdiculariter incidunt tunicæ exteriori foſſæ (*contreſcarpe.*) Angulo vero prædicto (ut & omnibus angulis procurrentibus, tam propugnaculorum, quam operum externorum majorum) ſuperſtruitur *ſpecula*, ad quam per inſectam loricam via eſt excubitoribus. Centro Semi Lunæ *ſtatio præſidiaria* (*corps de garde*) inſidet, ſeu *reductus*, muro pinnato incinctus, receptum præbiturus militi, hoſtilibus aſſultibus cedere coacto. *Foſſa* Semi Lunæ faciebus parallela, & 12° lata eſt; minoris tamen profunditatis, ſi ſicca ſit, ac foſſa eſt ipſius munitionis. Defendendæ illi, impediendoque hoſtium tranſitui, in ipſa foſſa ſtatuuntur *receptus militares*, (*places d'armes*) faciebus SemiLunæ perpendiculares: ad humeros SemiLunæ, ſi eadem alis ſit inſtructa; prope extremitatem vero facierum, ſi minus: *lorica* eorum ad tres pedes ſuper horizontem foſſæ extollitur. Eademque ratio circa ſimiles aliarum foſſarum receptus obſervatur.

Ad *Viæ apertæ*, 5° latæ, *angulos retrocedentes* (*angles rentrans*) ſimiliter *receptus militares* conſtituuntur, quorum ſemicollum eſt, 10°, facies 12°, aut circiter. Ad *angulos* vero *procurrentes* (*faillans*) ejusmodi formantur ante foſſæ curvaturam, (*arrondiſſement*) productis propugnaculorum aut SemiLunarum &c. faciebus, Hi receptus utrobique *transverſis loricis* (*traverſes*) firmantur,

mantur, 5 aut $5\frac{1}{2}$ pedes altis a parte scabelli sui; 3 aut 4 vero versus opertæ viæ partem, quam impetunt: aliquando declivitas earum continue decrescens sensim super via operta evanescit. Longitudo transversarum est $\frac{\circ}{4}$ & sesquipedis, penes angulos procurrentes; qui restant ad usque loricam viæ opertæ $4\frac{1}{2}$ pedes, *molesula* (*merlon*) loricæ adstructa, & a transversa $4\frac{1}{2}$ pedibus distante, teguntur: juxta angulos retrocedentes vero longitudo transversarum latitudini viæ opertæ respondet; unde hæc eo in loco, ut militi transitus relinquatur, $4\frac{1}{2}$ pedibus incisa campum versus promovetur.

SemiLunæ ab utroque latere adsistunt opera, *Conspiciliorum* (*des Lunettes*) nomine *Autori* insignita; eaque alia *minora*, alia *majora*. *Minora* sunt quasi receptus vallo incincti: eorum facies sunt $\frac{\circ}{10}$ circiter, & semicollum $1\frac{\circ}{5}$; fossa $\frac{\circ}{3}$ lata, paris est cum fossa SemiLunæ profunditatis. Super ejusdem angulo defenso *agger planus* (*plate-forme*) aliquantum attollitur (quod in ipsis etiam propugnaculis locum habet) qui, quod tormentorum suorum fulminibus, gramen præjacentis loricæ comburat, eamque velut attondeat (*fait la barbe*) *Barbula* (*Barbette*) nuncupatur; & magni momenti efficaciæque in his operibus ab *Autore* æstimatur.

Majora conspicilia speciem præbent forcipulæ SemiLunam ambientis. Horum utrumque uno semicollo, versus fossam munitionis, gaudet, $\frac{\circ}{10}$ aut $\frac{\circ}{12}$; alterum semicollum fossæ ipsius SemiLunæ præcinctum, tenus faciem ejus prætenditur. Productis autem SemiLunæ faciebus, in linea producta $\frac{\circ}{25}$ aut $\frac{\circ}{30}$ accipiuntur pro facie conspicilii uniuscujusque, ejusque angulus defensus minimum sexaginta graduum constituitur; fossa vero æqualis est cum fossa SemiLunæ latitudinis. Conspiciliorum horum area (*terre-plein*) vallum, si quod habent, & fossa transversa lorica armantur, duorum trium ve pedum spatio ab ejus latere, liberi transitus causa, relicto.

Angulo retracto viæ opertæ conspiciliorum majorum præponitur *Parmula*, gemina facie & semicollo constans, atque a conspiciliis, intra quæ sita est, defensa. Fossam habet, fossæ minorum conspiciliorum æqualem: loricæ ejus altitudinem determinat recta, super declivitate loricæ viæ opertæ deducta, & ad parmulam usque continuata.

Væ


TAB. VIII. ad A. 1692 pag. 341
Scala 100 Hexapedarum.
10 30 50 70 90

Viæ opertæ lorica campestria versus ad $\frac{\circ}{15}$ aut $\frac{\circ}{20}$ desinit; ejusque anguli procurrentes sunt elatiores; retracti, depressiores. A latere angulorum procurrentium lorica spatio 10 pedum secta est, ut eruptionibus & suppetiis recipiendis via sit, contra assultus & irruptiones *repagulis quercinis* munienda. Intra viam opertam, juxta loricam ejus, *sudes ferratæ* quinque aut sex pedes altæ, a lorica sesquipede, ab invicem 2 aut $2\frac{1}{2}$ pollicibus distantes, terræ infiguntur; quales etiam sepiendis receptibus militaribus adhibentur. Ad radicem loricæ hujus *fossa anterior* (*avant-fossé*) munitioni circumducitur, 10 aut 12 hexapedas lata, cujus anguli retracti conspiciliis aliquando firmantur.

Plateæ munitionis, vallum forcipulæ, area SemiLunæ & via operta, in eadem sunt linea (aut prope) videlicet horizontali ipsius loci. Fossæ mediæ quandoque, sed rarius, *fossula depressior* (*cuvette*) interponitur, 12 aut 15 pedes lata, 8 profunda, recipiendis aquis, & cavendis subitis invasionibus; secundum eam a latere munitionis ferratæ sudes plantari possunt. Singulis porro fossæ, muro vestitæ, angulis *scalæ* adstruuntur, in usum tunicæ exterioris (*contrescarpe*) quales etiam singulis operibus externis jungendæ sunt.

Quod angulorum defensorum quantitatem attinet, parum de ea solicitum *Vaubanum* vult *Autor*: dummodo ne sint infra 60 gradus; iique, quos rectos esse convenit, exacte tales sint.

Quas porro *Autor* circa ipsam extructionem munitionum, pro variis loci & structuræ conditionibus partibusq; regulas suppeditat, quia non tam *Vaubani* methodum constituunt, quam ubivis observandæ sunt, recensere hic omittimus; Lectorisque industriæ, cum aliis pluribus, in ipso libro lustranda relinquimus: cujus interea curiositati rem non ingratam facturos nos confidimus, ipsa *Vaubanianæ* munitionis repræsentatione, prout in Opusculo præsenti exhibetur.

Sistit autem Iconismus quartam partem Hexagoni regularis: TAB. VIII. atque in eo *propugnaculum integrum solidum*, (massif) *& dimidium cavum*; *cortinam integram* & *dimidiam*; tres *semiforcipulas*; diversæ constructionis; *Semi Lunam*, unam & dimidiam; *conspicilia* unum *minus*, *majora* duo, & *parmulam* his interpositam; *viam opertam*, & in ea, & fossa SemiLunæ & conspiciliorum majorum, *receptus militares* transversim loricatos, cum *moleculis*, introitum in receptus

protegentibus; *cryptam* unam, & *semi cryptam* cum *serie sudium ferratarum* (in orthographica delineatione, quæ ad calcem figuræ est, expressa) *aggeres planos*, sive *barbulas*, angulis propugnaculi & conspiciliorum incumbentes; *specula excubitorias* (circello, ad angulos quibus insistunt, indicatas) *scalam*, subtus propugnaculum ad *portam emissariam*, intra auriculam propugnaculi reconditam, ducentem; *vias* aut *ascensus acclives*, vallo aggeribusq; planis superandis constructos; *contracuniculos* binos, sub vallo & via operta procedentes, cum *brachio* campestria versus extenso (*illos* orthographica iconismi designatio duobus quadratulis albis; *hoc* duabus lineis parallelis nigrioribus, a quadratulo exteriori prodeuntibus, indicat) unam *portam*, cum *pontibus* suis; *armamentarium*, penes humerum semi propugnaculi; *stationem præsidiariam* muro firmatam, intra SemiLunam; *reductum* aquationi tuendæ extructum; geminas *vias eruptionibus inservientes* (*sorties*) e regione extremitatis conspiciliorum per viæ opertæ loricam ducentes; unam *viam publicam* (*chemin*) ad aquarium & campestria circumjacentia procedentem; ad quam subtus vallum per *testudinem*, & inde per pontes super fossam, per Semi-Lunæ & conspicilii sinistri vallum, versus semicollum incisum, & viam opertam, pontibus connexos, devenitur; tres *series ædicularum* (*cazernes*) hospitandis præsidiariis factarum. Adjuncta est ad calcem *orthographia partium munitionis*, quæ lineis punctuatim descriptis junguntur partibus orthographiæ sibi respondentibus.

Der Teutschen und Italianischen respective Chur- und Fürstlichen Häuser Historische und Genealogische Erläuterung.

id est.

Electoralium atque Principalium Germaniæ atque Italiæ Familiarum Notitia Historico-Genealogica, LXXXVII Tabulis comprehensa: Autore Georgio Lomeiero.

Razeburgi 1691. fol. sumptibus Autoris.

Cum

CUm Autor clariſſimus, illuſtris Collegii Lüneburgici, dum in vivis eſſet, Inſpector & Profeſſor induſtrius cognoviſſet, Opus ſuum Hiſtorico-Genealogicum anno 1690 editum, & a nobis, in Actis illius anni pag. 152, laudatum, quo Regna Europæ complexus erat, ab Orbe Erudito non ſine applauſu fuiſſe exceptum: alteri quoque, cujus in illo ſpem fecerat, Operi ſine mora ſe accinxit, & quod in priori ſtudium præcipuorum in Europa Regum Domibus conſecraverat, in eo, quod nunc exhibemus, Electorum potiorumque aliorum tum Germaniæ tum Italiæ Principum Sereniſſimis Familiis pari ratione deſcribendis atque illuſtrandis impendit. Itaque de methodo & inſtituto Autoris, laudabili utique & utili, neceſſe non eſt hic repeti, quæ dicta jam tum *in Actis l. c.* fuere: non diſſimulandum autem, in noviſſimo hoc Opere cuique Tabulæ ſubjectum eſſe ſcriptorum, e quibus ſingula petita ſunt, catalogum, tum ut eorum autoritate dictis quantacunque fides conciliaretur, tum ut, ſi qui forte ductu Tabularum harum inſtruere Juventutem in elegantiſſimo illo ſtudiorum genere cupiant, ſcirent e quibus ſcriptoribus eorum, quæ ſtrictim hic indicantur potius quam enarrantur, hauriri poſſit uberior notitia. Unde &, qui poſt Autoris fata (Operi enim huic immortuus eſt, cum non niſi trigeſimum ſextum ætatis annum ageret) editionis curam geſſerunt, in Præfatione ad Lectorem monent, non venditaſſe Autorem Opus hoc ſuum pro authentico, multo minus Principum quorundam juribus & prætenſionibus præjudicium adferre voluiſſe; quin & loca multa (quorum ſpecimen aliquod exhibetur) expuncturum aut immutaturum fuiſſe, ſi ſuperſtes edoceri rectiora potuiſſet.

CONSILIA ET METHODI AVREÆ STVDIORUM optime inſtituendorum, quæ Th. Crenius collegit &c.

Rotterodami apud P. vander Slaart 1692. in 4. Alphab. 5.

SUaſerat in *Polybiſtore* ſuo l. 2. c. 2. doctiſſimus *Morhofius*, *νῦν ἐν ἀγῶσι*, colligenda certis voluminibus ſcripta, quæ de ſtudiis inſtituendis ſeorſim a diverſis autoribus edita proſtant. Arripuit conſi-

consilium præsentis Operis compilator industrius, primoque hoc volumine, quòd plura alia deinceps subsequentur, scripta id generis viginti & tria complexus est, quorum seriem, cum ipsa dudum virorum doctorum manibus versata fuerint, hic exhibuisse sufficerit. Sunt vero hæc: I. *Joachimi Fortii Ringelbergii* liber de Ratione studii cum illius ipsius Adnotationibus. II. *Des. Erasmi* de Ratione studii Tractatus. III & IV. *Joh. Ludovici Vivis* de studii puerilis Ratione Dissertationes Epistolicæ. V. *Johannis Caselii* de Lingua Latina addiscenda Dissertatio. VI. *Jo. Sturmii* de Litterarum ludis recte aperiendis liber. VII. Ejusdem Nobilitas Litterata. VIII. *Gasparis Scioppii* Consultationes de scholarum & studiorum ratione, deque prudentiæ & eloquentiæ comparandæ modis. IX. *Olai Borrichii* Cogitationes de variis Linguæ Latinæ Ætatibus. X. *Pascasii Grossippi*, i. e. Gasparis Scioppii de Rhetoricarum Exercitationum Generibus Dissertatio. XI. Ejusdem Pædia Politices, cum Notis & Animadversionibus Hermanni Conringii. XII. *Leonardus Aretinus* de studiis & litteris. XIII. *Gabrielis Naudæi* Bibliographia Politica. XIV. Ejusdem Syntagma de Studio Liberali. XV. *Hugonis Grotii* Epistola de studiis bene instituendis. XVI. *Ger. Jo. Vossius* de cognitione sui. XVII. Ejusdem de studiorum ratione Opuscula. XVIII. Ejusdem de ratione & ordine universam legendi Historiam Dissertatio. XIX. Idem de studiis instituendis. XX. Idem de ratione, qua præiri ad eloquentiam aliaque studia debeat juventuti. XXI. *Francisci Junii* Parænesis. XXII. *Ger. Joh. Vossii* introductio in Chronologiam. XXIII. Ejusdem de Imitatione cum Oratoria, tum præcipue Poëtica liber. Cæterum inseruit Editor hic illic notas suas, quibus inprimis novæ librorum ab autoribus citatorum editiones indicantur: quin & rerum, quæ in his Opusculis continentur, indicem accuratum subjecit.

Prodit una cum hoc mense Julio Supplementorum Sectio XII. eaque primi Tomi, quem alius cum tempore sequetur, ultima.

✱)o(✱

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Augusti Anno M DC XCII.

PETRI FRANCII ORATIONES IN VNVM COLLECTÆ.

Amstelodami, apud Henr. Wetstenium 1692. in 8. Plag. 17.

CUjus ante hos decem annos in Actis anni 1682 p. 359 memoravimus Poemata, omnibus elegantiarum non minus & Venerum, quam majestatis numeris absolutissima, ejus disertissimi Viri jam exosculamur soluto orationis genere condita egregia eloquentiæ documenta; tanto majori in pretio habenda, quo studiosius in iis artis istius minus usitata hactenus & neglecta pars, quæ vocis numerorumque discrimina accurate explorat, gestus componit, & oris ac corporis in pronunciando habitum efformat, quam Cicero proinde *corporis eloquentiam* appellat, traditur, & ab oblivione veluti in usum revocatur. Sane eloquentiæ ornamenta in pronunciatione apta & convenienti corporis motu potissimum consistere, tradit Valerius Maximus *lib. 8. cap. 10.* eamque hac ratione instructam tribus modis homines aggredi, animos eorum invadendo, aures demulcendo, oculos oblectando, exemplis tam Græcorum quam Romanorum ostendit. Quintilianus etiam *Instit. Orator. lib. 11. cap. 10.* musicæ numeros in corpore & vocibus formandis occupatos oratori necessarios esse ad gestum, collocationem verborum, & flexum vocis docet: ut modulatione vocis grandia elate, jucunda dulciter, moderata leniter proferantur; ne verba in faucibus audiantur, nec oris inaninate resonent; ne extremæ syllabæ intercidant; ut par sibi sit sermo; ut quoties exclamandum erit, laterum conatus sit ille, non capitis; ut gestus ad vo-

cem, vultus ad gestum accommodetur; ut recta sit facies dicentis, ne labra distorqueantur, ne immodicus hiatus rictum distendat, ne supinus vultus, ne dejecti in terram oculi, ne inclinata utrolibet cervix, ne supercilia ad vocis conatus alleventur, ne constringantur, ne dissideant; & quæ alia observanda idem monet *cap. II.* Miram quoque in orationibus vim ac potestatem habere pronunciationem, quæ in voce, & actionem, quæ in gestibus oratoris locum obtinet, documento scenicorum actorum idem Quintilianus *Lib. II. cap. 3.* demonstrat, nec probationem ullam, quæ ab oratore venit, (seu artificialem) tam firmam esse, ut non perdat vires suas, nisi adjuvetur asseveratione dicentis; omnes etiam affectus languescere, nisi voce, vultu, & totius corporis habitu inardescant, affirmat. Quocirca orationem vel mediocrem, commendatam viribus actionis, plus existimat habituram esse momenti, quam optimam iisdem destitutam: quapropter & Demosthenes, quid esset in toto dicendi genere primum, interrogatus, pronunciationi palmam dederit; & M. T. Cicero unam in dicendo actionem dominari docuerit: de qua late Quintilianus *d. l.* disserit, ejusque momenta futuro oratori inculcat.

Omne isthoc oratorium priscæ facundiæ artificium hodie periit, & annorum longa desuetudine oblitteratum est: quod revocare, & ex orco, ut dicitur, ac faucibus oblivionis eripere aggressus est eloquentissimus harum Orationum auctor; pro sua in pronunciando egregia vi, & actionis mirifica virtute, si non ad pristinum illum, quod fieri posse non sperat, ad aliquem tamen splendorem nitoremque istam artem reducturus. Igitur a quo primum tempore ab Amstelodamensibus, præstantissimorum virorum Vossii, Barlæi, Blondelli dignissimus successor constitutus, & in Athenæo celeberrimæ urbis Professorio muneri admotus fuit; primam curam habuit, ut ad eloquentiæ studium optimam Juventuti viam commonstraret. Cumque ea duplex apud veteres fuerit, interna, quæ in stylo & scriptione consistit, & externa, quæ in elocutione & gestu, quæque Rhetoribus actio dicitur; non prioris saltem consequendæ rationem e Veterum, quæ supersunt, monumentis exponere, & interiorem illam facundiam, copiam, ubertatem, omnemque artem rhetoricam cognoscendam auditoribus suis exhibere allaboravit; sed & quo ardore,

dore, qua concitatione, qua voce, qua manu, quo totius corporis motu Veteres suas dixerint orationes, quodammodo explicare, ac id, quod præcipuum in oratione existimarunt, actionem seu pronunciationem, iisdem inculcare studuit. *Ut verbo indicem*, ait Orat. II. p. 48.49. *in quo præcipue resideat ac consistat Eloquentia; elaborare ante omnia decet, ut bene ordinata splendescat & meditata oratio: tum ut justis corporis moveat instrumentis, & elocutionis lege proferatur exacta. Neque est hoc dissimulandum, quod occultari non potest, sed aperte fatendum: ducimur nos propemodum omnes falsa quadam ac perversa Eloquentiæ opinione, eos disertos atque eloquentes existimantes, qui fluide, qui rapidissime, qui una serie, nullo interrupto cursu orationis loquuntur. Date veniam, Auditores, si forte dissentio. Partem isti Eloquentiæ, non totam possident. Nam ut sua orationi tribuatur majestas, non uno procedendum tenore, non una oberrandum est chorda. Laterum adsit firmitas, concinnus manuum motus, animæ spiritusque contentio, facilitas vocis, puritas, robur, diversitas, apta verborum inflexio, moderatio, nunc intensior eadem, nunc remissior, nunc celerior rursus, nunc lentior: singulæ considerentur periodi, singuli numerorum inflexus, singula verba, singulæ syllabæ ponderentur atque examinentur necesse est. Atque hæc ita autumo trutinari debere, ne cum affectatione unquam, ne mimice, ne molestе loquatur orator; ut omne artificium abscondere, nullum ostentare, maximum illi sit artificium.* Artificium hoc Juvenes non rectius doceri posse credidit, quam si Recitationibus publicis ad qualemcunque ejus usum eos assuefaceret; ideoque Ciceronis orationes iis ediscendas proposuit, ut dum ipsi scribere nesciunt, ad optimum interim sese componerent scribendi exemplum; dum autem eas memoriæ mandatas apte pronunciant, & eandem quam Ciceronem in pronunciando tenuisse credunt, ipsi quoque rationem & viam insistunt, & quodammodo Ciceronem repræsentant, gestus & elocutionem efformarent; adeoque verba Ciceronis ediscendo & recitando dictionem ejus pariter imbiberent, & ad illius actionem elocutionemque suam efformarent. Quod institutum novi exempli, sed ad priscam rationem exacti, in Orationibus, quibus recitationibus ejusmodi præfatus est, exequitur; commendans Juvenum conatus, qui eloquentiæ juxta & actionis oratoriæ studiosi, Ciceronis

nis ac Demosthenis orationes nonnullas, & Petronii carmen de Romanæ Reip. mutatione & bellis civilibus, Pedonis Albinovani elegiam consolatoriam, & ex Ovidii Libro XIII Metam. carmen, quo Aiax & Ulysses inter se contendunt, ore & corporis motu decenti, ac gestibus ad veterum Oratorum morem compositis, recitarunt.

Præter hujus argumenti orationes minores seu præfationes (quæ sunt 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 16. 17. 18. 19. 20. & una Græca 21.) plures eæque prolixiores & exquisito verborum cultu conscriptæ in hoc volumine leguntur disertissimi Francii orationes: quas inter palmam obtinere videtur *decima quinta*, qua perfectum & consummatum oratorem in imagine Ciceronis spectandum proponit. Singularem autem venustatem spirat inventionis gratia cæteras præstans *quarta*, laudes galli gallinacei decantans, eum in modum, quo festiva hujusmodi & levia argumenta docti viri olim declamationibus illustrarunt, ut anserem Julius Cæsar Scaliger, elephantem Lipsius, formicam Melanchthon, muscam Scribanius, pulicem Calcagninus, pediculum Heinsius, asinum idem & Passeratius, ululam Goddæus, alia animalia aliis verbis atque oratione exornarunt & extulerunt. Ita & noster laudes galli copiose & venuste exposuit, rem non seriam serio tamen graviterque tractans, ac in animali hoc fortitudinis ac victoriæ, diligentiæ ac vigilantiæ, pœnitentiæ etiam imaginem auditoribus ob oculos ponens, multaque utilissimarum admonitionum momenta ex virtutibus hujus animantis Juvenum animis instillans. Eloquentiæ studium oratione *prima*, historiarum utilitatem *secunda*, conjunctionis litterarum & eloquentiæ necessitatem *tertia*, Græcæ linguæ usum & præstantiam *quinta* commendat; *ultima* Amstelodamensis urbis Patribus gratias agit pro decreto sibi anno 1674 munere publice in illustri Gymnasio profitendi eloquentiam & historias, Græcæ etiam linguæ professione anno 1686 concessa, & cum nuper in Theod. Rykii demortui locum a Lugdunensibus peteretur, luculenter, ut Amstelodami maneret, aucto stipendio, & honorifica promissimæ voluntatis testificatione facta. Quem honorem sibi a viris gravibus & prudentia conspicuis tributum merito magni facit, cum laudi & gloriæ ab ipso inprimis laudante constitui pretium existimet. Nos quoque nemini rectius ab amplissimis Proceribus liberalitatis & munificentiæ signa exhi-

bita

bita fuisse, quam Poetæ & Oratori huic excellentissimo, Amstelodamum æque ac seculum hoc ingenii & eloquentiæ laude illustranti & de Juventutis eloquentia formanda præclare merito, arbitramur.

JOH. ANDREÆ SCHMIDT, PP. EXERCITATIONUM Historico-Theologicarum Trigas. I. de Missa ficca; II. de Muliere in Ecclesia; III. de Cultu Evangeliorum.

Jenæ apud Jo. Bielckium, Anno 1692. in 8.

Constat plagul. 10. cum dimid.

CUm propositum clarissimo Autori esset, luci publicæ deinceps *Annos Ecclesiasticos* exponere, iisque vel argumenta rariora ex antiquitate ecclesiastica depromta illustrare, vel quædam veteris ac recentioris ævi monumenta, hactenus ἀνέκδοτα, ex archivis, & bibliothecis seu publicis, seu privatis, in historiæ sacræ supplementum producere, consilium inde cepit hanc Exercitationum trigam dicto Annorum operi nunc præmittendi.

Genus itaque & indolem Missæ, quam siccam nominarunt, *primo* loco dum exponit, ceremoniarum in Eucharistia adhiberi solitarum alias habere divinum mandatum observat, & Apostolorum praxin; alias expresso quidem mandato divino carere, in se tamen habere bonitatem, & ad ædificationem ecclesiæ adhiberi posse; quasdam indifferentes esse; non nullas vero nil nisi superstitionem & impietatem sapere: ad postremam classem & primæ hujus exercitationis suæ argumentum retulit, planumque in eadem facit, simplicitatem ceremoniarum, quam laudat, vix ultra annum trecentesimum p. 8. 9. duraſſe, varia dein Missarum genera successive fuisse introducta: aliam de festo simplici, duplici, semiduplici: aliam de Dominica, vel feria, vel vigilia, vel octava, vel extra ordinem: aliam votivam, pro defunctis aliam, aliam de sanctis, aliam albam, nigram, rubram, viridem: aliam siccam denique, h. e. consecratione & sumtione corporis atque sanguinis Dominici carentem, aliam non siccam; quorum tamen pleraque nec a Christo, nec ab Apostolis, Apostolicisque viris, nec a primitiva Ecclesia instituta fuerint unquam vel recepta: factumque

illud tanta levitate & ceremoniarum inconſtantia, ut Euchariſtiam
p. 11. in Euchariſtia quærere eum oporteat, qui hanc rerum faciem cum antiqua illa & germana Eccleſiæ inſtitutione atque celebratione contendere voluerit.

12. Atque his ſuppoſitis docet cumprimis, quid per Miſſam ſiccam olim intellexerint, quo in caſu fuerit adhibita, quam antiquitatem præ ſe ferat, quando abrogata, num plane ceſſaverit, & quid mali in ſe habuerit. De Miſſis quoq; in mari celebrandis, acrem controverſiam,
18. in Hiſpanorum Academiis agitari memorat inter Moraliſtas, aliis affirmantium, aliis negantium ſigna ſequentibus. Porro monet, per
33. quinq; propemodum ſeculorum decurſum ſiccam illam duraviſſe: ad
34. abolitionem illius perduci difficulter Sacerdotes potuiſſe, quod totum
42. Miſſæ negotium fuerit quæſtuoſum: adverſari eam vero formulæ a Chriſto poſitæ, Apoſtolicæ praxi, nec non conſtanti mori primitivæ Eccleſiæ, ipſis Pontificiorum doctoribus non abnuentibus.

Sub finem Exercitationis adducitur & Matthiæ Cithardi, Con-
35. cionatoris quondam Cæſarei, ad Julium Pflugium, Numburgenſem Epiſcopum, ſcripta epiſtola. Inter articulos, quos Cæſar, velut Advocatus Eccleſiæ ſupremus, in ſuis ad Pontificem Romanum literis
38. urſiſſe hic refertur, & is legitur numero 7. *ut calicis uſus ex conſenſu & autoritate eccleſiaſtica, pro conſervandis exiguis catholicæ religionis reliquiis, concedatur, fiatque proviſio & diſpoſitio pro horum temporum iniquitate, ſuper conjugio ſacerdotum.*

47. Exercitatio *ſecunda* de Muliere in Eccleſia ſic agit, ut fœminarum molimina initio recenſeat, illa poſtmodum ex rationibus certis deteſtabilia reddat, & certos denique ponat jurium fœmineorum limites. Fata literarum ut habita olim fuerint aurea, argentea, vel
45. etiam gemmea, ſic parum abeſſe putat, quin virilia, vel fœminea vel mixta hodie facienda ſint; ſi præſertim diſſertationes expendantur & orationes, de fœminis eruditis hodienum cumulari ſolitæ. Quam-
47. vis autem conceſſum forte ſequiori ſexui legatur, in Philoſophia cathedras ut erigat, ſi ſtudia perficere illi contigerit; in Eccleſia tamen ne quidem ut interrogent permitti, multo minus ut doceant. Probatque adeo dictum Epiphanii: *Nunquam, ex quo mundus fuit conditus, Sacerdotio eſſe functam mulierem.* Philippo equidem filias quatuor fuiſſe Prophetiſſas, non tamen Sacerdotes: Pauli & Te-

cl æ,

clæ, quæ circumferantur, acta esse suppositia: Diaconissarum, Presbyterarum, Episcoparum nomine, non officiales, sed uxores, vel viduas ministrorum Ecclesiæ intelligi: mulieres sacerdotio esse honorandas, inter fœces Montanisticas non ultimam haberi; nec earum deesse exempla, quæ mentitæ in cœnobiis sexum, ad Patrum etiam dignitatem fuerint admotæ. Episcopos omnem adhibuisse curam, ne partes ministerii in Ecclesia sumerent sibi fœminæ, ex Aventini probatur Annalibus, Jurisque Canonici autoritate: in muliere loquente multam fiduciam ad disseminanda venena sua habere Dæmonem, Hieronymi judicio. Magnum fœmineæ modestiæ, in publico Ecclesiæ conventu adhibitæ, exemplum in Marcella vidua occurrere: privatim vero & circa disciplinam domesticam, quid fœminarum officio incumbat, non obscure cognosci ex Paulino monito *Tit. 2, 3*, nec non ex Priscillæ, Loidis, & Eunicæ exemplis. Vindicato tandem B. Lutheri loco, ostendit adversus Forbesium, a Corse, & alios ejusdem fidei alumnos, licuisse fœminis in necessitatis casu etiam baptizare, Tertulliano, Hieronymo, & Concilii Florentini decreto suffragantibus. p. 51. 58. 62. 74. 76. 77. 81. 85. 87. 89.

Postrema Exercitatio Cultum externum ornatumque persequitur, qui libro Evangeliorum vel omnium quatuor, vel unius, sive ex toto sive ex parte, non in choro tantum (cum scriberetur videlicet, aut legeretur publice, in divinationibus & sanctorum sortibus, quoties legendi Episcopi vel Canonici cooptandi essent, in purgando crimine, nec non in supplicationibus & processionibus); sed in foro quoque (in præstandis v. c. juramentis, reprimendisque incendiis), atque in domo fuerit exhibitus; & ostendit, quantam in superstitionem degenerarit is, postquam in curandis morbis vis aliqua externis Evangelii elementis tribui cœpta est: quamque vanus labor eorum fuerit, qui per insignem, fœdamque satis pseudhermeniam, ex Paulina sententia, *Evangelium virtus est in salutem omni credenti*, ejus generis vim conati sunt exsculpere, vel tueri etiam, atque defendere. Tandem externum cultum Evangelii nullum esse concludit, nisi interno cordis affectu doctrina libris illis comprehensa excolatur, & vitæ nostræ morumque conditio sanctis Evangelii præceptis exacte respondeat. 100. 105. 114. 123. 125. 133, 136. 138. 141. 149.

Lettre

LETTRE D' VN ABBE' A VN PRELAT DE la Cour de Rome &c.

i. e.

Literæ Abbatis cujusdam, ad alium Aulæ Romanæ Præsulem, de Decreto Inquisitionis contra XXXI Propositiones d. VII. Dec. 1690. promulgato, perscriptæ.

Juxta exemplar Tholosanum 1691. in 12. pl. 3.

P. 4. 5. PRæmittitur, quatenus Tribunalis istius effata in Gallia locum habeant, nec ne. Ita condemnationem hæreseos ex *peccato Philosophico* enatæ, communi omnium applausu exceptam fuisse, cum intolerabilem errorem foverit, ab ipsis Jesuitis in antecessum reprobatum, licet Generalis ipsorum omnem circa illam impediendam moverit lapidem. Contra satis adhuc constare, quem calculum Bulla *Alexandri* VII adversus geminam Sorbonæ Censuram lata meruerit, qua *Vernantius* & *Amadeus Guimenius* impetiti fuerant; cum tamen Bullæ ejusmodi Papales longe majoris momenti sint, quam simplex Inquisitionis Decretum. Cæterum novum hoc, de quo nobis sermo est, *Decretum* jam ante 8 vel 9 annos importunis *Jesuitarum* & *Franciscanorum* sollicitationibus impetratum fuisse, Autor
P. 6. memorat, idque hac occasione. Theologos scilicet *Lovanienses* anno 1677 Propositionum LXV admodum pernicioſarum, & ex majori adhuc numero selectarum, condemnationem Romæ per Deputatos suos procurasse; & post oblatas binas Censuras, quas Universitas *Lovaniensis* & *Duacensis* contra *Lessium* & alium ejus Socium superiori seculo emiserant, suæ insuper doctrinæ moralis, plus quadraginta articulis comprehensæ, & prævio examine pro irreprehensibili dijudicatæ, approbationem ab *Innocentio* XI. P. R. quem per Deputatos illos suos Judicis infallibilis elogio decoraverant, obtinuisse.
P. 10. Hoc successu irritatos Jesuitas, *Franciscanorum* quos sibi maxime devotos habent, & quidem P. *Duffii* & P. *Porterii* opera, quorum ille 96 Propositiones Catholicæ Majestatis nomine, hic 104 ejusdem fere argumenti, quas omnes Lovaniensibus tribuebant, Cleri Secularis

laris & Regularis Belgici nomine ad examen & cenſuram exhibuerat (cum præterea Franciſcanorum Generalis Grandis Hiſpaniæ, Jeſuitarum vero Generalis *ubique Grandis* eſſet) id Romæ effeciſſe, ut XXXI Propoſitiones inde ſelectæ cenſuram incurrerent, & per Decretum condemnarentur ; quarum tamen plurimæ optimo conſtent ſenſu, nec, niſi verbis vim inferas, in ſequiorem detorqueri poſſint. Unde & ipſi quatuor illi ſic dicti *Qualificatores* S. Officii, *Magiſter* ſcilicet S. *Palatii*, *Commiſſarius* S. *Officii*, *Laurea* & *Riccius*, qui duo poſteriores in Purpuratorum poſtea ordinem cooptati ſunt, ſæpius in partes abierint (e. g. cum Propoſitionem 14: *Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis*, æquivocatione laborare cernerent, & timorem illum, qua Spiritus S. donum ſit, ſupernaturalem, naturalem vero, quatenus ab amore ſui ipſius paſſiones ſubterfugiente proficiſcitur, deprehenderent ;) quin etiam ſat multas Propoſitiones, quæ vel autoribus carebant, vel illis falſo tribuebantur, vel ſine allegatione theſium, ſub generali effato: *paſſim inculcatur populo*, inſinuabantur, talibus obeliſcis: *non habetur autor ; non eſt autoris ; ſed non conſtat*, configere neceſſe habuerint. Subjungitur porro, quid ipſi Decreto, & impeditæ tunc etiam promulgationi ejus anſam dederit. Theologos nimirum Lovanienſes Curiam Romanam uſque ad A. 1682 vel 83 ſibi ſatis propitiam habuiſſe. Cum vero circa negotium IV Articulorum in Congregatione Cleri Gallicani contra autoritatem Romani Pontificis editorum frigide agerent, & alii temerarium eſſe dicerent, florentem Eccleſiam Galliæ inceſſere velle, a qua ob ſubjugatas Belgii provincias quadantenus dependerent ; alii de negotio hoc nimis arduo non ſatis ſibi liquere obtenderent ; alii etiam veritati opinionis Gallicæ, religionis principiis & conciliis œcumenicis congruæ, refragari forte non auderent ; plurimi autem in eam coirent ſententiam, quod prudentia & pacis ſtudium ſilentium ſuaderet, adeoq; omnes ſpem Romanæ Curiæ de ſuſcipienda ejus defenſione conceptam fallerent: factum eſſe, ut priſtino favore exciderent, & Decreti, in gratiam Adverſariorum facti, rigorem, explicatione ſua, qua omnibus dubiis ſatisfactum Romani ipſi fatebantur, inſuper habita, in ſe provocarent. Cur vero *Innocentius* XI promulgationem ejus ſuppreſſerit, hæ inter alias rationes allegantur : quod nempe *Grimaldus* Cardinalis, cujus ſimilem, & prudentia

p. 14.

p. 11. 12.

p. 24.

p. 26.

dentia æque consummata, pietate ad exemplum proficua, & pari in Ecclesiæ commoda, pacem, & disciplinam zelo præditum Curia Romana diu non habuerit, Pontificem de pessimo Decreti, non nisi ad divisionem Ecclesiæ & animorum exacerbationem tendentis, effectu tempestive admonuisset; deinde quod Cardinalis *Estréus*, cum Religiosi isti Pontificem causæ suæ involvere niterentur, & vel ob unicam XXIX propositionem his terminis conceptam: *Futilis & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium œcumenicum autoritate æque in Fidei quæstionibus decernendis infallibilitate*, Decreti publicationem se impetraturos sperarent, gravissima oppositione sua Eundem iterata offensa Galliam lacessere nolentem, ut consensum suum suspenderet, adegisset. Ipsa vero Decreti iniquitas ita demonstratur. Congregationes videlicet Romanas nimium sibi arrogare in ferendis Censuris adversus Propositiones, quas tamen non distincte exprimant, quænam scandalosæ sint, vel erro-
p. 29. neæ, sed sub vocabulo *respective* in fine adjecto, cujuslibet qualitatem divinandam relinquant aliis. Hoc modo appellationem *Schismatica* doctrinæ non nisi in Propos. XXIX cadere posse, & sic vi hujus Decreti Sorbonam, Parlamentum, Clerum, quin totius Ecclesiæ Gallicanæ membra declarari Schismatica, & nisi concilii Constantiensis & Basileensis decisionibus renunciare velint, excommunicari *ipso facto*;
p. 33. Gallos vero sibi animam citius, quam Concilium Basileense,
p. 19. eripi passuros, nec unquam dodecadis circiter Theologorum, non nisi doctrina imbutorum Scholastica, & tamen Patrum & Conciliorum nunquam a se lectorum judices se constituentium, arbitrio se submissuros esse. Quod enim de Concilio Constantiensi objiciatur, *Martinum* V. P. R. universas ejus Decisiones non approbasse,
p. 34. licet hæc assertio centies refutata sit, eam ex Chronico Monasterii Windesheimensis, paulo post concilium istud conscripto, in verbis: *omnia Concilii ipsius Decreta rite approbavit*; &, *hæc de Constantiensi Concilio, autoritate Sedis Apostolicæ, & omnium Prælatorum* (inter quos & Prior dicti Monasterii fuit) *Ecclesiæ totius Christianitatis multum approbato*, adhuc refelli clarius. Nec ullum esse dubium, quin primarius Parlamenti Præses, si negotium hoc eo devolvatur, pro animositate & prudentia sua, cujus jam ante 25 annos,
p. 41. juvenis adhuc, & patris sui Procuratoris tunc Generalis vices sustinens,

nens, cum Sorbonæ, ne Alex. VII Bulla, contra facultatem ferendi censuras lata, quicquam moveretur, Aulæ nomine significaret, egregium specimen ediderit, officio suo non sit defuturus. Dei quippe permissu contigisse, ut qui Pontificis infallibilitatem adstruere nitebantur, via illi, quam inire debebant, plane contraria incesserint; cum censuræ ejusmodi non nisi summa cum circumspectione, accersitis in partes Theologis, & consultis circa oblatas Propositiones Facultatibus celebrioribus, Auctoribusque ipsis prius auditis, edendæ sint, nec exponenda autoritas publica abusui privatorum, aut Ordinum, ex affectuum intemperie adversariorum suorum, quos interdum sibi fingant, oppressionem machinantium. Nunc autem ad Decretum contra Propositionem VI, quæ *Sinnichii* Doctoris Lovaniensis est, & hanc Litaniæ formulam, *A gratia sufficiente libera nos Domine*, vix risum teneri posse: a condemnatione vero Propositionis XXIIX de intentione Ministri circa Sacramenta, qua doctrina Lovaniensium imprimis *Fervaquii* haud ita pridem e vivis abrepti, & *Fabri* invaditur, (a qua tamen Papa *Innocentius* IV, traditio, & ingens autorum stet cohors) infinitas scholis & conscientiis turbas imminere; cum tamen distinctione res facile expediri possit, quod in Ministro, seu instrumento, sufficiat intentio ad producendum *effectum exteriorem*, c. g. in Sacramento baptismi, in aspersione aquæ, & pronunciatione verborum, *Baptizo te in nomine Dei Patris &c.* consistentem, cui Deus *effectum interiorem*, sanctificationem scilicet baptizati, simul uniat. Cum porro Decreti hujus publicatio iisdem fere circumstantiis, quibus ejus consignationem *Duffius* (qui particularis & horrendi cujusdam de peccato Philosophico dogmatis insimulatur) *& Porterus* obtinuerunt, per duos itidem Franciscanos P. *Diasium*, & *Mulartum* (qui ex Capucino Calvini assecla factus, ducta Montepessulano uxore, medicum egerit, Romæ deinde, prævia absolutione, Franciscanis se associaverit) eo tempore, quo de componendo dissidio Romano-Gallico maxime laborabatur, Ministrorum potissimum Hispaniæ, compositionem talem impedire satagentium, artibus procurata fuerit; mirari se dicit Abbas, hoc negotium, quo libertas Ecclesiæ Gallicanæ haud obscure petatur, non satis cordi esse iis, ad quos ea cura pertineat, sed ob privatum quorundam commodum dissimulari, nec Regem

p. 43.

p. 47.

p. 44.

p. 46.

p. 37.

p. 50. 51.

de eo fieri certiorem. Romanos interim ad firmandas prætensiones suas longe melius sibi prospicere, quibus tamen satis obviari
p. 54. posset, si Juventuti, Historiæ & notitiæ Conciliorum operam daturæ, loco *Baronii* & *Binii* exscriptoris ejus, non nisi ad Monarchiam Pontificiam oculos defixos habentium, exactior & ab omni *Ultramontanismo* repurgata *Historia* & *Collectio Conciliorum* proponatur, & sic illa opinionibus, antiquitati & doctrinæ Cleri Gallicani magis conformibus, temporius assuefiat. Non sine indignatione videre se posse, quod Conciliorum impressione, in *Lupara* sumtibus Regis facta, non levis memoriæ majorum ejus macula inuratur, & axiomatibus toti Regno schismatis notam affricantibus, Ecclesiæque subruentibus libertatem, insignis concilietur autoritas. E dignitate status, & de honore Cleri esse, ut egregiorum istorum operum, Historiæ scilicet Ecclesiasticæ & Conciliorum elaboratio
p. 38. tribus aut quatuor eximiis Theologis committatur: librorum quoque Censoribus invigilandum esse, ne in *Synopsin Decretorum Papalium & Conciliorum circa res Fidei*, a P. *Portero* (qui & *Compendium Annalium Ecclesiasticorum Hiberniæ*, de quo in *Actis* A. 1691. *p. 142.* diximus, Pontifici dedicaverit,) Parisiis edendam aliquid, quod minus
p. 55. e re sit, irrepere patiantur. Nec deesse in Gallia viros huic labori suscipiendo idoneos & ingenti boni Ecclesiastici fervore accensos, modo laudabiles eorum conatus non impediantur magis quam promoveantur, majorque iis expectanda sit gratia. Sic meritissimo cuidam Viro operi ejusmodi animum applicanti multum litigii intentatum, & novam operum *Joh. Gersonis*, magni istius libertatis Gallicanæ defensoris, editionem, quam Canonicus quidam Regularis de *S. Victore* adornaverat, incertum qua de causa, sufflaminatam.
p. 57. Optimo quoque *Launoyo* non solum Colloquiorum circa similes materias institutorum continuationem interdictam, sed & monumento honoris, tumulo ipsius ab amicis destinato, carendum fuisse. Hinc etiam factum esse, ut ad defensionem IV *Articulo-*
p. 56. *rum*, a tot scriptoribus, inter quos *Aguirrius* Cardinalatum, Abbas *S. Galli* spem Purpuræ, & *Schelstratius* Bibliothecarii Papalis dignitatem, præmii loco meruerint, oppugnatorum, vix unus calamo armatus in Gallia processerit: & in Hollandia quærendos fuisse,
p. 58. qui *Richerii* opera typis exscriberent; nec latere exempla aliquot

quot Theologorum, quos Romanorum poteſtati turpiter traditos galeri Cardinalitii pro *Richelii* fratre expetiti pretium eſſe oportuerit. Non minus ignominioſum eſſe, quod liber *de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ* inſcriptus, qui in gratiam eorum, qui gloriantur, neminem illi reſpondere auſum fuiſſe, refutatione maxime opus habeat, Epiſcopis conniventibus, impune in Gallia divulgetur; licet Autor, Religioſus, ut Autor putat, Gallicus, *Jurisdictionem Epiſcopalem de jure divino non eſſe*, libere ſtatuat. Neſcire ſe, quomodo ſe habituri ſint *Jeſuitæ* Gallici, ſi *Generalis* iſtius Societatis liber contra IV *Articulos* conſcriptus, ſed intercedente Pontificis prohibitione, ne exemplaria venum eant, nondum editus, expectationi tamen, ſi ex aliis ejus operibus judicium ferendum, vix reſponſurus, aliquando prodierit; cum in ultimo ejus capite prolixe evincere nitatur Autor, *neminem verum eſſe poſſe Jeſuitam*, & *tale mereri nomen*, *niſi Pontificis infallibilitatem* & *ſuperioritatem in Concilia tueatur*. Tandem cum in Gallicis quoque Congregationibus majorem concordiam & libertatem deſideret Abbas; interim tamen ad ſequiores, qui ex diſſimulatione metuendi ſint, effectus impediendos, & ad tuendam poſſeſſionem, ſententiam Parlamenti, & Epiſcoporum Pariſienſium vicinorumque, quid de Decreto hoc ſentiant, declarationem tantiſper ſufficere exiſtimet: concludit denique, a *Concilio Nationali*, qualia *Clodoveus*, *Carolus M.* & alii Regis Anteceſſores convocaverint, maximum emolumentum expectandum, ſed hoc tempore, quo ob privati interventum commodi provincialia ſolum Concilia incaſſum expetantur, vix ſperandum eſſe.

p. 59.

p. 60. 61.

p. 62.

p. 63.

MEMOIRES DE MATHÉMATIQVE ET DE Phyſique, tirez des Regiſtres de l' Academie Royale des Sciences,

ſive,

Memorabilia Mathematico-Phyſica, deſumta ex Adverſariis Academiæ Scientiarum Regiæ.

Hagæ Comitum, apud Henr. van Bulderen, 1692. in 12. Pl. 1.

NOvam hic ſiſtimus Ephemeridum literariarum ſpeciem, obſervationibus mathematicis atque phyſicis publicandis deſtinatarum,

natarum, quas singulis posthac mensibus edere decrevit Regia, quæ Parisiis floret, Scientiarum Academia, memoratis maxime studiorum generibus excolendis dicata. Scilicet tametsi nobilissima ejus membra fere gravioribus & longioris temporis tractum exposcentibus operibus aut inventionibus insudent assidue: non ideo tamen omittunt in medium conferre jucundiora quoque meletemata, ad animi recreationem subinde facta, nec non desultorias velut observationes, quas aliud agentibus nonnunquam sponte offert occasio propitia: dum alius quidem jam insolitum aliquod in cœlo phænomenon detegit; alii novum quid in Geometricis invenire obtingit; alii Algebra propositionem suggerit curiosa subtilitate notabilem; alii denique in opticis, alii in mechanicis, chymicis, botanicis aliisque hujus ordinis artibus quidpiam haud vulgare eruunt. Hæc vero singula quotidie semet offerentia cum hactenus privatis modo Societatis suæ commentariis inserere contenti fuissent: nunc tandem multorum precibus inducti decreverunt orbi literario particulatim ea communicare, menstruo minimum intervallo, nisi quandoque largior talium subnata messis crebriores edere manipulos jusserit. Cum vero vel ipsa materiæ elegantia institutum hoc affatim curiosis commendet, non ingratum Lectori fore confidimus, si, uti ex aliis hujus generis scriptis hucusque facere consuevimus, ex hac quoque Sylloge unum alterumve memorandum excerpserimus subinde, Actisque nostris inseruerimus, in gratiam eorum maxime, quibus Gallica legere non vacat. Et quidem primitiarum instar nunc erit, quod in Tomo seu fasciculo I. die 31. Januarii anni currentis publicato, primum obtinet locum; nempe

DIVERSÆ MOTVS PERIODI IN JOVE PLANETA noviter observatæ, inde a Januario 1681 usque ad initium præsentis anni, per Dn. Cassinum.

HAudquaquam meræ curiositatis stimulus fuit, qui famosiores hujus seculi Astronomos permovit, ut tanto cum studio ad Jovem planetam observandum semet applicarent: quin potius eo maxime fine tale quid ab ipsis factitatum est, ut hoc pacto exactiori potirentur cognitione Longitudinum, unde scilicet Geographiæ

graphiæ pariter ac Navigationis perfectio pendet. Judicarunt enim, in promtu sic fore medium expeditum atque securum determinandis longitudinibus, siquidem in cœlo detegere semel liceret tale aliquod phænomenon, quod & motu satis veloci gauderet, & diversis Telluris in locis longissime a se invicem dissitis cerni posset, dum eodem momento ad idem aliquod punctum appelleret. Nimirum hoc supposito, ex comparatis inter semet observationum horis, eodem tempore, locis diversis & ab oriente versus occidentem distantibus, proclive cognitu fore, quanto locorum unus altero magis orientalis esset, utpote in quo consistit longitudinis differentia.

Et quotidiana quidem astrorum circa terram revolutio jam egregie apta huic usui fuisset; dummodo in cœlo ullum daretur punctum fixum, ad quod dum accederent hac sua revolutione astra, diversis e locis conspici posset.

Opus ergo fuit recurrere ad particularem Lunæ motum, qui etiam admoveniendis nonnullis longitudinibus haud inutiliter adhibitus est. Quotiescunque etenim ea patitur eclipsin, umbra Terræ tunc super Lunam conspicua, eodem tempore in eadem ejus disci regione cerni potest ab integro isto hemisphærio. Verum præterquam quod eclipses tales non satis frequenter fiunt, tam quoque difficile est, eas probe observare, ut non nisi paucorum locorum longitudines hoc pacto explorari contigerit, ubi nempe Astronomi adfuere satis habiles, satisque curiosi ad necessarias omnes præcautiones hisce observationibus adhibendas.

Non aliud interim adminiculum tutum suppetiit pro indagandis longitudinibus, ad initium usque præsentis seculi. Sed postea quam Telescopia adinventa fuere, quatuor illi pusilli planetæ, quos *Satellites Jovis* appellarunt, ejus nempe circa globum se rotantes, detecti sunt: cumque observatum simul fuisset, motum horum asteriscorum satis esse celerem, periodum perbrevem, eclipsesque admodum frequentes: mox visum fuit, iis uti ad explorandas longitudines. At fere plus quam dimidium seculum effluxit, antequam propositum hoc executioni daretur; quod nempe anno demum 1668 prospere cœpit succedere, quando Dn. Cassinus in publicum edidit Ephemerides horum Satellitum, una cum methodo

eclipses

eclipses ipsorum per calculum definiendi. Ab hoc ergo tempore observationes ingenti numero habitæ sunt in Observatorio Parisiensi, ex composito respondentes cum iis, quas Astronomi Academiæ, Regis jussu hunc ipsum in finem ad omnes mundi oras ablegati, nec non alii Astronomi, quibuscum commercium literarium intercedebat, suscepere: atque harum observationum auxilio permagna errorum seges deprehensa est circa longitudines in Mappis Geographicis expressas, qui abhinc correcti fuere.

Cæterum idem Cassinus, postquam assidue perrexit exquirere cœlestes ejusmodi revolutiones eidem scopo inservientes, plures adhuc alias revelavit velociores brevioresque istorum Satellitum gyratione.

TAB. IX. Fig. I. Nimirum anno 1665 maculam quandam in Jove conspicatus est, quæ sequenti anno apparere desiit: neque ulla in hoc planeta alias macula vel ante vel postea spectata fuit, quæ tanto tempore duraverit, totiesque, ut hæc, fuerit reversa. Plusculis etenim vicibus apparuit evanuitque ad Januarium usque anni 1691, ubi adhuc conspicuam se præbuit: quotiescunque vero rediit, eandem constanter figuram eundemque situm servavit. Ac deprehendit quidem Cassinus, ejus motus periodum esse novem horarum & 55 ad 56 min. dum scilicet novissime factæ observationes ipsum edocuere, periodum hanc uno circiter minuto breviorem esse, quando Jupiter in duodecennali sua revolutione Soli proximior, quam cum ab eo magis remotus existit.

Ab anno dein 1665 usque ad 1690 non nisi perraro aliæ in Jove maculæ apparuerunt, eæque præterea adeo confusæ, ac tam exiguæ durationis, ut difficile fuerit earum periodos præcise determinare. Verum mense Decembri 1690 Cassinus alterationis aliquid advertit in figura hujus planetæ, ejusque balteis seu fasciis, ac in ejus disco complures novas maculas reperit. Mox ergo ea de re in publicum edidit relationem, in qua per compendium recenset nova sua ἐυρήματα, usumque commonstrat, quem inde capere liceat ad inveniendum longitudines: ibidem etiam explicat, (quantum quidem materiæ difficultas permittit,) undenam istæ apparentes balteorum, macularumque tam lucidarum quam obscurarum species provenire queant, Nimirum ut qualemcunque hujus rei ideam imprimat,

TAB. IX. ad A. 1692. pag. 360. sqq.

Fig. I.



Fig. 7.



Fig. 8.



Fig. 9.



Fig. 10.



primat, asserit ea, quæ in Jove spectantur, similitudine quadam respondere cum iis posse, quæ hic infra in terris contingunt.

Scilicet si quis desuper e cœlo Terram certo in situ contueretur, tum Oceanus universam tellurem circumplectens eandem propemodum formam exhibiturus foret, uti magna illa fascia meridionalis, quæ totum Jovis globum ambit: mare autem mediterraneum specie quadantenus responderet interruptis iftis fasciis in planeta hocce conspicuis: reliqua vero maria alias efficerent grandiores maculas obscuras mutationis expertes: porro continentes majoresque insulæ apparituræ forent instar macularum lucidarum pariter perennantium: nives vero fulgores exhiberent per intervalla disparentes; fluxus item ac refluxus Oceani, nec non contingentes quandoque largiores inundationes aliarum macularum, modo apparentium, modo evanescentium, larvam ostenderent: Luna unum e Jovis satellitibus æmularetur: nubes denique nostræ atmosphæræ similitudine responderent fasciis illis interruptis maculisque transeuntibus, quæ & magnitudine & figura subinde variant, motumque habent velocitatis ratione differentem.

Atque hæ quidem comparationes eorum, quæ in Jove cernuntur, cum his, quæ super terram accidunt, neutiquam pro meris imaginationibus jucundioribus haberi debent: sed temporis successu fortean lucem fœnerare poterunt, ad naturam horum phænomenorum pernoscendam. Etenim quemadmodum maxima pars mutationum in terris contingentium plerumque eveniunt cum quadam regularitatis specie, adeoque, si terram de cœli fornice despicere daretur, reverti viderentur propemodum intra certa tempora revolutionis, quam Tellus circa Solem facit: eadem ratione oporteret, ut mutationes, quæ in Jovis globo conspiciuntur (siquidem aliquam omnino analogiam haberent cum iis, quæ super terram fiunt) redirent singulis quibusque revolutionibus, quas Jupiter duodenis annis circa Solem atque Terram absolvit, aut saltem, ut recurrerent certis temporibus istius octoginta trium annorum periodi, intra quam idem Jovis positus respectu Solis circa eosdem Zodiaci gradus obtingit. Atque sic exactius observato reditu Zonarum macularumque Jovialium, licebit aliquando clarius earum indolem cognoscere, quæ hactenus quidem a nobis fere abscondita est.

Cunctæ ergo mutationes istæ cum in Jove apparere perrexissent multa cum diversitate per noviſſimum annum 1691, Cassinus iis observandis jugiter invigilavit ea assiduitate, quam novitate sua hæcce phænomena merebantur. Verum cum hic non liceat sigillatim istas ejus observationes ordine percensere: contenti erimus data relatione succincta alterationum, quas ipse annotavit anno proxime præterlapso in fasciis æque ac maculis hujus planetæ.

Fig. 2. Scilicet latissima e tribus majoribus fasciis obscuris, quæque Jovis centro proxima est in latere Septentrionali, assidue semper conspicuam se exhibuit, non tamen absque quibusdam variationibus. Noviſſimo mense Octobri Cassinus in ea advertit duas maculas lucidas, totam ejus fere latitudinem occupantes: ac circa finem ejusdem mensis duas adhuc ibi observavit sibimet invicem oppositas, revolutionem suam intra spatium 9 hor. 51 min. absolventes. Animadvertit præterea, ipsam hancce fasciam in arctius sese contrahere, ac e diverso alias illas duas zonas, alteram meridionalem, alteram septentrionalem, inter quas ista interjacet, paulatim dilatari, ita quidem ut mense Decembri parum differentiæ fuerit inter trium harum fasciarum latitudinem. Quod si ergo analogia statuenda est majusc̃larum harum fasciarum cum nostris Maribus, quibus nempe comparari quodammodo possunt, dicendum esset, mediam illam fasciam exoneraſſe semet pro parte in duas reliquas: quemadmodum & reapse inter fascias has veluti communicationis vestigia cernere licuit.

Fig. 3. 4. & 6. Porro magna zona meridionalis, nec non septentrionalis, non semper integræ comparuerunt primis mensibus dicti anni 1691, sed interruptiones subinde in iis observatæ fuere, earumque termini visi sunt promovere a parte orientali Jovialis disci versus occidentalem. Et Cassinus inita temporis mensura, quo extremitas zonæ meridionalis revolveretur ad Jovis meditullium, nec non aliquot ejusmodi revolutionibus inter se comparatis, expertus fuit, singulas constare 9 horis ac 55 $\frac{2}{3}$ min. Parum ergo differentiæ est inter periodum hujus fasciæ & antiquioris illius maculæ, quæ toties apparuit evanuitque inde ab anno 1665: ac generaliter fasciæ visæ sunt revolutiones suas perficere intra idem tempus, quo maculæ ipsis adhærentes suum absolverunt gyrum.

Mense

Menſe Octobri nuperrimo certis temporibus in Jovis globo conſpicuæ fuerunt vel ſeptem aut octo zonæ obſcuræ admodum inter ſe mutuo propinquæ, & pleræque a latere meridionali. Quo vero mente concipere quis poſſit, qua ratione hæ zonæ formentur, imaginari juxta Caſſini meditationem licebit, Jovis globum circum circa excavatum eſſe ſtriis parallelis, ad inſtar ſulcorum in ſphæra rudiuſculo tantum torno elaborata, darique materiam quandam fluidam, quæ in ſulcos iſtos ſemet infundat: hoc etenim ſuppoſito fiet, ut materia liquida, dum ab oriente verſus occidentem ſemet expandit, non abſimilem obſcurarum faſciarum ſpeciem efformet.

Porro motus extremitatis occidentalis majorum faſciarum interruptarum, dum fertur a parte Jovis orientali ad occidentalem, multo velocior apparet, quam integra ipſarum revolutionis periodus: ideo fortaſſis quia non ſatis bene diſtinguere licet intervalla, quæ ſunt inter extremitatem harum zonarum & diſci Jovialis marginem: aut quia congruenter ideæ modo de hiſce faſciis datæ, materiæ liquidæ in canalibus, quos in Jovis globo dicto modo imaginari licet, fluentes, dum Soli exponuntur (uti quidem tum contingit) a calore Solari rarefiunt & extenduntur.

Verum plus adhuc mutationis apparuit in maculis Jovis, quam in ejus faſciis. Nempe nova illa macula, quæ conſpici cœpit die 5 Decembris anni 1690 in ſpatio lucido inter faſciam latam medianam & zonam meridionalem centro proximam, poſtquam aliquoties figuram ſuam variavit, tandem die 23 ejusdem menſis deprehenſa eſt in tres divulſa maculas, quarum media revolutionem ſuam peregit intra 9 horas & 51 minuta, perinde ac integra macula fecerat, priusquam ita divideretur. Hæ vero tres maculæ perrexerunt comparere in eodem Jovis parallelo menſe adhuc Januario & Februario anni noviſſimi 1691: idque, unde judicare licuit, quod unæ ac eædem jugiter maculæ eſſent, hoc fuit, quod medianæ maculæ periodus ſemper deprehenſa eſt conſtare 9 horis & 51 minutis per pluſculas revolutiones.

In hemiſphærio ei oppoſito, in quo tergemina hæcce macula extitit, aliam quandam menſe Januario 1691 novam maculam formari contigit, in ſpatio lucido inter duas illas majores faſcias obſcuras centro proximas. Et Caſſinus comparatis inter ſe 95 ipſa-

rum revolutionibus, expertus est, quamlibet periodum esse 9 horarum & 51 min. Fig. 5. Eodem mense Januario anni novissimi duas adhuc annotavit maculas situ inter se vicinas, fasciis obscuris centro proximis contiguas. Omnino autem similes fuerunt illis, quas in eodem positu observaverat die 13 Decembris 1690, quibusque in relatione tum typis mandata *Gemellarum* nomen indiderat. Supponens itaque illas esse easdem, plures ipsarum revolutiones inter se contulit, deprehenditque unamquamlibet constare 9 horis & 53 min.

Ulterius annotavit, certas maculas ab initio rotundas paulatim elongatas fuisse secundum directionem fasciarum. Hujusmodi quatuor jam observavit inde a mense Februario anni novissimi ad illud usque tempus, quo Jupiter Soli tam propinquus factus est, ut eas distinguere amplius non licuerit; cumque post Jovis egressum ex radiis Solaribus iis invigilare pergeret, eas quidem non amplius conspicatus est, alias tamen novas annotavit.

Ac hodienum earum nonnullæ sunt conspicuæ, prope Jovis centrum transeuntes, motumque antiquis velociorem habentes, dum periodus earum modo 9 horis & 50 minutis absolvitur. Atque in genere maculæ cunctæ, quæ propius centrum Jovis apparens transeunt, motu celeriore pollent, quam illæ, quæ remotiori intervallo illud prætervehuntur. Neque putandum est, velocitatis harum macularum inæqualitatem dependere ab inæqualitate ipsarum distantiæ respectu centri Jovis e terra visi: quin potius deducenda est ab inæquali earum distantia intuitu ejusdem centri a Sole collustrati, qui nempe aliquid forsitan confert ad motum citatiorem conciliandum iis maculis, quæ ipsi magis expositæ sunt. Nimirum centrum Jovis a Sole spectatum nobis hic inferius modo comparet super linea recta, non nisi perparum a fasciis Jovis declinante, ac per ejus centrum e terris visum transeunte; modo super ellipsi quadam fasciis propemodum parallela & valde angusta, cujus distantia a centro Jovis e terris spectato pene imperceptibilis est. Præterea hæ ipsæ Jovis maculæ, quæ motum cæteris velociorem habent, valde etiam propinquæ sunt ejus æquinoctiali, quæ fasciis parallela est: atque sic insistendo analogiæ, quam zonæ istæ cum nostris maribus habere videntur, comparari motio harum macula-

cularum posset cum *Currentibus* illis, circa Telluris æquinoctialem obviis.

Antiqua illa macula inde ab anno 1665 animadversa, necnon novæ istæ, quæ sub finem demum anni 1690 & initium 1691 comparuere, in hemisphærio Jovis australi extiterunt, ubi hiemem, quæ ibi locorum sex annos nostrates durat, impræsentiarum regnare oportet. Reliquæ vero maculæ, quæ sub exitum anni proximi fuerunt conspicuæ, & hujus ipsius anni circa exordium visui adhuc expositæ sunt, in æquinoctiali hujus planetæ hærent.

Denique notandum est, nullo adhuc tempore tantum novarum macularum numerum in Jovis globo apparuisse, quam a mense Septembri 1690, atque tunc Jovem non modo extitisse in suo perihelio (hoc est, Soli tam propinquum, quam fieri maxime potest per unam suarum revolutionum seu annorum, quorum quilibet duodenos nostrorum complectitur) sed & non procul a sua erga Solem oppositione fuisse. Tempore aliarum Jovis reversionum ad suum perihelium, non nisi post duodecim annos nostrates redeunte, Cassinus alterationes quidem advertit in fasciis, macularum vero nec tantum numerum, neque tam insignem diversitatem: ideo fortasitan, quia tum non ita distincte cernere licuit, quid rerum in Jovis globo fieret, dum hic suæ ad Solem oppositioni non ita propinquus, & consequenter magis a Tellure remotus extitit. Expectare ergo oportebit similem Jovis oppositionem erga Solem ad experiendum, num maculæ tam numerosæ tamque differentes tunc denuo sint compariturae. Verum ista quidem observatio nostris demum nepotibus reservata est: dum Jovis oppositio erga Solem in eodem Zodiaci gradu non nisi singulis 83 annis revertitur.

DE ACTIONE AQVÆ ERGA FVNDVM VASIS in inferiori parte latioris, quam in superiori, Meletema Domini Varignoni.

Translatum ex iisdem Memorabilibus Mathem. Phys. Parisiens. Tom I. pag. 18. seqq.

Quæstio hic est de famoso satis paradoxo, quodque plurimæ inter eruditos contentioni ansam dedit. Scilicet si aqua

impleantur duo tubi ejusdem altitudinis ejusdemque basis, quorum unus æqualem ubique servet amplitudinem, alter inferius latior sit, quam supra; fiet ut pauca illa aquæ in secundo hocce tubo contenta, pondus æque magnum sustineat, ac omnis aqua in primo illo inclusa. Exempli gratia, si prior tubus capiat ducentas aquæ libras, & posterior non nisi viginti ejus libras contineat: viginti hæ posterioris libræ sustinebunt pondus æquale illi, quod ducentæ prioris libræ sustinent. Attamen hoc ita non evenit, nisi quamdiu aqua in utroque tubo comprehensa manet liquida. Quod si enim hanc congelari contingat, tum ducentæ prioris tubi libræ longe majus utique pondus ferent, quam vicenæ secundi libræ, ut maxime glacies a tubis, quibus inest, separata & laxata fuerit.

Ac de facti quidem hujus veritate omnino constat, neque post tot experimenta ea de re habita dubitare amplius fas est: super modo tamen explicandi, qualiter hoc fiat, nequaquam convenit. Alii quippe asserunt, viginti aquæ libras intra tubum inæqualis latitudinis, quamdiu illa maneat liquida, realiter fundum æque premere & gravare, atque ducentæ libræ alias facerent. Alii vicissim concedere nolunt, quod fundus reipsa omne istud onus portet: quin potius adstruunt, latera tubi inæquali latitudine præditi, dum sua constrictione aquam impediant, ne adscendat, socias quasi manus ad sustinendum pondus conferre; ita quidem ut fundus hujus tubi non nisi parte oneris gravetur, ejus vero residuum latera supportent. Plurimi egregii mathematici priorem sententiam amplectuntur: sed & alii valde celebres posteriori subscribunt. Varignonus hic priorum partibus accedit, quorum ad opinionem probandam sequenti modo ratiocinatur,

TAB. IX. Fig. 7. Sit tubus *KBCH* latior circa suam basin *HK*, quam omni alia sui parte. Ex marginibus superioribus ac diametraliter oppositis *C* & *B* hujus tubi, demittantur ad fundum *HK* duæ perpendiculares *BM*, & *CO*: atque *KM* portio baseos dividatur in partes æquales aut minores dimidio *MO*, ac tali in numero, qui semper æqualis sit summæ terminorum progressionis duplæ, quæ inceperit ab unitate v. g. in 3, in 7, in 15, in 31, in 63, &c. Nempe *KM* dispescatur, si ita placet, in tres partes *KV*, *VL*, *LM*; sumtisque *MN* & *ON* æqualibus unicuique harum partium, fiant *KQ*, *LR*, *AN* & *TH* parallelæ & æquales ipsis *BM* vel *CO*.

His

His ita factis, habebitur columna aquæ *BN*, quæ libramentum exercebit super fulcro *M* contra columnam *EM*, retentam per marginem *ED*, perinde ac faceret pondus *Z* super bilance *EX*, cujus hypomochlium esset in *Y*, cujusque extremitas *E* retinetur per marginem *KED* hujus tubi. Quia igitur onus fulcimenti *Y* tum duplum foret ponderis *Z*, eo quod brachia vectis *EX* sunt æqualia, aut saltem parum abest, quin pro talibus haberi queant: hinc punctum *M* aut portio *LN* fundi *KN* non potest non hoc in casu gravari duplo columnæ *BN*: hoc est, perinde ac si *RN* foret columna integra e liquido constans, quæ fundum hunc premeret. Considerando itaque *ANLED* quasi talem columnam, pari modo deprehendetur, quod dum aqua hæc libramen exerit super fulcimento *N* erga aquam *KEL*, retentam per marginem *KE*, fundum *KN* oporteat premi ob omni hac aqua *ANKDB*, haud secus ac si ei incumberet columna æqualis *QN*. Per eandem rationem evidens fiet, quod aqua *ANHFC* pariter gravet fundum *KH*, atque faceret aquæ columna æqualis *NT*. Unde jam manifestum est, quod tota aqua tubi *BDKHFC* premere debeat fundum *KH* eadem præcise vi, qua alioqui gravaretur per columnam quandam *QKHT* paris altitudinis & latitudine ubique æqualis basi *HK*.

Exinde porro cognitu facile est, quare non amplius idem accidat, dum aqua glaciata est. Nimirum si consideretur, quod fulcimentum *Y* bilancis, qua suspenditur pondus *Z*, ideo solum duplo ejus ponderis gravatur, quia renixus marginis *DEK* in illud fulcimentum exercet functionem potentiæ cujusdam, quæ ponderi illi æqualis illud in æquilibrio teneret: quodque margo ille nullam omnino resistentiam ponderi huic facturus esset, nec ullam impressionem in hypomochlium *Y*, si foret absque actione vectis, quæ pondere hoc super hypomochlio isto fieri fingitur: hac, inquam, consideratione facta, patebit insimul, quod aqua *DMCE*, quam margo *ED* tubi in æquilibrio continet contra integram columnam *ANMB* quasi super quodam fulcimento *M*, neutiquam gravatura foret amplius hypomochlium isthoc, fundumve *LN* (uti quidem apparet eam facere oportere columna hac) duplo ejusdem ipsius columnæ *ANMB*, sin absque tali actione vectis esset, quam aquæ liquiditas ei permittit. At vero evidens est, quod, dum aqua-

hæc

hæc glacie constricta torpet, vectis agitatio ibidem ulterius fieri nequit, quodque, dum aqua hæc glaciata non amplius deorsum tendit, nisi ut corpus durum, margines *DEKHF* tubi *BDEKHFG* non inserviunt porro ad eam deorsum repellendam, neque per consequens ad fundum prægravandum, uti quidem eos facere paulo supra vidimus, dum aqua erat liquida. Non est proinde, ut quispiam miretur, cur aqua hæc glaciata, quamvis a tubo relaxata, haud amplius fundum oneret, nisi pro valore gravitatis suæ particularis, neutiquam vero pondere integræ cujuspiam columnæ aqueæ, ejusdem cum tubo hoc altitudinis ac amplitudine per omnia æqualis ejus basi *HK*, prout modo potuit contingere, quamdiu aqua hæc liquida extitit.

Tanto magis vero genuinam hanc explicationem esse apparet, quod eam sequendo, corporibus solidis præstare quid licet ei simile, quod hic liquida faciunt; exempli causa, si globulos in æquilibrio sic ponamus, ut nitantur instar aquæ, versus crepidines baseos tubi cujusdam inferius latioris, quam supra, ea quidem ratione ut globuli tubum hunc implentes omnes velut in eodem plano sint. E quo ipso etiam patescet, quod si eadem res non amplius in aqua glaciata fit, id unice ab eo pendeat, quod illa in tali statu esse desierit, ubi vectis motionem habere valeat.

Sit ergo tubus *CDEF*, in quo globuli *A* & *B* sustineantur super extremitatibus *A* & *B* vectium *FA* & *EB* divisorum in bina brachia æqualia ope suorum fulcrorum *Y* & *Z*. Facta jam *ef* Tangente globorum *A* & *B*, vectes *FA* & *BE* hinc & inde prolongentur, ita quidem ut *Ge* & *He* adhuc dividantur in duas partes æquales per fulcra *Y* & *Z*. Porro per puncta *G* & *H* ducantur *RP* & *SQ* parallelæ ad *ef*, in quibus statuantur fulcra *P* & *Q*, quæ sustineant & in brachia æqualia dividant vectes *KY* & *LZ*, qui in extremitatibus suis supportent fulcra *Y* & *Z* priorum istorum vectium. Prolongatis quoque ex utraque parte postremis hisce vectibus, ita ut *OF* & *XF* adhuc dividantur in duas partes æquales per novissima hæc fulcra *P* & *Q*, ducantur per puncta *O* & *X* lineæ *TM* & *VN* parallelæ respectu *ef*, quæ occurrant *PQ* in *M* & in *N*.

Hisce suppositis, si tubo *CDEF* aptetur basis, quæ transeat per puncta

puncta *E, L, N, M, K, F*, hoc est contra quam nitentes extremitates *E, L, K, F* vectium *BE, ZL, KY, AF*, retineantur, ejusque fundus sit *MN* cui insistant fulcra *P* & *Q*: tum *fundus hicce tantundem gravabitur ab ea globulorum quantitate, quæ ineſt tubo CDEF, quantum alias ab omni ſpharularum vi, quam capere poſſet tubus Tπβ V, ſive (conſideratis P, Y, Z, Q, fulcris, tanquam indefinite inferioribus) TMNU, ejusdem altitudinis cum CDEF & ejusdem ubique diametri cum fundo MN.*

Nimirum uti vectis *FA* dividitur in duo brachia æqualia per fulcrum *Y*, ſic baſis tubi æquilibrium faciens contra ſphærulas *A* retinendo extremitatem *F* hujus vectis defungitur officio alicujus potentiæ æqualis pondere harum ſphærularum. Hoc itaque caſu fulcrum *Y* oneratum ſemet ſentit duplo harum ſphærularum, hoc eſt perinde ac ſi una cum globulis *A* portaret adhuc conſimilem columnam, quæ foret in ſpatio *CG*. Oneratio itaque fulcri *Y* hic adæquat eam globulorum quantitatem, quam capere poſſet ſpatium *RE*. Pari modo liquebit, quod onus incumbens fulcro *Z* æquale eſt ei, quod haberent ſphærulæ *B*, quotquot intra ſpatium *Se* continerentur. Onus ergo duorum fulcrorum *Y* & *Z* una ſumtorum æquale eſt ponderi tot ſphærularum ſimilium, quot caperentur integro ſpatio *RGHS*.

Per ratiocinationem omnino ſimilem pateſcet, quod fulcrum *P* vectis *KY* portet duplum oneris fulcri *Y*: hoc eſt, pondus tanti numeri globorum *A*, quem complecti valeret ſpatium *Te*. Ex eadem cauſa onus fulcri *Q* adæquat pondus globulorum *B*, quotquot intra ſpatium *Ve* caperentur. Itaque fulcra *P* & *Q* junctim ſuſtinent pondus tot globorum, conſimilium illis *A* & *B*, quot comprehenderentur in toto illo ſpatio *Tπβ V*. Ergo fundus *MN*, portans nempe fulcra *P* & *Q*, ſuſtinet etiam onus tantæ globulorum talismodi quantitatis, quantam admitteret totum ſpatium *Tπβ V*, hoc eſt, tubus diametri per omnia æqualis diametro baſeos *MN*, & altitudinis *πT*, qualis eſt tubi *MKFCDELN*, ſubtracta altitudine fulcrorum *P, Y, C, Q*. Quoniam vero altitudo horum fulcrorum tam exigua eſſe poterit, ac libitum erit, hinc dicere licebit, fundum *MN* tum pariter oneratum fore a globulis, quotquot intra tubum *CDEF* continentur, atque gravaretur ab omni globulorum agmine, quantum-

admitteret tubus *TMNV* ejusdem cum illo altitudinis, & eandem ubique cum fundo *MN* diametrum habens. *Quod erat demonstrandum.*

ÆNIGMATIS FLORENTINI SOLVTIONES varie infinitæ, per I. B.

Videantur Acta proximi mensis Junii pag. 274 & sequ.

TAB IX. Fig. 9. ESto (*Fig. 9.*) A B C quarta pars superficiei hemisphæricæ, terminata quadrantibus verticalibus A B, A C, & horizontali BC: quo posito,

Primo, sumatur ubivis in quadrante punctum F, per quod transeat circulus major F C, e quo abscindatur arcus FE = arcui BF; eritque punctum E in quæsito margine fenestræ B E C: hoc est, si concipiatur Testudo ad instar superficiei Globi Terrestris, in qua C polus, BA æquator, BC primus meridianus, ac jungantur omnia loca (quorum eadem longitudo est & latitudo) curva B E C, repræsentabit hæc curva fenestræ desideratæ marginem; quippe Testudinis superficies ABECA, quæ relinquitur detracta fenestræ area BECDB, æqualis quadrato radii, ac proinde tota Testudo quadrato diametri sphæræ.

Secundo: Etiamsi arcus FH abscindatur minor arcu BF, dummodo sinus horum arcuum proportionales sint, nascetur semper superficies A B H I A quadrabilis, utpote eandem rationem obtinens ad quadratum radii sphæræ, quam sinus arcus F H habet ad sinum B F.

Tertio: Quinetiam si ipsi arcus FH, FB, proportionales fuerint, evadet superficies A B H I A quadrabilis, quippe quæ ad rectangulum sub radio sphæræ & sinu verso illius arcus (qui ad quadrantem est, ut arcus F H ad F B) vicissim eam rationem habet, quam FB ad FH.

Quarto: Sit punctum D, sumtum ubivis in quadrante horizontali B C, per quod transeat quadrans verticalis A D, ac intelligatur diametro basis hemisphærii B C M seorsim positæ (*Fig. 10.*) insistere figura quævis rectilinea, aut curvilinea quadrabilis B Q M; tum sumatur arcus B P duplus arcus B D, inque centrum N agatur

Fig. 10.

recta

recta PN, secans perimetrum insistentis figuræ in Q. Dico, si facta CS tertia proportionali ad PN & QN, ductaque SR parallela ipsi BM, abscindatur (*Fig. 9.*) arcus AL = arcui intercepto CR, fore punctum L in curva quadam BLC, quæ terminet superficiem ABLCA æqualem figuræ quadrabili BQM.

Quinto: Cæteris positis, ut prius, si BCMQB fingatur Lunula Hippocratis, non superficies quidem ABLCA, sed ipsa fenestræ area BLCDB Tetragonismi capax erit, utpote æqualis dictæ Lunulæ.

PRODROMVS AD REFVTATIONEM ALCORANI, auctore P. Ludovico Marraccio. Pars II. III. & IV.

Romæ typis Congr. de Propag. Fide, 1691 in 8.

Partes hæ tres posteriores constant Alphabetis 5 & plagulis 4.

DE parte prima doctissimi hujus Operis proximo mense Julio pag. 329 & sqq. diximus. Nunc tres reliquas perlustrabimus. PARTE nimirum SECUNDA Mahumeti miracula examinantur. Postquam enim Clarissimus Auctor de prodigiis generatim, quæ necessaria religioni conservandæ putat; etiam de Christi miraculis ex Mahumetanorum confessione prolocutus fuerat, Capite III. quæstionem movet, utrum Mahumetus aliquod miraculum ad sectam suam comprobandam effecerit, quod ex ipso Alcorano negari posse ostendit. Sura enim III. v. 182 Judæos, & Sura VI. v. 7. 33. 35. X. 99. & XIII, 8 28. 31. Meccanos Mahumeto defectum miraculorum objicere, ideoque noluisse doctrinæ ejus fidem habere; & qui habuerant, defeciisse postea, quod confirmationem ejus, quam exspectarant, non vidissent. Quibus gemella ex aliis etiam Alcorani locis ibidem producuntur, quæ evincant, nulla Mahumetum miracula fecisse, nec Deum, ut faceret, voluisse. Quæ sic diffuse Noster tractaverat, in summam tandem a pag. 64 redigit, argumenta recensendo, quibus Mahumeto miracula in Alcorano denegentur. Primum est, quia fides sit liberum donum Dei, nec miracula quicquam conducant ad id, quod pendeat a liberali Dei

voluntate. Secundum, quia Moſes, Prophetæ, & Chriſtus ſatis miraculorum edidiſſent, quæ Meccanis cæterisque infidelibus ad credendum ſufficere deberent. Tertium, quia, ſi ſigna ipſe edidiſſet, fuiſſent ſine utilitate, cum magna ipſorum infidelium pernicie. Quartum, quia ipſe non miſſus eſſet, ut miracula faceret, ſed ut fidelibus Paradiſi felicitatem annunciaret: infidelibus Gehennæ ſupplicia comminaretur. Quamvis vero hæc ita ſeſe habent, & ex Alcorano probari poſſunt: tamen Mahumetani ex eodem Alcorano miracula Prophetæ ſui oſtendere conantur, ut ex Sura II. v. 98 *Demiſimus ad te ſigna manifeſta*: & Sura XXXVII. 12 *cum viderint aliquod ſignum, illudent*: & Sura LIV. v. 1 *Appropinquavit hora & ſciſſa eſt Luna*, & quæ alia ineptiora paſſim proferunt. Reſpondet autem clariſſimus Auctor noſter ad primum & ſecundum, ايارن *Signa* in his non eſſe prodigia, ſed verſus vel minores ſectiones Alcorani, ut in prolegomenis Partis I. declaratum fuit. Ad tertium, non de Mahumeti, ſed per Enallagen de extremi judicii tempore ſermonem eſſe, ſub quod Lunam cum cæteris ſideribus in principia ſua diſſolvendam eſſe, ex Chriſtianorum doctrina Mahumetus acceperit. Addit Cap. IV, ſi vel maxime portentum hujusmodi Mahometus ſuis viſendum obtuliſſet, non tamen verum illo miraculum evinci, quum veneficis nihil frequentius fuerit, quam præſtigias in Luna oſtentare, quod vel Maronis verſu conſtare poſſit,

Carmina vel cœlo poſſunt deducere Lunam,

cui Carmina nihil aliud ſint, quam incantationes veneficarum. Plura ibidem referuntur inepte conficta miracula, e quibus duo tantum, quæ in præcipuis Moslemi ponunt, repetendo memoramus. Alterum eſt de Mahumeti nocturno in Paradiſum itinere: alterum de prælio Bedrenſi (ſic a loco dicitur inter Meccam & Medinam ſito) quod apud Mahumetanos famoſum eſt, & in admirandis hujus Pſeudoprophetæ cenſetur. Prius in libro Sonna, quem æque ac Alcoranum venerantur, ejusque interpretamentis ita fingitur, quaſi noctu Mahumetus jumento Alborac, (de quo mira traduntur) duce Gabriele, a templo Meccano vectus ſit ad templum Hieroſolymitanum, indeque ad cœlum Lunæ, ubi ab Adamo exceptus fuerit, atque ita in ſingulos cœlos, in quorum alio Johannem & Jeſum; in alio Joſephum; in quarto Enochum; in quinto Aaronem; in ſexto Moſem;

Moſem; in ultimo Abrahamum invenerit. Eodem curſu fingitur translatus in Paradiſum eſſe, & ad ignem Gehennæ. Sed quis non ſentit, aut mentientis hominis figmenta eſſe, aut ſomnia delirantis, quæ vel ex ſolo templo Hieroſolymitano patent, quod fingitur ingreſſus fuiſſe Mahumetus, quum illis temporibus inde uſque a Titi everſione nullum exſtiterit. Poſterius prodigium, Bedrenſe bellum, indignum eſt illo nomine, nec quicquam prodigioſum in eo accidit. Fatentur enim, hoſtium ſeptuaginta tantum cæſos, Mahumetanorum quatuordecim; quanquam his primum mille Angelos Deus, deinde tria millia, iterum quinque millia auxilio miſiſſet. Exigua ſane ſtrages, nec tam numeroſo præſidio digna, quum conſtet, vel unum Angelum in hoſtium caſtris CLXXXV millia alibi interfeciſſe. Caput V. miracula prophetiæ ſeu prædictionis futurorum, quæ Mahumeto tribuuntur, examinat: cujus generis multa ex Alcorano coacervantur. v. gr. ex Sura XXX. v. 1 victos Romanos eſſe in terra propinqua, & intra paucos annos victuros eſſe. Ex Sura XXIV. 53, XXVIII. 31 incrementum ſuæ religionis prædixiſſe. Quibus adduntur, quæ de Judæorum diminutione, Chriſtianorum autem augendis rebus vaticinatus fuerit. Ad primum a Noſtro reſpondetur, potuiſſe etiam ſine divino Spiritu præcognoſci, Romanos, potentem populum, non quieturos eſſe, niſi cladem, quam acceperant, in hoſtibus ulti fuiſſent. Neque ſecundum divinatione indigere, quia ejusmodi doctrinam Mahumetus evulgavit, quam, ob laxitatem ejus & libertatem, præſcire potuit permultos amplexuros eſſe, præſertim quod ex Judaiſmo & Chriſtianiſmo admiſcuit, quæ ſpeciem veritatis haberent. Tertium non futurorum prædictionem tenere, ſed repetitionem præteritorum: qui enim per ſexcentos annos Judæorum Chriſtianorumque ſtatus fuerat, commemorare; ex quo non difficile id colligendum erat, non fore rurſus, ut Judæi invaleſcerent. Quod ſi etiam aliquid eſſet, quod ſpeciem alicujus prophetiæ habere poſſet, id vero ex naturalibus cauſſis vel ex moribus hominum, vel aliunde præſciri a dæmonibus credibile eſſe, qui inſpirare ſuis poſſunt, atque ita falſis vaticinationibus illudere. Addit Clariſſimus Auctor, apud gentiles ſcriptores reperiri, quæ ſimiliora veræ prædictioni videantur, quam illa, quæ ex Alcorano a Mahumetanis proferuntur.

Qua de causa ad Homerum, Virgilium, & Senecam provocat, quorum iste Iliad. V. v. 302 seqq. de Æneidarum Romano imperio; ille Ecloga IV. de Christi nativitate; hic in Medea, actu II. extremo, de novi Orbis inventione vaticinatus videatur. Cap. VI. & VII ineptiora Mahumeti vaticinia proponuntur, quæ extra Alcoranum per traditiones propagata fuerint, quibus noster Auctor generatim pag. 301 respondet, non illa Mahumeti esse, qui in Alcorano negaverit, se scire, quid de se aut de suis futurum esset; sed enarrationes rerum, quas posteriores Mahumetani evenisse viderant, Mahumeto, tanquam vati, mendaciter imputatas. Cap. VIII. rationes inducuntur & argumentationes, quibus miracula Mahumeti sectatores ejus stabilire conantur, sed non minus illæ futiles atque vanæ sunt, quam ipsa miracula istius fuerunt: quibus Cap. IX. respondetur, vel ideo suspecta, immo falsa esse, quod non ex Alcorano, ubi cuncta Mahometi magnifice extollantur, sed ex incerta traditione producantur, in qua ipsi Mahumetani mirabiliter dissentiant, & singuli fere alio atque alio modo enarrent. Et si etiam non omnia conficta fuerunt, illa Cap. X. cum Ethnicorum prodigiis comparantur, quæ ex Livio, Valerio Maximo, Plutarcho & aliis scriptoribus innotuere, procul dubio Diaboli fraude, si fuerunt, ita composita, ut incautis hominibus miranda & inusitata apparerent. Et hactenus de Mahumeti miraculis: sequitur Capite XI ipsius Alcorani miraculum, quod omnibus cæteris Mahumetani anteponunt. Id quadruplex faciunt, I. nihil simile scribi posse: II. Mahumetum idiotam tam doctum opus edidisse: III. singularem in singulis verbis elegantiam inesse: IV. res continere sapientiæ plenissimas. Ad primum respondetur, nihil esse, quod Meccani, quibus illud objectum fuit, similem librum componere non ausi sint, quum ex eo non sequatur, quod alii etiam non potuerint: nec aliquid exinde probari, si vel maxime vera illa difficultas esset, Nam neque Homeri opus, aut Pindari, aut Aristotelis quemquam æmulari facile aut exæquare posse, quorum scriptis tamen propterea nulla divinitas vindicetur. Ad secundum responsum fuit Parte I, non solius Mahumeti, sed monachi adjutoris, vel plurium, Alcoranum esse, & ipsos sibi Mahumetanos contradicere, dum Mahumetum modo rudem & idiotam dicunt, modo sagacissimum & sapientissimum prædi-

prædicant. Contra tertium argumentum, negatur illa singularis elegantia, quæ exemplo ex *Sura Solis* refutatur, quod Arabice tam propriis, quam Latinis characteribus Auctor proponit, etiam versione Latina explicat. Quarto opponitur, nugis & Talmudicis fabulis Alcoranum refertum esse, & si quæ moralia præcepta contineat, non tamen illa comparanda esse cum sacris nostris Scripturis, & ne quidem cum iis, quæ Seneca, Epictetus, aut Plato, ac similes reliquerunt. Quæ de religione in Alcorano tractantur; aut falsa esse ostenduntur & fabulis depravata; aut, si quæ vera in illis supersint, ex Christianorum libris compilata. Claudit Auctor hoc Caput ineluctabili, ut vocat, argumento. Impossibile est, inquit, „ Deum concurrere veris miraculis ad confirmandam falsam religio-„ nem: ergo impossibile est, Mahumetum miracula vera fecisse. „ Nam quum Deus Christianam religionem non solum Christi, sed „ etiam Apostolorum & aliorum sanctorum miraculis, quæ Mosle-„ mi ipsi & Alcoranus vera fuisse fatentur, confirmaverit; necessario „ fatendum est; Christianam religionem bonam esse & veram. Ergo „ impossibile est, Deum per vera miracula Mahumetanicam sectam, „ quæ Christianæ fere ex diametro opponitur, approbasse. Ca-„ pite XII Auctor quæstionem tractat, an post jam fundatam religionem miracula ad eam conservandam requirantur? ubi negatis, ut par est, Dervisiorum, qui monachi sunt Mahumetani, falso jactatis miraculis, causæ professionis suæ inservit, magnopere extollens Romanæ Ecclesiæ admiranda, quæ in Appendice nominatim laudat, ut ædem Deiparæ Lauretanam: S. Thomæ Malipuritanam in India crucem: ossa S. Nicolai Myrensis, liquorem Barii in Apulia, sudantia: brachia S Nicolai Tolentinatis, e quibus copiosus cruor emanet: & sanguinem S. Januarii Neapolitani.

PARS III. Christianæ Religionis dogmata contra Mahumeti & assectarum objectiones tuetur, quorum communis criminatio est, Christianos veram religionem, a Christo & Apostolis institutam, sub illud tempus, quo Mahumet ortus est, deseruisse vel corrupisse, quam Dei jussu Mahumetus in integrum restituerit. Capite II. summatim calumniæ recensentur, quibus mutatam a nostris religionem probare conantur. Sunt autem partim superiori Voluminе confutatæ, ut Scripturæ in iis locis, quæ de Mahumeto habue-

rint,

rint, depravatio; quædam non quosvis Christianos, sed Pontificios stringunt, ut sunt cultus imaginum, nec non Pontificis & monachorum prope divina adoratio. Reliquæ, & majoris momenti, contra mysterium S. Trinitatis, Deitatem Christi, ac Passionem ejusdem diriguntur. De Trinitate Clarissimus Auctor respondet Capite V, non tam illam in Alcorano Sura IV. v. 170 improbari, quam Collyridianorum in Arabia hæresin, (cujus & Epiphanius meminit) qui Deum, Christum, & Mariam pari cultu prosecuti sint. Veram autem de S. Trinitate doctrinam non posse a Mahumetanis, nisi suis placitis contradixerint, in dubium vocari, quia ab initio in ea religione obtinuerit, quam ipsi ante Mahumetum sinceram fuisse confiteantur. Et postquam VI. Capite, occasione primi argumenti, quo objiciunt, in solis Matthæi ultimis verbis (*baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.*) quæ prave illi interpretantur, nostram fidem inniti; tam ex Veteri, quam Novo Testamento mysterium, hoc dilucide probasset, Capite VII & sequentibus argumenta Mahumetanorum profligat, quorum quædam Personas & Attributa confundunt, nec inter Sapientiam ac Vitam, ut Attributa sunt, ac Personam interdum significant, satis distinguunt: quædam ex ignorantia peccant, quasi distinctam ac separatam cuilibet Personæ Essentiam tribuamus. Capite IX & X. ex Rabbinis antiquis, & ipsis Mahumetanis profert, quæ ad S. Trinitatis probabilitatem aliquid conferre putantur. Cap. XI. XII. XIII. & XIV diluuntur, quæ contra Deitatem Christi Mahumetani opponunt, pleraque ita perturbata atque confusa, ut distinctione inter Christum tanquam Deum & tanquam hominem facile elidantur. Postea Cap. XV. & XVI nostra argumenta pro Christi Deitate copiose producuntur, & perspicue illustrantur. Quibus subjiciuntur Cap. XVII & XVIII, quæ ex antiquis Hebræis, & ipsis Mahumetanis pro Christi veritate per consequentiam probabiliter afferri possunt. Et XIX Capite Mahumetanorum error, quo negant, Christum nostrum supplicium crucis subiisse, ex eo refellitur, quod Evangelia, quorum veritatem ipsi agnoscunt, identidem reclament, & nevissimam quidem suspicionem supposiiti hominis, qui pro Christo crucifixus sit, relinquant. Adjicitur universæ Ecclesiæ, exceptis tantummodo Manichæis; & Judæorum, & Gentilium quoque, ut Taciti, de vero Christi supplicio consen-

consensus: quod Capite XX ex variis Prophetarum vaticiniis confirmatur. Capite XXI de Pontificis Romani, & hujus Monachorum honore respondetur, illum humanum ac hieropoliticum, non divinum esse: & Cap. XXII de Imaginibus, non idola esse, neque us Deum coli, sed modo in Romana Ecclesia usitato, qui ibidem explicatur. Sub finem Capitis adjungit Auctor, quod miraculi loco habendum putat, quum Mahumetani adeo ab imaginibus abhorreant, retinere tamen Constantinopoli in templo S. Sophiæ tres imagines Christi Domini, tres Deiparæ Virginis, & unam S. Johannis Baptistæ, cum figuris aliquot crucum, & aliquorum Angelorum. Ultimis Capitibus respondetur Mahumetanis, qui varias Christianorum sectas objiciunt, non pauciores, neque leviores inter ipsos Mahumetanos esse, quæ ordine recensentur, tam veteres, quam recentiores, & in quo quælibet dissideat ab aliis, luculenter exponitur. Tandem hanc Partem Professio Fidei claudit, ab Orientalibus ad Romanam Ecclesiam accedentibus facienda, quæ Arabice & Latine consignata est. Continet autem Symbolum Niceno-Constantinopolitanum, & summam illorum, quæ in singulis aliis Synodis, quas Romana Ecclesia usque ad Tridentinam pro Oecumenicis habet, tanquam necessaria ad salutem decreta fuerunt.

QVARTA PARTE argumentum a *Moribus* petitum examinatur: quippe etiam inde Mahumetani suæ Religionis veritatem adstruere conantur, quod morum sanctitate aliis cunctis gentibus, etiam Christianis antecellant. Sunt autem, in quibus pietatem suam ponunt, potissimum res quinque, Purificatio, Oratio, Eleemosyna, Jejunium, & Peregrinatio. Singula cum suis ritibus ex Mahumetani scriptoris, Aly Ben Mohammed, libro Arabico explicantur ad Caput VIII usque hujus Partis. Animadversionibus suis Clarissimus Auctor singula expendit, & Cap. IX *Purificationem* Mahumetanam cum Mosaicis ceremoniis, nec finis ratione a Deo intenti, neque ratione Proportionis ad spiritualem purgationem animæ, conferri posse adseverat. Esse enim absurdas, ut, exonerato ventre, si aqua deficiat, lapillis vel pulvere corpus perficiare, quum Deus in iis, quæ naturæ necessaria sunt, nunquam immunditiam legalem constituerit: quasdam etiam obscenas, quæ circa pudendorum membrorum mundationem quotidie peragantur: & nihilo-

filiorum plerosque gratis istius credere, his quoque ceremoniis a peccatis se emundari. Quod si etiam convenirent illæ cum ritu Legis Mosaicæ, quod vero aliter sese habet; tamen quod constat, per Christum & Apostolos divina auctoritate abrogatas esse ceremonias, quas Moses sanxerat, exinde firmiter Auctor probat, non a Deo illarum restitutionem esse. Capite X de *Oratione* seu Precibus disquirit, & circumspectis omnibus rationibus ostendit, externas illas & inanes esse, etiam gestibus & corporis jactatione pene ridiculas, neque cognosci posse, in quo vis orationis consistat, quum inter corporis hujusmodi motus nihil fere audiatur, nisi *Deus maximus, Laus Dei, Laudatio Dei, Non est Deus nisi Deus, Salus sit Mahumeto*, & aliquot versiculi ex Alcorano, præsertim septem illi, qui in principio ponuntur, quæ vix orationis nomen merentur. *Eleemosyna* Mahumetanorum Cap. XI, ad trutinam vocatur, quæ ejusmodi est, ut quotidie aliquid cibi pauperibus præbeant, nec erga homines modo, sed bestias quoque benefici sint adeo, ut testamento etiam volucribus, canibus, felibus de alimento prospiciant, & pro his animantibus xenodochia quoque seu hospitalia ædificent. Sed quam pia ac sincera hæc misericordia sit, durissimo affectu erga Christianos captivos ipsimet commonstrant. Ditiores si templa, xenodochia, nosocomia, pontes, aut alia magni sumtus opera exstruunt, vel annuis reditibus adaugent; non pietatis illud studio, sed metu facere dicuntur, ne Imperator seu Provinciæ Præfectus omnes fortunas post mortem illorum diripiat, quæ si tenuiores sunt, filiis relinquuntur: sin opimæ, rapacitatem dominantium irritare solent. Quemadmodum vero noster Auctor in singulis locis hujus Partis facit, ut cum Turcorum falsis virtutibus meliores Christianas comparet, quas ubique recensere supervacuum putamus: ita cumprimis liberalitati illorum eas eleemosynas Romanæ Ecclesiæ opponit, quibus infinitus numerus Monachorum sustentetur, innumera templa exornentur, xenodochia & nosocomia instruantur, quorum in sola urbe Romana dicit quindecim aut plura publica esse, præter illa, quæ singularium ibi nationum sunt: triginta insuper scholas puellarum haberi; viginti sex collegia & seminaria pro erudiendis pueris, qui gratis omnes instituantur, plurimi etiam victum & vestes accipiant. Addit, quantum Pontifex panis, nummorum, vel singulis hebdo-

hebdomadibus, vel ſtatis temporibus publice, ſecreto, diſtribuat, adeo, ut in Secreti Eleemoſynarii libris ad centum aureorum millia nonnunquam ſumma donativi excreſcat: memorat quoque eleemoſynas *Sanctæ Campi*, ut vocantur, quum ſingulis ſextis feriis in ſingulos pauperes, quorum plures quam bis mille, ſeſquilibra panis, & vini vaſculum (vulgo ſoglietta) liberaliter diſpenſetur. Verbo adjicit ingentes ſumtus in bellum Turcicum Imperatori Romano & Chriſtianis Regibus ſubmiſſos, quos nec ipſi Mahumetani ignorare poſſint. Capite XII *Jejunium* Mahumetanorum ut abſurdum & ridiculum notatur, qui quotannis certo Lunari menſe (is autem variat & per omnes anni ætates promovetur) ab aurora in noctem nihil edunt, nihil bibunt, nec faciem aut nares vel caſidiſſimis diebus abluunt, ne forte gutta quædam ad ſitim reſtinguendam adſpergatur: noctes autem illius temporis comedendo, ingurgitando & libidinibus impure indulgendo tranſigunt. Capite XIII *Peregrinationis* Meccanæ ſtoliditas ex eo demonſtratur, quod credunt Mahumetani, ab Adamo inſtitutam eſſe, cujus in Mecca templum, diluvio ingruente, in Paradiſum translatum fuerit: quod vero nunc ſupereſt, Abrahamum & Iſmaelem juncta opera condidiſſe. Leges quoque, peregrinantibus obſervandæ, abſurdæ & ridiculæ eſſe oſtenduntur, v. gr. abſtinere illo tempore a mactatione animalium venaticorum, aut occiſione pediculorum, formicarum, muſcarum, locuſtarum; cum tamen non prohibitum ſit milvium, corvum, lupum, pulicem vel culicem necare. Deinde commemoratur, non tam religionis, quam lucri cauſſa peregrinationem illam a plurimis iniri, quod permiſerit Mahumetus, divitias in ea per mercaturam acquirere: quoſdam etiam id ſacrum iter ſuſcipere, ut pœnas Principi debitas hac occaſione effugiant. Opponit Auctor Pontificiorum peregrinationes in ſancta loca, & ad Apoſtolorum aliorumque Sanctorum corpora inſtitutas, inprimis eas, quæ vel ſingulis annis Romam circa Paſcha ſuſcipiuntur, ubi per paucos dies, circiter triginta millia peregrinorum conveniant, nimirum tot fere, quot ad peregrinationem Meccanam concurrunt: vel Jubilæo, hoc eſt, vigeſimo quinto quoque anno, maxima frequentia celebrantur, in quibus illam potiſſimum laudandam ducit, quæ ineunte hoc noſtro ſeculo, ſub Pontifice Clemente VIII, terdecies centena millia peregrinorum numeravit.

Et hactenus quasi de fundamentis religionis Mahumetanæ: sequitur de aliis istorum moribus, quos non minus vel omnes vel plurimos ad religionem referre consueverunt, ut Cap. XIV de *prohibitione vini* & *ludi*, quam Auctor non propter damna, quæ inde manare dicunt, sed castrensis sumtus minuendi caussa a Mahumeto sancitam esse autumat: Cap. XV de *Circumcisionis* præcepto, quam Mahumetanis tantum distinctionem ab aliis gentibus esse dicit, non sanctitatis ac religionis sacramentum; atque ideo ab ipsis etiam adsumtam, ne manente præputio sordes contrahantur, quibus se ineptos ad orationem reddi existimant. Nec causæ quicquam Mahumetum sanctioris habuisse, cur rem a Christo & Apostolis, quorum auctoritatem non contemnit, abrogatam in usum revocaret, quod etiam de *discrimine ciborum*, de quo Cap. XVI disputatur, ex Auctoris monito repetendum est. De *sacrificio* Meccanæ peregrinationis, quod in Valle Mina faciunt Mahumetani, Cap. XVII respondetur, impurum illud esse, quia immundum animal, a Mose prohibitum, camelum cum aliis mactent, idque non in templo aut ara, nec per legitimos sacerdotes, sed promiscue & confusim perficiant. Sequentia Capita de aliis sanctionibus agunt, quibus suos errores Mahumetus admiscuit, ut de *Jure Talionis*, de *Juramento*; & ubi gravius ille erravit, de *Repudio* ac *Polygamia*, quorum utrumque contra jus Naturæ esse noster Auctor ostendit, hanc etiam contra omnes fines instituti a Deo matrimonii, primarium, propagationem sobolis; & secundarios, adjutorium mutuum ac libidinis exstinctionem. Nec enim populosiores gentes polygamas esse, quam apud quas monogamia servetur; nec ipsum Mahumetum ex tot uxoribus, quas habuit, multos libros genuisse. Adjutorium vero rixis & æmulationibus impedirj, & libidinem incendi magis, quam exstingui, materiæ & occasionis abundantia, non secus ac hydropicis quo plus potæ sint, plus aquæ sitiantur. Accedit de *Bello pro religione*, de quo initio mollius Mahumetus sensit diversis Alcorani locis: postea potentior factus acerbius decrevit contra Infideles, hoc est omnes, qui Alcoranum pro divino non recipiant: nec tamen hoc religionis zelo statuisse, ex Sura IX v. 30 convincitur, ubi tamdiu pugnandos hostes profitetur, donec solvant tributum & subdant se imperio, nullam religionis mentionem ibidem faciens. Interim postea

suasi omnes Turci sunt, concessum sibi esse ex Alcorani lege, non credentes ad Mahumetanam fidem vi & armis cogere, quod noster Auctor in nulla religione licitum esse negat. Sed ipse præsagit fore, qui sibi Catholicos Reges objiciant, ab Romano Pontifice certis gentibus dotatos, quas ad Christianam fidem pertraherent. Respondet dubie, aut non justam a Pontifice coactionem esse, ad verba diplomatis Alexandri VI provocans: aut ministros Hispanos potuisse gentes, suo Regi subactas, ad deserenda idola, & quæ contra naturam sunt, cogere: aut Pontificem, tanquam Vicarium Christi potuisse gentes, Ecclesiæ nondum subjectas, quod contra jus naturæ viverent, carnibus humanis vescentes & alia abominanda facientes, intra limites naturæ per vim coercere. Cæterum septendecim seculis semper ita ab Ecclesia observatum fuisse, ut modo, quem Christus docuit & Apostoli observarunt, non per arma aut temporalem potentiam, gentes ad Ecclesiam perducerentur. Cap. XXIV refutantur, quæ pro *privata vindicta* Mahumetani proferunt: Cap. XXV, quæ de *disputatione circa Religionem*, quam fugiendam esse Mahumetus præcepit, causæ suæ haud dubie diffisus. Et dum gloriantur Mahumetani dilatatione suæ religionis & diuturna duratione, indeque divinæ originis argumentum petunt, quod, quæ non ex Deo sunt, cito opprimantur; ad id Noster respondet, justas Deo causas esse, quanquam nobis non semper cognitas, cur impietatem in aliis etiam gentibus longo tempore toleraverit: ex iis, quæ pateant, præcipuam esse ejus *μακροθυμίαν*. Hinc felicitatem suam jactitantibus Augustissimi LEOPOLDI victorias opponit, quem putat toto Orientis imperio Turcos deturbaturum fuisse, *nisi Christianorum perfidorum armis adjuti illi fuissent*. Cap. XXVI *obscenas leges* Alcorani, maxime circa conjugii usum, (de quarum una etiam Cap. II. egerat,) & alias impias sanctiones perstringit. Cap. XXVII seu ultimo, quod longissimum est, *fabulosa* & *superstitiosa* ex Alcorano collegit, quæ secundum ordinem Surarum & Signorum sive versuum enumerat, & falsitatis singula convincit. Totam enim Historiam Veteris Testamenti, de Creatione, Adamo, Abrahamo, Josepho, Mose, & aliis, passim fabulis putidis Mahumetani depravant, partim ex Talmude desumtis, partem autem majorem ex mendacissimo Pseudoprophetæ ingenio natis, & impudentissime ab eodem promulgatis.

CAMPEGII VITRINGA SACRARVM OBSERvationum liber tertius.

Franequeræ, apud Joh. Gyselaar, 1691 in 4. Alph. 2. pl. 9.

Priores duos optimi eruditissimiq; Operis libros in *Actis* A. 1689, pag. 588, & 609. fuse recensuimus. Jam *tertium* paucis percurremus.

Cap. I. In hoc libro clarissimus Vitringa disquirit primo, quid sit τὸ μαρτύριον Θ Χριστῦ, *1. Cor. I, 6.* Intelligitque illud, quod Christus ὁ Ἀμὴν, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς καὶ ἀληθινὸς *Apoc. III, 14.* de se ipso verbis operibusque perhibuit *Joh. VIII, 12. 14. 18.* Observat igitur ex Talmudistis Rabbinisque, omnem (שטר) *tabulam contractus* coram Judicibus fuevisse agnosci ac signari ab Authore, deinque etiam a variis testibus, tum denique βεβαιοῦσθαι ac confirmari a judicibus hac subscriptione: שטרא דנן נפק קדמנא ואסהידנו מלתי ופלוני על חתימת ידיהו ואשנהו וקיימנוהו *Contractus hic prodiit in conspectum nostrum, testantibus N. & N. subsignatione manuum suarum, unde confirmamus & stabilimus illum.* Sic (inquit Noster) animus hominis est tabula. In hoc consignatur scriptura, *Christum esse lucem mundi*, dum eam audit. Ut autem fide recipiatur, accedit Christus, qui ait, se dicti & verbi illius *testem* esse, & *a Patre suo missum, ut id testaretur.* Subscribit id Deus *Pater*, voce coelitus emissa. Subscribunt testes alii *Moses, Prophetæ, Apostoli*; quin & ipsa *opera* Christi, quæ ut totidem personæ heic considerantur. Hæc est βεβαίωσις μαρτυρίας Χριστῦ ex parte testium. Sed nondum sufficit. Erigit igitur homo בית דין *Domum Judicii* vel tribunal in conscientia sua. Nam *Deus hominem facit in scriptura* JVDICEM *sui testimonii.* Citat ergo ille testes. Conferuntur illos inter se invicem; ac Spiritus Sancti ope *agnoscit*. eorum testimonia probe inter se consentire. Hinc sequitur βεβαίωσις & μαρτυρία ΕΝ ΤΩ ΧΡΙΣΤΙΑΝΩ: נפק וכו *Prodiit μαρτύριον de Christo coram me, & omnibus probe examinatis testibus, comperi, amice eos consentire; unde confirmo & stabilio illud.* Confer *Joh. Evang. III, 33. 1. Epist. V, 10. 2 Cor. III, 3.*

c. II. Proxima dissertatio occupatur circa *1. Cor. I, 27. 28. 29.* Tertia circa

circa *Psalm. LXVIII, 28.* ubi *Benjaminiem parvum* notare censet Paulum Apostolum, Benjaminitam. Mox, ut locus *1. Thessiv, 22.* illustretur, Kabbalistarum dogmata de triplici animæ parte, נפש *mente*, רוח *spiritu* & נפש *anima*, prolixe explicantur, & cum scitis Platonicorum & Peripateticorum, eo tempore a Judæa gente receptis, conferuntur. Sequitur disputatio luculenta de ἐσκυύια prava, ejusque ratione formiali, objectis atque effectibus. Inde ad textus S. Scripturæ digreditur Noster, in quibus, pro לא *non*, Maso rethæ legi jubent לן *ipsi*. Hisque consensit, præcipue circa *Exod. XXI, 8.* אשר לא יעדה & *1. Sam. II, 2.* ולא נתכנו עלילות & *2. Reg. VIII. 10.* לך אמור לא חיה תחיה והראני יהוה כי מות ימות: ubi, post prolixissimam variarum sententiarum discussionem, vertit: *Vade, dic* modo (κατ' ἐπιτροπὴν) *ipsi*, (uti quidem scio, velle te Regem alloqui, quodcunque etiam a me responsum acceperis:) *VIVENDO VIVES; Deus tamen mihi ostendit, illum certo esse moriturum.* Cæterum, quum clarissimus Author in hæc verba peroret: *cui magna commentariorum supellex est, is absque dubio expositionis nostræ patronos inveniet; si pulverem non vereatur discutere*; non inutile fuerit indicare, tantundem haberi in notis Fr. Vatabli ad Biblia Tigurina A. 1605 Hanoviæ impressa, citatis etiam ad h. l. a *Matthæo Polo* in Synopsi Criticorum. c. III. c. IV. c. V. XIII. c. XIV. c. XV. c. XVI.

Defendit porro Keri Masorethicum, *Jes. IX, 2.* לא הגדלת השמחה & legit לן; obiter etiam conjecturam affert, LXX. interpretes אל גבור, (quia reddunt: Ἄγγελον,) accepisse pro גבריאל *Gabriel*, quod est nomen *Angeli*. Nec Masorethis assensum negat quoad *Jes. LXIII. 9.* בכל צרתם לא צר & *Psal. C. 3.* ולא אנחנו. Vehementer item contendit, *Jes. XLIX. 5.* legendum לשובב יעקב אליו וישראל לן יאסף: *ad reducendum Jacobum ad ipsum, & Israelem Ei congregandum.* Sub finem inquirit causas lectionum variantium in לו & לן; quas arcessit tum ab *incuria librariorum*, tum a *superstitione atque κρίσει excellentium doctorum Judæa gentis.* c. XVII. c. XVIII. c. XIX.

Inde gradum promovet ad τὰ ἀῤῥήτως ῥήματα ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι *2. Cor. XII. 4.* i. e. (juxta Vitringam) non quidem, quæ efferri non possent, sed quæ vel nondum a Paulo ulli prolata essent, vel quæ dicere ulli hominum Paulo haud licuerit, Vocem c. XX.

cem enim ἀνθρώπῳ non tam conſtruit cum ἐξὸν, quam cum λαλῆσαι, quod ſane Dativum objecti perſonalis adſciſcit *Joh. VIII, 40. XVI, 1.* Per modeſtam conjecturam aſſequi itidem tentat, cujus argumenti fuerit cœleſtis illa revelatio. Nimirum in hac ſententia eſt, fortaſſis tunc Paulum edoctum fuiſſe, de *gradu gloriæ* ſibi in communi vita æterna præparato. De hoc enim omnino gloriari potuiſſet; hoc ſe ſolari adverſus afflictiones; hunc denique ſilentio premere, eo quod non pertineret ad *conſilium DEI* de univerſali fidelium ſalute, *Act. XX. 27.* ſed ſpeciale tantum eſſet ſolique Paulo deſtinatum beneficium.

§. XXI. Curatius jam dicendum eſt de hypotheſi quadam Authoris noſtri, quam pro clave totius epiſtolæ prioris ad Corinthios haberi cupit, quamque, ceu ſpecimen conjecturarum ejus, fuſe ſatis repræſentabimus. Pauli verba ſunt c. I. verſ. 11. 12. *Declaratum enim eſt mihi de vobis, fratres mei, a domeſticis Chloës, quod lites ſint inter vos. Hoc autem ait quemque veſtrum dicere: Ego quidem ſum* Pauli; *ego vero* Apollo; *ego vero* Cephæ; *ego vero* Chriſti.

Hinc patet, (uti Vitringa adſeverat,) revera in quatuor partes ſciſſam fuiſſe Eccleſiam Corinthiacam, in *Pauliſtas, Apolliſtas, Cephitas* & *Chriſtianos*. Neque enim hæc nomina figurata tantum cum Theodoreto exiſtimanda ſunt ob locum *c. IV. v. 6.* ac ſi ſchiſmatis Authores ſuis nominibus indigitare noluiſſet, adeoq; ſuum collegarumque *Apollo* ac *Cephæ* nomina μετασχηματίσας ſubſtituerit Apoſtolus. Verba enim: ταῦτα δὲ μετεσχημάτισα εἰς ἐμαυτὸν καὶ Ἀπολλῶ δι' ὑμᾶς, non reſpiciunt remotiora illa, ſed immediate præcedentia, *c. III. & IV.* miniſtros omnes evangelii eſſe ὑπηρέτας Χριστοῦ καὶ οἰκονόμους μυστηρίων Θεοῦ, id quod etiam Apoſtolus in ſe & *ſuneργον* Apollo *transfert*, ne communi miniſtrorum ſorte ſeſe exemiſſe & pro authoribus religionis venditaſſe videantur. Ut ergo anſam & fundamentum ſchiſmatis illius, pro ἀγχινοίᾳ, qua pollet, σχολαστικῇ, detegat Vitringa, obſervat, prius Paulum Corinthi docuiſſe veritates Evangelicas, *Act. XVIII, 1.* deinde demum *Apollo* Epheſo Corinthum in Achaja iviſſe, ibique idem Evangelium prædicaſſe, *Act. XVIII, 27. XIX, 1.* Ex his illum ſimplici ſermone uſum, abſque figuris & ſyllogiſmis logicis, ut in rudibus gentilium animis certa fidei *fundamenta jaceret, c. III, v. 10.* id quod ei vocatur

lac po-

lac potandum dare c. III. v. 1, & plantare c. III. v. 6. Atque sic simplicioribus perplacuit Paulus. Hinc nati Pauliſtæ. At *Apollos* in eadem veritate Corinthios confirmaturus, non adeo urſit prima fidei fundamenta, ſed potius ex ἀλληλεχία & ἐυλογιλία omnium Scripturarum, modo oratorio aut dialectico, illuſtravit, atque adeo non ſimplicioribus tantum, ſed & philoſophis illa perſuadere conatus eſt. Hinc quod Paulus plantavit, id rigavit Apollos, *c. III. v. 6.* Paulus collocavit fundamentum, Apollos ſuperædificavit, *c. III. v. 10.* Erat enim Apollos ἀνὴρ λόγιος, δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς. Εὐτόνως (& *potenter* diſputando & *ornate* perorando) γὰρ τοῖς Ἰουδαίοις διακατηλέγχετο δημοσίᾳ, *Act. XVIII. 24.* Converſatus eſt cum philoſophis & oratoribus, qui etſi veritates evangelicas amplecterentur, tantum tamen carni ſuæ concedebant, ut ſimplicitatem docendi Paulinam contemnerent, *2. Cor. X, 1.10. XI, 6. 21.* Hos philoſophos Noſter eſſe putat ex ſecta מרבריים *LOQVENTIVM* i. e. *dialecticorum*, de quibus in libro *Coſri* P. V. §. XV. p. 356. prolixe agitur. Eidem ſectæ olim addictus fuiſſe Vitringæ creditur Apollos. Λόγιος enim *Act. XVIII, 24.* (a λόγος ſermo) coincidit juxta eum cum מרבר *LOQVENS.* Et, quæ philoſophis illis in *Coſri* tribuitur, חכמת הרבריים *ſapientia verborum*, Paulo dicitur, ſi Vitringam audias, Corinthi vigens σοφία λόγου *1. Cor. I, 17.* item λόγος *c. IV. v. 19.* Quemadmodum etiam de Loquentibus ſuis Autor Coſri inquit: ואפשר שתפסיד חכמת הרברים הרבה מאמונות האמת *Fieri poteſt, ut SAPIENTIA illa VERBORVM multa credenda vera corrumpat & perdat*; ita de חכמי σοφοῖς Corinthiis ſimilem querelam profert Paulus *2. Cor. X. 4. 5.* His ergo Philoſophis placuit Apollos, unde ab eo potius, quam a Paulo, denominari amarunt, Nec ſchiſmatis eapropter reus efficitur Apollos. Quia non magis fuit in culpa, quam Paulus & Barnabas, cum pro Mercurio & Jove ab idololatris haberentur, *Act. XIV, 12.* Porro *Cephitæ* erant Judæi converſi, qui gentibus prædicationem Evangelii & Chriſtum ipſum invidebant, temere ſic imitati Cepham ſive Petrum, qui & quandoque alieniore erat animo a converſione & converſatione gentilium. Et ſicut Petro & Paulo mutuæ quædam lites interceſſerunt, *Gal. II.* ita & hi ſoli Cephæ addicti contemnebant *Paulum* & *Apollo*, tametſi ille non minorem *maximis Apoſtolis* ſe eſſe, ex vero gloriari potu-

rat, *2. Cor. XI. 5.* Horum potiſſimum cauſſa ſolvuntur dubia quædam *1. Cor. VIII.* & *IX.* Qui vero ſe CHRISTI dicebant, hi, Vitringæ ſententia, fuere *omnium ſimpliciſſimi, qui ſatis diſtincte de Chriſto non informati eum cum doctorum ejusmodi ſectu confuderunt.*

Sed ne prolixi nimis videamur, reliqua voluminis hujus argumenta breviſſimis indicabimus, utque ſitim ſuam, quam ex tenui rivulo noſtro reſtinguere nequit, ex ipſo fonte levare velit, Lectorem benevolum hortamur.

c. XXII. Agit ergo mox Noſter de phraſi: *Baptizari in nomen alicujus*, collata cum locutionibus Hebræorum de baptiſmo *proſelytorum* vel

c. XXIII. *ſervorum* Diſquirit, an Altare Jacobi in caſu recto appellatum fuerit אל אלהי ישראל *DEUS, DEUS Iſraelis, Gen. XXXIII, 20.* Poſtquam autem multa pro affirmativa diſputavit, tutius eſſe opinatur ellipſin ſtatuere: אל אלהי ישראל (מזבח) i.e. *(Altare) DEI, DEI ISRAEL.* Verba *Pſalm. XIX, 4.* אין אומר ואין דברים

c. XXIV. בלי נשמע קולם vertit: *Non eſt dictum, & non ſunt ſermones*, quorum (nam vox אשר ἐκλάπτει) *non auditur vox.* i. e. Cœli non ſunt inintelligibiles doctores, ſed vox ſingulorum ſermonum abs eis dici ſolitorum ſatis bene percipitur ab univerſis illis, quotquot non

c. XXV. præfracte aures obturant. Locum tandem *1. Theſſ. II. 6.* Οὔτε ζητοῦντες ἐξ ἀνθρώπων δόξαν, οὔτε ἀφ' ὑμῶν, οὔτε ἀπ' ἄλλων, δυνάμενοι ΕΝ ΒΑΡΕΙ ΕΙΝΑΙ, ὡς Χριστοῦ Ἀπόστολοι, interpretari jubet: *Neque quærentes ex hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis, cum poſſemus eſſe IN GLORIA, tanquam Chriſti Apoſtoli.* Quia enim כבוד apud Ebræos deſcendit a כבד *βαρὺς gravis*, & tamen notat δόξαν, ſive βάρος δόξης gloriam vel gloriæ pondus, *(2. Cor. IV. 17.)* Vitringa autumat, & βάρος coincidere cum δόξη, & εἶναι ἐν βάρει idem eſſe ac εἶναι ἐν δόξῃ, *2. Cor. III. 7.*

Sub calcem libri rejiciuntur tum *Oratio* de impedimentis propagandi hoc tempore Chriſtianiſmi, dicta Kal. Jul. 1691. tum *Indices* locorum Scripturæ, vocum Ebræarum & Græcarum, præcipuarum denique rerum.

Cæterum cum *quarti* etiam Sacrarum id genus Obſervationum voluminis in tertiæ hujus partis præfatione ſpes certa facta fuerit, rogandus eſt enixe celeberrimus Autor, ne has ſuas Meditationes diutius ab Orbe erudito deſiderari patiatur; præſertim cum

præter

præter doctrinam de *filia vocis* & de *potestate summi Synedrii Judaici circa controversias religionis finiendas*, quæstionem non parvi momenti accuratius se expensurum promiserit: *an, quæ in Talmude depingitur forma Reipublicæ Judaicæ unquam, sive ante sive post captivitatem Babylonicam apud Judæos vere obtinuerit, an potius ad exemplum Platonicæ efficta sit?* Ubi in antecessum non dissimulat, posteriorem sententiam (quæ & Theologis Batavis Criticæ Simonianæ censoribus placuit) maxime sibi arridere.

ANDREÆ REINBECKS LVNEBVRGENSIS Doctrina de Accentibus Hebræorum. Accessit Hermanni von der Hardt Dissertatio de Accentuatione.

Franc. & Lipſ. apud Nic. Forſterum 1692. in 4. Alph. 4.

ETsi in amplissimo Philologiæ campo florente literatura sacra, *Accentuum Hebraicorum* naturam sedulo hactenus excusserint viri doctissimi: uberrimam tamen segetem aliis se reliquisse, ingenue sunt confessi; maxime, cum origines rerum antiquarum repetere, laboris & ingenii opus sit haud exiguum, quod uno alteroque non constet anno, quin & fortunæ quædam sibi vindicet præsidia. Quod sentiens Reverendus Dn. *Andreas Reinbeckius*, fontes Hebræos cum cura scrutatus, Accentuum Hebræorum vim atque indolem explorare studuit sollicitius. Reperitque singularem eorum naturam & usum peregregium: *Notari* omnino *accentibus distinguendas orationis partes*, ied ita, *ut situs eorum varius, forma multiplex, & magnus numerus, diversum loquentis affectum, vel præcipitem vel tardum designent, & vivæ simul pronunciationis moram & formam doceant.* Publicæ igitur luci hanc Hebraicorum Accentuum lucem daturus, *exemplis* clarissime hoc tradi posse conjecit. Ingentem vero sacrorum locorum molem expositurus, & designatum accentuum usum demonstraturus, *generalia* quædam *momenta* præmittenda judicavit. Quare *Cap. I.* De Accentibus *Tonicis* & *Euphonicis* disserit. *Cap. II.* Dominorum *absolutorum* indolem exponit. *Cap. III. Conjunctivorum*, & *linea Maccaph* vim tradit.

Cap. IV. Distinctivorum *minorum* naturam declarat, *Cap. V.* Distinctivorum *majorum* locum & officium designat. *Cap. VI.* Variam *membrorum*, majorum vel minorum, parium vel inæqualium, etiam ratione parenthesium, *consecutionem*, magna solicitudine longoque exemplorum catalogo prosequitur. *Insuetum* quoque eorum omnium *situm*, affectus singularis latentis vestigia & indicia exhibere, in singulis capitibus monet, & pluribus *exemplis* magno studio selectis confirmare allaborat. *Cap. VII.* De *duplici accentuatione* agit, quæ vel in eadem voce vel pluribus datur. Et dum in pluribus contingit, vel ad unam alteramve propositionem restricta est, vel per totum versum se diffundit. In qua geminatione emphasin latere affirmat. *Cap IIX.* Superiorem doctrinam *XIII. Regulis* comprehendit, & ex singulis *Consectaria* elicit. Rem vero omnem magis declaraturus, ingentem dictorum cumulum ad normam illam examinat, & accentuum situm ac officium, instituta *analysi*, in illis demonstrat. Posthæc ad nobilissimam operis partem transit, quam *Cap. IX.* complexus est. Insignem enim Accentuationis Hebrææ utilitatem declaraturus, illum fusissime exponit *usum*, qui *in collatione Versionum cum Textu originali* se luculenter prodat. *Centum* igitur *loca* illustria distincte exponit. Exod. XIIX, 11. XX. 20. XXXIII, 19. Lev. XXVII, 2. Deut. XIIX, 14. XX, 19. Eccles. I, 5. III, 18. 21. IV, 1. V, 8. VIII, 1. 11. IX. 1. 4. 12. 17. Jos. IV, 3. VII, 10. IX, 2. XI, 11. Judic. V, 8. 11. 13. 15. 22. X, 8. XII, 4. XVII, 5. XX. 9. 1. Sam. III, 3. XIV, 42. XIIX, 18. XIX, 3. Esa. I, 11. 13 V, 24, 30 VI, 1. IIX. 23. IX, 6 X, 5. XI, 10 XV, 1. 9. XVI. 1. XVII, 3. XXIII, 7. XXIX, 4. XXX, 20. 32. XXXIII, 6. 23. XXXVII. 26. XXXVIII, 13. 14. 15. 16. XL, 2. 13. XLI, 4. 25. XLV, 3 24. LVI, 9. LXI, 7. LXIV, 4 Jerem. IV, 1. VI, 21. VII, 27. VIII, 8 IX, 2. XXXII, 11. Hos. IV, 2. VI, 9. VIII, 13. IX, 8. Joel I, 5. III, 4. IIX, 9. Psal. X, 6. 14. 15 XVII, 15. XXXII, 4 XLV, 5. XLVI, 5. XLVII, 10 XLIX, 15. L. 1. LVIII, 2. LXII, 10. LXIV, 7. 8. LXIX, 23. XCI, 2. CX, 3. 7. Dan. IX, 7. I. Chron. XVII, 17. II. Chron. III. 1. In quibus selectissimis Scripturæ locis *versiones* antiquas & recentiores ob oculos ponit, Chaldaicam, Græcam, Vulgatam, Munsteri, Vatabli, Castalionis, Pagnini, Ar. Montani, Tremellii & Junii, Lutheri, nec non Gallicam, Anglicam & Belgicam. Quas cum Fontibus collatas, & ad accentuum tenorem exactas, excutit, & vel unam ex illis probat, vel *novam*

verso-

versionem & sententiam suppeditat. Alium deinde attingit *usum Elenchticum*, contra adversarios, expositis locis Hab. II, 4. Gen. XLIX, 10. Esai. IX, 5. Jer. XXIII, 6. 33. 16. Adhuc alium *usum* tradit *in exponendis affectibus*. In Additamentis & emendationibus operi subjunctis loca alia declarat, Gen. XXIX, 9. 10. XXIII, 3. 4. 5. 6. XXI, 11. Locupleti locorum S.S. indice opus clauditur. Succedit novus Autoris tractatus, *Appendicis* charactere insignitus, *Commentatio in Prophetam Haggaum*, ad accentuum indolem composita. In *Praefatione* praejudicia quaedam modeste declinat, & suae sententiae de accentuum vi, in pronunciatione viva designanda & affectibus determinandis praesidium a R. Jehuda Levita & Cicerone repetit. Adjecta est denique *Hermanni* von der Hardt / Linguarum Orientalium in illustri Julia Professoris clarissimi, *Dissertatio de Accentuatione*, qua in primos universae accentuationis fontes inquirit. Externa vivi *sermonis* intelligendi *praesidia* a *natura* suppeditata, supponit, *modulationem* vel vivam accentuationem, in *sono* & *tono* positam, & vultus, oris atque corporis *motionem*. *Varietatem pronunciationis* vel accentuationis vivae *ex varia affectus temperie* oriri indicat. Cum *spiritibus* varie in pectore *motis organa* diversimode *afficiantur* & ducantur, ut *pronunciatio* vel accentuatio viva *interno affectui* & *spirituum motioni respondeat*. Et eam quidem *harmoniam affectuum* in pectore *& accentuationis* in oratione, *in gradibus* etiam *affectuum* illorum sese exerere monet, ut pro intensiori vel remissiori eodem affectu, accentus aut sonus in voce vel intendatur vel remittatur. Idque iterum pro spirituum vel auctorum vel imminutorum indole in pectore dicentis. Eosdemque omnino *fontes* esse actionis, vel in dicente *vultus*, *oris & corporis motionis*. *Scriptionis* dein cum sermone vivo *affinitatem*, ut & utriusque *differentiam* subjungit. Cum ea omnia verbis scriptis indigitentur, quae dictis significantur, etsi & *tonus* & *sonus* nullus *actioque* nulla in oratione scripta existat. Hunc ergo scriptionis defectum *arte* supplere. *Spatia* namque aut intervalla, majora vel minora, *in scribendo* a doctis adhiberi, quae *affectuum intervallis*, vel brevibus vel longis, *in dicendo* respondeant. Atque ita diversos *pronunciationis gradus* commatum, colorum, punctorum, signorum interrogandi & exclamandi, characteribus ac imaginibus depingi. Hanc *naturae* aemulationem

tionem ab *arte* tentatam, ab eruditis sollicite in quocunque scripto quæsitam, *in una quam in altera gente* existere *nobiliorem*. *Occidentalium* ergo in scriptione artem, quoad orationis intelligendæ præsidia, primo attingit, & *pauciora* in his regionibus a doctis hactenus adhibita esse *pronunciationis* aut accentuationis *signa*, notat, & ea fere solum, quæ interstitia & intervalla sermonis aut membrorum designent. Eamque parsimoniam in *Occidentis genio* excusat, qui paucioribus signis possit esse contentus. Cum *ob rariorem ac parciorem affectuum usum, stylus planior* sit plerumque *ac simplicior*, lectori attento cognitu haud difficilis. Quin alio sermonis præsidio Occidentales nationes a natura beatas esse, quo affectuum vivorum variationem aperiant: *Dictionis* nempe *copia & terminationum* in omnibus orationis partibus *multitudine*, ex temperie corporum humidiore in his climatibus orta. Quo spectent *multi verborum modi*, Indicativus, Optativus, &c. *certi affectuum indices*; Verba participialia, adverbia, præpositiones, interjectiones, magno numero, quæ omnia affectuum sint argumenta. *Orientis* indolem, adeoque *Hebraeæ Linguæ*, in oriente natæ & cultæ, naturam in eo *convenire* cum Occidentalibus linguis, quod scriptio referat orationem vivam, illisque adeo instrumentis utatur, quibus & pronunciatio & actio decenter exprimatur. *Diversitatem* interim Hebraeæ Linguæ & Occidentalium insignem esse, ut in vivo sermonis habitu, ita & scriptionis ornatu. Climatum calidiorum æstum *corpora* reddere *ficciora* atque *ferventiora*. Unde *affectus celeriores & frequentiores, sermo parcior & concisior, actio uberior & operosior*. Penuriam ergo verborum apud Hebræos *abundantia gestuum* & *luculentiore vocis pronunciatione* abunde resarciri, natura suo caloris impetu urgente. Hinc adeo parcissimam Hebræorum orationem scriptam tanto *luculentioribus affectuum characteribus* fuisse ornandam, quanto difficilior alias foret intellectu sermo brevissimus. Ex quo fonte magna *accentuum opulentia* in textu Hebræo, quibus & mira *modulationis variatio* & flexio, & multiplex *gestuum motio*, pro majori affectuum exuberantia, effigietur. Huc & *situm* accentuum, supra vel infra voces, pertinere, prout sonus in voce vel elevandus vel deprimendus. *Figuras* quoque esse diversas, pro varia vocis figuratione. Quibus omnibus *congrua* imposita *nomina*, variam vocis modula-

dulationem indicantia. Subjuncta his *judicia Christianorum, Judæorum & Gentilium* de pronunciationis magna vi, in oratione viva habenda, vel scripta legenda, nec non de distinctionum signis & accentibus: *Quintiliani*, a *R. Jehuda Muscato* laudati, *R. Samuelis Aben Tibbon, Jacobi Ceratini, Jodoci Willichii, R. Abrahami de Balmis, R. Jehudæ Levi, R. Calonymi, R. Aben Esræ, Raschi, R. Abarbanelis, R. Isaaci Aramæ, Reuchlini, Buxtorffii & Wasmuthi, R. Judæ Muscati, R. Samuelis Arcuvolti, Erasmi Roterodami.*

A DEFENSE OF DIOCESAN EPISCOPACY.

i. e.

Defensio Episcopatus Diœcesani. Seu Responsio ad Librum Davidis Clarksonii, cui Titulus, *Primævus Episcopatus*: autore Henrico Mauritio, S.S.Theol.D.

Londini, apud Jac. Adamsonium 1691. in 8. Plag. 30.

CLarksonius, acerrimus, dum viveret, Presbyterianorum promachus, Thesin suam: *Episcopum in primis tribus seculis fuisse tantummodo Pastorem unius congregationis seu cœtus*, probare nisus erat, tum ex *Scriptura*, tum ex *Ecclesiastica Historia*.

Ex Scriptura primo imminuerat numerum illorum, qui festo Pentecostes conversi fuerunt, affirmando, Fidelium plurimos advenas fuisse, & finito festo domum rediisse; pauciſſimos autem illos Solymorum cives cœtum constituisse exiguum. Sed multa millia ad Christum conversa esse, probat *D. Mauritius* ex Actor. VI, 1 2. XXI. 20. adeoque unicam domum non sufficisse credentium cœtui arguit. Institerat *Clarksonius*, & ne ultra unius cœtus summam excresceret credentium numerus, in multitudinem Hierosolymitanorum civium, urbisque magnitudinem inquisiverat, eamque exiguam admodum fuisse, ex Josepho definiverat. Contrarium prolixe *Mauritius* probat, ubi cum numerum civium ex Idumæorum cœtibus collegisset, & civitatis amplitudinem ex *Villalpando* descripsisset, inter alia observat, Judæos majori cum frequentia ad Paschatos festum convenisse, quam ad Pentecostes aut Tabernaculorum, imo ab urbe remotis p. 11. p. 19.

p. 15. remotis fuisse dispensatum de iis duobus festis, adeoque verisimile esse, fideles plures extitisse Hierosolymorum eives, quam advenas: unde porro concludere liceat, tot millia credentium non sub uno congregari potuisse tecto; sed diversos constituisse coetus, eo praesertim tempore, cum nulla domus publica Christianis concessa esset, sed κατ' οἶκον panis frangeretur.

Aliud Argumentum petierat *Clarkſonius* ex Phil. I, 1. ubi
p. 27. Paulus Episcopis & Diaconis salutem impertit, & contra Hammondum disputaverat, qui Episcopos non urbis, sed provinciae Philippensis intelligit. *Mauritius* non defendit Hammondum, sed Episcopi vocem de Presbyteris interpretatus, admittit multos Philippis fuisse Presbyteros, non praefuisse Episcopos, verba Chrysostomi adducens; *Quid hoc? An unius civitatis multi erant Episcopi? Nequaquam, sed Presbyteros isto nomine appellavit.*

p. 31. Ad Argumentum ex Actor. XX. 17. & 28. idem reponit *Mauritius*, & Hammondi opinionem, qui Episcopos provinciae hic quoque intelligit, antiquam esse dicit, ut pote Irenaeo probatam. Objecerat quidem *Clarkſonius*, festinationem Pauli ad Pentecosten non permisisse convocationem Episcoporum ex circumjacentibus locis; sed respondet *Mauritius*, non obesse sibi hanc objectionem. In medio autem monet relinquere Scripturam, utrum Paulus pervenerit Hierosolymam indicto tempore, nec ne? idem Chrysostomo observante: *Vide illum & humana ratione moveri & cupere & festinare, & saepe non assequi.*

p. 37. Ex Ecclesiastica Historia Patrumque scriptis sequentia *Clarkſonius* formaverat argumenta. Primae Christianorum Ecclesiae, ait, unum saltim erigebant altare in templo seu *Dominico*, juxta quod Episcoporum sedes erat. Respondet *Mauritius*, & largitur morem fuisse Veterum ad unum altare offerre dona sua, & ex illo consecratum panem deferre ad alias civitatis Ecclesias, non tamen remotas, quoniam Presbyteri ibi constituti pariter panem consecrare potuerunt. (Vid. *Innocentium Papam I.* Epist. ad Decentium.) Falli Henricum Valesium, in Notis ad Euseb. H. E. L. V. c. 24. statuentem, Eucharistiam ad aliarum civitatum Episcopos missam fuisse, cum tantum ex primaria urbis cujusque Ecclesia ad minores missa fuerit. Probantibus id tum Eusebio, l. c, tum Actis Luciani

apud

apud Metaphraſten, tum Paulino Ep. I. Ex Epiſcopi *Taylorii* Tractatu de *Epiſc. Aſſert.* probaverat *Clarkſonius*, in una Diœceſi unam ſolummodo fuiſſe *Cathedram* & *Baptiſterium*, inſtitutione Marcelli P. R. qui Titulos quinque & viginti in urbe Roma conſtituerat, quaſi Diœceſes, ad commoditatem Baptiſmi, & opportunitatem eorum, qui ad Fidem ex Gentibus quotidie veniebant. Reſpondet *Mauritius*: (α) Infirmum eſſe hac in re Damaſi, iſta referentis, teſtimonium. (β) Male inde concludi, unum tantum fuiſſe in ſingulis Titulis Altare. Nam licet Baptiſterium unum multis ſufficere potuerit, (veluti Florentiæ non niſi in vetere *S. Johannis* templo adminiſtratur Baptiſmus; vid. Gloſſarium Caroli Du Fresne, qui *veteris moris inſtitutum* appellat, voce *Baptiſterium*:) non tamen pariter menſam unam diſpenſando Corporis & Sanguinis Chriſti Sacramento ſufficere potuiſſe, præſertim ubi frequentiſſimus, ut apud primos Chriſtianos, ejus fuit uſus. Denique quod Romæ in Eccleſiis nullæ fuerint habitæ conciones, facile poſſe concedi putat Autor, quoniam ſi *Sozomeno* fides, ibi ne Epiſcopus quidem in Eccleſia docuerit, & annotante *Valeſio ad Sozomenum* L. VII. c. 9. nulli ante Leonem I. reperiantur ſermones illic recitati. p. 400

Deinde unicum in ſingulis civitatibus Titulum ſeu Eccleſiam fuiſſe, probaverat *Clarkſon* autoritate *Petavii* Animadv. in *Epiphanium*, p. 276. eo quod miretur Epiphanius, Alexandriæ plures fuiſſe Titulos. Verum (ſi Mauritium audias) Epiphanius non miratur plures ibi fuiſſe Titulos; (hoc enim in omnibus paulo majoribus urbibus uſu veniebat;) ſed Titulis illis fuiſſe peculiares Presbyteros; cum vulgo, ac ſigillatim Romæ, Titulis univerſis univerſi Presbyteri communi opera præeſſent. Vide *Valeſium* ad Sozom. l. I. c. 15. p. 45.

Quum autem hic verba *Athanaſii*, Apologia II. T. I. Opp. p. 739. συνελθόντες ἐπίσκοποι πλέονν. ἐνθα βίτων συνῆλθον, in alium ſenſum detorqueat; obiter hic defendit *Mauritius* verſionem Nannii, qua evincitur, Bitonem (eundem eſſe vult, quem Latini *Victorem* appellant, quique cum *Vincentio* ad Nicænam *Synodum* a Sylveſtro P. R. legatus fuerat) congregaſſe quinquaginta Epiſcopos in templum. Obſervat quoque ex Hilario, Diacono Romano, ad I. Tim. III (inter opera Ambroſii) Romæ *ſeptem Diaconos & binos Presbyteros per Eccleſias, & unum in Civitate fuiſſe Epiſcopum. Omni enim* p. 47.

hebdomada offerendum fuisse, etsi non quotidie peregrinis, incolis tamen vel bis in hebdomada; etsi non defuerint, qui prope quotidie baptizati fuerunt ægri. Vide etiam Sozom. L. VII. c. 19. & Optatum Milevitanum L. 2. contra Parmenianum, qui quadraginta Ecclesias Romæ fuisse tempore Victoris Garbiensis, objicit. Sic Mediolanum, sic Constantinopolis, Carthago, Antiochia, Cyzicus, Edessa, Cæsarea in Cappadocia, & urbes aliæ, multas habuerunt Ecclesias.

p. 55. Capite secundo examinat Autor Adversarii sui assertionem, in pagis quoque, iisque exiguis, constitutos olim Episcopos, adeoque Episcopos veterum Pastoribus parochialibus non dissimiles fuisse.

p. 58. Primum ejus argumentum fuerat: *Hydrax & Palebisca, pagi Ægyptiaci, suos habuerunt Episcopos.* Respondet *Mauritius* ex Synesii Epistola 67, non habuisse pagos istos Episcopos, sed Episcopum, utrique præfectum, idque demum Valentis Imperatoris tempore, quo tamen illi ipsi contra Syderium, quem Synesius episcopum eis constituere jussus fuerat, protestati sint, dicendo: *Patrium esse ac Apostolicum, ut Ecclesiæ suæ sint diœceseos Erythreæ*, & precando, *ne orphani fieri cogerentur superstite Patre*, i. e. ne a Paulo Erythri Episcopo avellerentur.

p. 59. *Olbium*, (pergit *Clarkfonius*,) *pagus quoque Ægyptiacus, post Athamantem habuit Antonium Episcopum.* Respondet *Mauritius*, non aliunde constare sibi de hoc pago, neque ex Synesii Ep. 76. patere, an ibi δῆμος κωμήτης sit Populus unius pagi, an vero Populus in vicinis vicis habitans sive natio ejus generis, cujus Nitenii natio, Bubeium natio, similesque, in titulis Cornelii Balbi triumphalibus, apud Plinium l. V. H. N. c. V. Zygrin, Antiam, Schædiam, Metolen & Hypselin, quas tanquam pagos Episcopali sede conspicuos venditaverat *Clarkfonius*, civitates extitisse, aut sine largiori Diœcesi non fuisse, abunde probat Mauritius, simulque conjectat pro *Metole* apud Athanasium Apol. II. p. 189. T. I. item epist. ad Antioch. legendum *Metilin*, Pomp. Melæ l. 1. c. 9. memoratam. Dracontium & Ischyram deinde, sine territorio seu ampla Diœcesi Episcopos, objecerat *Clarkfonius*. Respondet *Mauritius*, illum Hermopoleos minoris dici Episcopum apud *Athanasium*, epistola ad Antiochum: hunc contra Canones a Constantio Imperatore constitutum fuisse Episcopum. Largitur itaque etiam pagos quos-

p. 65. dam

dam habuisse Episcopos, non tamen, ut vult *Clarksonius*, parochianos, sed diœcesanos, h. e. qui pluribus quam uni cœtui præfuerint, imo & civitatibus. Haut enim aliter fieri potuisse, quandoquidem in Ægypto seculo quarto saltem centum fuerint Episcopi, oppidorum autem ac pagorum multa millia, utpote quorum numerus Ptolemæorum tempore, juxta Theocritum Idyll. 17. triginta & tria millia complectebatur, nec forte sub Imperatoribus Romanis imminutus valde fuerat.

Arabiam, Syriam, Cyprum, Armeniam, Asiam minorem & Occidentis regiones, quas magna cum diligentia pervagatus erat *Clarksonius*, ut pagos inveniret Episcoporum sedes, simili studio percurrit *Mauritius*, ubique aut non pagos, aut territorio laxiori non destitutos fuisse, ostendens.

Sed nec pagis modo, verum etiam monasteriis peculiares Episcopos fuisse Clarksonius urserat, in exemplum adducens ex *Sozomeno* l. VI. c. 34. *Barsen*, *Eulogium* & *Lazarum*. Respondet *Mauritius* (α) Monasteria non ante seculum IV. exorta; ergo horum, si qui fuerint, Episcopos docere non posse, qualis fuerit Episcoporum primæva institutio & diœcesis: (β) *Barsen*, *Eulogium* & *Lazarum*, juxta Sozomenum, non revera, sed nominetenus tantum Episcopos fuisse. p. 145.

Quæ ex *Epiphanio*, subscriptione Concilii *Chalcedonensis*, *Theodoro Lectore* & *Spelmanno* pro Episcopis monasteriorum produxerat *Clarksonius*, ea mendosæ lectionis arguit *Mauritius*. p. 146.

In Hiberniam tandem deveniens *Clarksonius*, ex *Usserio Nennium* allegante probaverat, S. *Patricium* 365 Ecclesias erexisse, & totidem constituisse Episcopos. Regerit *Mauritius*, exiguam esse Nennii fidem. Numerare quidem 350 sanctos & episcopos Catalogum sanctorum Hiberniæ pervetustum ab Usserio Antiquit. Britann. p. 473. & 490. publicatum: complecti autem spatium annorum plus centum. Addidisse Nennium quindecim, ut numeris dierum in anno responderent, sicque otiosa gens per totum annum ferias ageret; nec observasse, Episcopos hos vel sanctos dici exortos esse de Romanis & Francis & Britonibus & Scotis; unde asserere liceat, Episcopos illos non fuisse Ecclesiis Hiberniæ præfectos, sed a sancto Patricio saltem ordinatos, quod ex *Jocelino* vitam Patricii describente, ipse docet *Usserius*. p. 158.

p.155. Cæterum ipsum *Patricium* Hibernum fictitium esse, suspicatur *Mauritius*, ac vel ex *Patricio Arvernensi* vel *Hispano* formatum fuisse a monachis, qui quondam dato nomine quocunque, mox etiam Sancti formarint scripserintque vitam.

p.157. Episcopos autem in Hibernia tantum fuisse viginti novem, cum Archiepiscopis quatuor, circa annum 1171, ex historia Henrici II. probat. Anno vero 1095, regnante *Murchertagh*, Hibernos adhuc caruisse Archiepiscopis, ex eo ostendit, quod a Cantuariensi Archiepiscopo desiderarint erectionem Sedis in Waterfordiensi provincia.

Pagis perlustratis ad Civitates perveniunt Autores nostri controvertentes. *Clarkſonius* statuerat, plurimas veterum urbes non fuisse

p.167. majores, quam mediocris magnitudinis urbes in Anglia. Contrarium non sine ironia asserit *Mauritius*. In specie quas considerant civitates sunt Emporia, Phaselis, Cucusus. Has exiguas appellarat *Clarkſonius*, ut Episcopatus parochiales ibi erigeret. Verum primam non urbem, sed urbis partem fuisse, docet *Mauritius* ex Li-

p.191. vio. Secundam tempore Pompeii fuisse exiguam, sed postea satis amplam, ex veteri descriptione orbis a Jac. Gothofredo edita docet. Ultimam tum bello tum fame incolis exhaustam fuisse illo tempore, quo Chrysostomus ibi vixerit. Vicissim, ne magnarum urbium exempla deessent, abs eo adducuntur, Roma, Carthago, Alexandria, Seleucia ad Euphratem 500000 incolas complexa & quinta parte Londinum superans, Constantinopolis, & aliæ.

p.216. De hac quidem observarat *Clarkſonius*, non admodum magnam fuisse, quia, referente Zosimo lib. 2. c. 30. Constantinus, longe majorem urbem hanc efficere cupiens, eam ultra veterem murum decem & quinque stadiis muro novo circumdederit, quæ extensio ejusmodi tantum incrementum addiderit civitati, ut duas visa sit æquare urbes. Respondet *Mauritius*, novum murum non circumdedisse veterem, sed extra eum fuisse productum, adeo, ut muri veteres a *Severo* diruti, complectentes in circuitu secundum *Dionysium* quadraginta stadia, nunc restaurati & quindecim stadiis aucti, insigne addiderint incrementum. Præterea accesserunt ad urbem hanc suburbia *Syca*, nunc *Pera*, Justiniani Imperatoris tempore civitas per se dicta; *Hebdomum*, (ubi S. Johannis templum septem passuum millibus ab urbe distans

ſtans, juxta Socr. l. 6. c. 12; P. Gyllio & Carolo du Freſne pro urbis regione perperam habitum,) *Secundiana*, *Mariana*, *Pharmaceus* ſeu *Therapea*, *Hieron* porro, *Heſtiæ*, *Michaëlium*, & *Elæa*, quæ ſingula ſufficienter evincunt, Conſtantinopolin unius Epiſcopi curæ commiſſam, plures uno aluiſſe cœtus, qui nullatenus in una congregari potuerint domo. p. 218.

Poſt mediocres civitates, majores etiam produxerat *Clarkſonius*, faſ- Cap. IV.
ſus graviorem hinc ſibi motum iri litem. Duo igitur juſſerat obſerva- p. 251.
ri. *Primo*, neque magnas urbes admodum frequentes fuiſſe, aut abundaſſe incolis. *Secundo*, iſi immenſo incolarum numero pauciſſimos extitiſſe Chriſtianos; ad minimum plures non fuiſſe Chriſtianos, quam qui parochialem Epiſcopatum facerent. Exempli gratia adduxerat Laodiceam, Neocæſaream Cappadociæ, Heracleam, & tandem Sebaſten, quam Herodes 6000 replevit incolis, ut maximis civitatibus par p. 257.
eſſet. Reſpondet *Mauritius*: Tres priores credi infrequentes fuiſſe, non probari, imo contrarium ex Hiſtoria liquere; Laodiceam terræ motu concuſſam partem civium perdidiſſe, ſed recuperaviſſe poſthac; & Sebaſten ſexies mille cives continuiſſe ſat numeroſam extitiſſe, ſi patribus familias adnumerentur uxores, liberi, ſervi. Secundam ſuam p. 270.
obſervationem probaverat *Clarkſon* urbibus Palæſtinæ, Syriæ, &c. in quibus & Conſtantini tempore multi adhuc fuerint Gentiles. In genere reponit *Mauritius* verba *Maximini* apud Euſebium l. IX. H. E. c. 9. *cunctos fere homines relicto Deorum cultu ad Chriſtianorum ſectam ſe applicuiſſe*; unde arbitratur conſtare, quod *Deus fecerit multiplicari fideles, Iſraelitarum inſtar, & roborari ſuper inimicos ſuos*. Deinde ad *Gazam* & *Cæſaream*, quas urſerat *Clarkſon*, reponit Noſter, hujus Diœceſin plures continuiſſe Eccleſias, teſte Epiſtola Conſtantini ad Euſebium apud Theodoretum l. I. c. 15. ſcribentis, *quotquot Eccleſiis ipſe* p. 275.
præes: illius Epiſcopum Silvanum *Eccleſiarum* dici *Epiſcopum* apud Euſebium l. 8 c. 15. Ad *Emeſam* Metropolim reſpondet, tempore Juliani Eccleſiam recens ædificatam Baccho conſecratam fuiſſe, non ob paucitatem Chriſtianorum, ſed violentiam Tyranni. *Theod.* l. 3. c. 7. Quæ de ipſa *Roma* Gentilibus referta dixerat *Clarkſonius*, & furore populi in circo, *Chriſtiani tollantur*! duodecies clamantis ex Baronio ad A. 301. §. 18, & Centuriatoribus, Senatum, Nobiles & alios plurimos, gentiles in quarto ſeculo fuiſſe perhibentibus, probaverat, p. 288.
Euſebii teſtimonio refutat Noſter. Hic enim ait, *Maxentium Fides*

Christiana professionem simulasse, ut in eo morem gereret blandiretur-que Populo Romano; H. E. L. VIII. c. 14. Hinc descendit ad enarrationem civitatum, quarum non aliquot tantum cives, sed omnes ferme incolæ ad Christum conversi fuerint, quales sunt *Edessa Osroenorum*, *Neocæsarea in Ponto*, *Nisibis*, quam odio Christianæ fidei Julianus a Persis defendere noluit, imo ne quidem intrare, *Samosata*, *Majuma* (Gazæorum portus a Constantino M. urbs redditus) *Constantina Gazensium* & *Antiochia Syriæ*, in qua Sacerdos Ethnicus sacrificaturus, nemine assistente, hostiam ipsemet adduxit & obtulit, & de qua Julianus Apostata questus est, Senatum adeo pauperem factum esse, ut ne hostiam quidem emere potuerit, uxoribus Senatorum omnes divitias *Galilæis*, h. e. Christianis impendentibus. Vid. Misopogon Juliani. *Constantinopolim* his quoque annumerat; hæc enim teste Sozomeno l. II. c. 3. *nec aris unquam*, *nec templis*, *nec sacrificiis Gentilium fuit inquinata*.

Clarkſonius, ut tanto felicius Christianorum numerum extenuaret, voluerat præterea observari, Judæos & Hæreticos
p. 298. maximam partem civitatum magnarum impleviſſe. Hic opponit *Mauritius* Augustinum de *Util. Cred.* dicentem: *Plures jam Christiani sunt, quam si Judæi simulacrorum cultoribus adjungantur.* Argumenta autem ex Josepho petita tanquam præcocia, h. e. ætatem Christianorum præcurrentia, rejicit. Ex Socrate, Epiphanio & aliis admittit verum esse, quod in Palæstinæ urbibus Episcopi nulli exiterint. Vid. Epiphan. Hæres. 30. num. 11. Corrigit hic quoque Petavii versionem, quæ in eadem hæresi §. 4. Græca Ἐπίσκοπον πλησιόχωρον τῆς Τιβεριάδος ὄντα sic reddit: *Moriens Ellel victum Episcopum Tiberiensem arcessit*: quandoquidem hic Patriarcha Ellel sive Hillel in ipsa Tiberiadis urbe vixerit, Episcopus autem, quem accersivit, in Tiberiadis vicinia fuerit.

Hæreticos Christianis numerosiores fuisse, probaverat *Clarkſonius* dicto illo Hieronymi: *Ingemuit totus orbis, & Arianum se esse miratus est.* Regerit *Mauritius*, perperam intelligi sententiam istam; non
p. 308. enim mentem fuisse Hieronymi docere, orbem totum suscepisse Arianorum doctrinam, sed ei ab Arianis Arimini in Synodo congregatis impositum esse subdolis verbis, & fraudulenta vocis *Usiæ* abolitione, quam concedentes orthodoxi Episcopi, Arianos se factos fuisse miratı sunt. Tandem quo demonstret *Mauritius*, Arianorum multitudi-

nem—

nem non æquasse Christianorum numerum, testes adducit Socratem, Basilium, alios.

In numerum deinde Ecclesiarum inquisiverat *Clarkson*, etiam magnas urbes non nisi unam habuisse, probaturus. Hinc *Bestyti* p. 314. Ecclesiam a Magno incensam ex Theod. l. 4. c. 22. adduxerat, inquiens, unam solum in urbe celebri fuisse Ecclesiam, non autem plures. Respondet Noster, morem fuisse scriptoribus istorum temporum perquam familiarem, per *Ecclesiam* in singulari intelligere Cathedralem. Exempli loco allegat Socratem l. 1. c. 14. narrantem, Gregorium Arianum ab Alexandrina sede remotum fuisse, ob incendium Ecclesiæ omnibus invisum. Hic observari vult, non dici, unam ex Ecclesiis, quanquam plures Alexandriæ fuerint, (testibus Athanasio & Eusebio) sed Ecclesiam a Gregorio incensam fuisse, scilicet Cathedralem seu Episcopalem.

Capite quinto contra *Clarksonium* disputat, qui ex numero Presbyterorum, pauperumque, item ex synecdochicis & hyperbolicis locutionibus, (quibus tota multitudo in unam confluxisse dicitur domum vel Ecclesiam) paucitatem Christianorum elicere voluerat.

Capite VI. examinat *Clarksonii* sententiam de civitatum territoriis, quæ nimium angusta fecerat, & æquaverat Anglicanis, vel Levitatum suburbiis. Hic ostendit *Mauritius*, veteres Romanorum Græcorumq; urbes amplissima habuisse territoria, neq; ut in Anglia, alienis paruisse Magistratibus, sed eundem cum civitatibus habuisse dominum & judicem. Hinc dicit factum, ut primariæ provinciarum urbes sive metropoles eligerentur in sedes Episcoporum, quo regionis incolæ, tanquam cives ad audiendum Judicem suum politicum, & tanquam Christiani ad discendum ab Episcopo suo, huc commearent.

Diœceses autem amplas Episcopis fuisse concessas, probat Canone Apostolorum 34, Concilii Nicæni octavo, Antiocheni nono, item decimo &c. qui singuli pagorum & provinciarum meminerunt, in quibus non liceat quicquam Episcopo inscio peragere. Probat etiam exemplis, Cyrensis, Hipponensis, Cæsariensis, Tyanensis & aliorum tum Orientis tum Occidentis Episcopatuum. Plura omnino essent recensenda ex eruditissimo hoc libro, sed specimen tantum, non compendium illius hic dare voluimus. Optamus potius, ut in-

ut interpretem is Latinæ Anglicæque linguæ probe peritum propediem reperiat.

LIBRI NOVI.

A Commentary on the Prophecy of Joel, by Edvvard Pococke. Oxford 1691. Fol.

Librorum Manuſcriptorum in Bibliothecis Teniſoniana & Dugdaliana Catalogus. Oxonii 1692. in 4.

Experimenta circa Mechanicam variarum particularium Qualitatum Originem &c. auth. Roberto Boyle. Londini 1692. in 8.

Dioptrica nova. A Treatiſe of Dioptricks, by William Molineux. Lond. 1692. in 4.

Remarks upon the Eccleſiaſtical Hiſtory of the Antient Churches of the Albigenſes, by Peter Allix. Lond. 1692. in 4.

Miſcellaneous Diſcourſes concerning the Diſſolution and Changes of the World, by John Ray. Lond. 1692. in 8.

The Greek and Roman Hiſtory illuſtrated by Coins & Medals. Lond. 1692. in 8.

A Practical Diſcourſe concerning a future Judgment, by William Sherlock, Lond. 1692. in 8

Ariſteæ Hiſtoria LXX Interpretum. Acceſſere Veterum Teſtimonia de eorum Verſione. Oxon. 1692. in 8.

The Preſent State of England compleat: by Edvvard Chamberlayne. London. 1692. in 8.

Tacite avec des Notes Politiques & Hiſtoriques, par Amelot De La Houſſaie. A la Haye 1692 in 12.

Hiſtoire de Guillaume III. Roi de la Grande Bretagne. A Amſterdam 1692. in 12.

Hiſtoire des Princes d' Orange de la Maiſon de Naſſau. A Amſterd. 1692. in 12.

Projet & Fragmens d' un Dictionaire Critique. A Rotterdam 1692. in 8.

Hiſtoire de la Conquête du Mexique par Fernand Cortez, Traduite de l' Eſpagnol de Don Antoine de Solis. A la Haye 1692 in 12.

Memoires de ce qui s' eſt paſsé depuis 1672 jusqu' à 1679, par Mr. Temple. Traduit de l' Anglois. A la Haye 1692. in 12.

L' Hiſtoire d' Emanuel Philibert, Duc de Savoie, Gouverneur General de la Belgique. A Amſterd. 1692. in 12.

Inſtruction pour les Jardins Fruitiers & Potagers, par M. de la Quintinye. A Amſterd. 1692. in 4.

Deux Lettres touchant la neceſſité & l' autorité pretenduë de la Tradition, nouvellement écrites à un amy au ſujet de l' Hiſtoire Critique du P. Simon, par M. G. N. A. & P. en D. à M. A. Amſterdam, 1692. in 4.

*)o(*

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Septembris Anno M DC XCII.

HISTORIA GENEALOGICA DELLA FAMIGLIA CARAFA. Opera del Sr. Don Biagio Aldimari.

i. e.

Historia Genealogica Gentis Carafææ; autore *Blasio Altimaro*, Patritio Neapolitano, REGI CATHOLICO a Consiliis in supremo Senatu arcis Capuanæ, quæ Neapoli est.

Neapoli, accurante Antonio Bulifone, 1691. in Fol. Tomi III. Constat Alphabetis 22 & plag. 10.

HOc stupendi laboris Opus non nisi triginta annis ad umbilicum perduci potuisse, non mirabitur, quisquis vel fugitivo illud perstrinxerit oculo. Inde nempe a vigesimo ætatis anno ad quinquagesimum, non modo libros variorum autorum Genealogicos, (quorum ter centum volumina, MSCta partim, partim typis impressa possidet,) Historicorum item atque Jureconsultorum, quocunque modo illustrissimæ CARAFÆÆ GENTIS mentionem facientium, scripta perlegit Nobilissimus Autor; sed & innumera diplomata, bullas, brevia, epistolas, memorialia, protocolla, instrumenta, quæ in Archivo Regio Neapolitano tergemino, itemque Principum Roccellæ, ut & civitatum Pisanæ Florentinæque, nec non haud unius in monasterii aut privatæ sortis eruditorum cimeliis adservantur, indefesso studio pervolutavit, examinavit, ac fundamenta isthinc petiit historiæ suæ. Conquisivit etiam fere centum icones virorum fœminarumque hujus familiæ celebrium, æri faberrime incisas, quibus magnū decus elaboratissimo huic operi conciliavit.

Tom. I. p. 34. Fuerunt, qui *Carafarum* genus e *Germania* accerserent, illorumque primum autorem, a Bonifacio Germanorum Apostolo ad Christi fidem conversum, Romam venisse, obedientiam Pontifici præstiturum, dein vero Fortunarum sedem in Italia reperisse, fabularentur. p. 51. Noster, antiquitates nimium remotas missas faciens, communem istius stipitem constituit *Stephanum*, qui e matris *Carę* nomine, *Carafa* cognomen primus accepit, & ad posteros hæreditario jure transmisit. Cæterum e *Sigismundis*, (gente Pisana nobilissima, ac postquam mille fere annis floruerat, superiori seculo extincta,) sanguinem is trahebat, & eo progressus est felicitatis, ut, quam Saracenorum jugo exsolverant Pisani, *Sardiniam* insulam regio titulo possederit ad annum usq; 1040, quo, filio Ricardo successore prius declarato, vita functus est. Digna est, quam contemplandam exhibeamus, moneta antiqua, ab Altimaro publicata, ubi in antica pectore tenus visitur Rex, galea coronata, lorica item ac paludamento conspicuus, cum epigraphe: RICARDus REX SARDiniæ E KARE (Carę) FILiis. In aversa extat fœmina, diademate redimita, pallaque eleganti vestita, cum lemmate: STEFANia SOROR. Quod si hæc etymologia vera est, oportet ultimam syllabam in CARAFA decurtatam esse ex *Fante*. Hæc enim Italorum vox dubio procul ex Latina *Infante* derivatur, adeoque idem quoque seculo illo undecimo notasse videtur, etsi hodie eo sensu diminutivum ejus *fanciullo* potius adhibeatur; *fante* autem servum aut servam significet. Etnisi fallimur, id ipsum indicare voluit clarissimus Autor. Hic itaque Ricardus, Stephani Filius, circa A. 1047, Saracenis in insulam iterum irrumpentibus resistere non valens, Neapolim fugit, ubi a Duce Reipublicæ Sergio IV. supremus Thalassiarchus creatus est. Filium habuit *Sergium V*, nepotem *Joannem IV*, pronepotem *Sergium VI*, quibus omnibus successive mitra Ducalis Neapolitana obtigit. Ex his postremus, militare ausus adversus Imperatorem & legitimum Papam, Neapolitanum axioma amisit, & Pisas fugere coactus est. Fuit hic pater *Philippi* Carafæ I, *Bartholomæi I.* avus, proavus *Philippi II.* Caraccioli Carafæ, Baronis de Ripalonga, abavus *Bartholomæi II.* mortui A. D. 1362. Ex hoc & uxore ejus, *Mobilia de Montefalcione*, quotquot supersunt, *Carafæ* genus suum repetunt. Heic enim statuendum est principium duarum linearum principalium

TAB. X. Fig. 1. p. 54.

p. 65.

Cara-

Carafæarum, quarum *senior* ex *Andrea I.* Domino Fori Livii, (*Forli,*) Bartholomæi II. filio derivata, retinuit cognomen avitum *Della Spina*, i. e. *de Spina*, quam viridi colore tinctam armis etiam gentilitiis, nempe tribus fasciis argenteis in campo rubeo, situ diagonali a dextra ad sinistram, imposuit. Nam cognomen illud non seculo demum XIV natum est, cum jam A. 1197, imperante Henrico VI, *Nicolaüs Carafa della Spina* occurrat. *Junior* linea progenitorem nacta hujus Andreæ fratrem, *Thomam* (vel *Thomasium*) *Carafam*, ac cognomine *della Stadera*, sive de *Statera*, (quam eidem clypeo gentilitio, e quo tamen spina abest, exterius adjicere consuevit,) abs altera distinguitur. p. 19.

De priori agit Altimarus *tomo primo*; de posteriori *tomo II.* ut & parte anteriori *tomi III.* Utraque tot viros exhibet Principum, Ducum, Comitum, Marchionum, Equitum auratorum, itemque Cardinalium, Episcoporum, Generalium non unius Ordinis sacri titulis insignitos, aut pietatis, prudentiæ bellicæ, ac diffusioris eruditionis fama fulgentes, ut eorum numerus haud facile iniri queat. Sic ramus ille transversalis *de Statera* protulit ipsum Romanæ Ecclesiæ Pontificem *PAULUM IV.* alias *Joannem Petrum Carafam* dictum. Natum hunc esse d. 29 Jun. A. 1466, legitur *T. II. p. 107.* At indubium est, operas non attente expressisse Autoris autographon. Nam *p. 116.* refertur abs eo epitaphium, quod in hæc verba desinit: *Vixit A. LXXXIII. Mens. I. D. XXI. Obiit cIↃDLIX. XV. Kal. Septembris. Pont. sui Anno quinto.* Quia ergo obiit d. 18. Aug. 1559, necesse est, eum in hanc lucem prodiisse d. 29. Jun. 1476.

Cæterum quum Romani Pontifices privilegio infallibilitatis frui ferantur, non sine admiratione apud solius veritatis studiosum Altimarum prolixissimam relationem legas, quomodo Paulus IV. nepotes suos, Carolum Carafam Cardinalem & Joannem Carafam Palliani Ducem, feloniæ & homicidii reos non agnoverit; Pius IV. ut tales capitis damnaverit; Pius V. eorum manes in integrum quasi restituerit, atque scelerum puros declaraverit. Tom. II. p. 125. 136.

De cætero, soli hactenus *Paulo IV.* e Carafis ad thronum Pontificium aditus patuit; tametsi *Petro Aloysio Carafæ*, quum nondum Cardinalis, nec nisi Tricarici Episcopus esset, multi in Conclavi Purpurati Patres, rarissimo exemplo, Papale fastigium T. II. p. 288.

destinarint: sed frustra; consequuto id eo tempore (annus erat 1644) Joanne Baptista *Pamfilio*, sive *Innocentio X.* Quemadmodum nec *Oliverius Carafa*, Cardinalis & Archiepiscopus Neapolitanus, (verus Martis pullus,) felicior fuit, utut (si *Hieronymo Surita*, Historiæ Arragonicæ conditori fides habenda, quam heic Altimarus ei negat,) illicitis mediis viam ad Papale solium adfectaverit. T.III. p. 26.

Utut autem duodecim omnino Carafæ *galero Cardinalitio* gavisi sint; ex illis tamen, præter jam dictos, non nisi quatuor brevitatis studio memoramus. In his est *Gregorius*, (in vita seculari *Marcellus* dictus,) cujus Commentarii *in secundam Thomæ Aquinatis*, Neapoli A. 1628; *de concursu causæ primæ cum secundis*, ibid. A. 1634; *de Vesuvii incendio*, ibid. A. 1632; *de monomachia* Romæ, A. 1647, impressi sunt; *in Introductionem autem Porphyrii*, MSCti Neapoli adservantur. T.III. p. 52. Obiit Salerni die 23. Febr. A. 1675. Celebrior est *Antonius Carafa*, Rinaldi F. n. 25. Mart. 1558. † 14. Jan. 1591. Transfudit e Græca in Latinam linguam Theodoretum in Psalmos, orationes nonnullas Gregorii Nazianzeni, & sub auspiciis Sixti V. R. P. cum jam Cardinalis ac Bibliothecarius Apostolicus esset, LXX. bibliorum V. T. Interpretes. T.II. p. 455. Edidit etiam tres tomos epistolarum Decretalium Pontificum. T.II. p. 433. *Diomedes Carafa*, Joh. Francisci F. Arianensis Episcopus, ac E. R. Cardinalis, vel eo nomine mentionem meretur, quod, quum in omnium Carafarum statuas & monumenta debaccharetur vulgus Romanum, Paulo IV. R. P. defuncto, huic, licet ab eodem Cardinalitiam purpuram accepisset, inferre injuriam nemo ausus sit. T.I. p. 449. Hodienum ea dignitate fruitur *FORTVNATVS*, *tit. SS. Joh. & Pauli, Presb. Card. CARAFA*, *Episcopus Aversa*, olim *Atella* dictæ. Natus is est Hieronymo Principe Roccellæ, & Diana Victoria nepte Pauli V. R. P. parentibus; eo tempore, quo in vivis erat P. *Franciscus Olympius*, Clericus Regularis Theatinus, mortuus 21. Febr. 1630. Hic, (ut in illius vita testatur *Josephus Silos*, p. 200. edit. Neapol. A. 1685.) a matronis gravidis solebat interrogari de nomine, fœtui suo, ubi natus esset, imponendo, quo isthinc scirent, an marem fœminamve parituræ essent. Cum itaque ex doloribus, quos patiebatur *Diana* illa, partitudo instare putaretur, advocatur Olympius, & de nomine embryonis consulitur. Negat is, justum tempus adesse; quo dicto, mater, calculis curatius subductis, octavum adhuc

agi

agi menſem, quo uterum ferret, animadvertit. Nono autem menſe elapſo iterum accerſitur Olympius, & fœtui mox in lucem proditurο *Fortunati* nomen dandum pronuntiat. Omen ac nomen habuiſſe patuit, ex quo ab Innocentio XI. R. P. A. 1686. Cardinalis creatus eſt; neque Altimarus veretur thronum ei Papalem augurari.

Miſſis Cardinalibus, ad alias dignitates eccleſiaſticas nos convertamus. Numerant Carafæ in gente ſua *Legatos* & *Nuntios* Pontificios novem; *Patriarchas* duos, *Alexandrinum* unum, alterum *Antiochenum*; Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates quam plurimos. Ex his memorabitur nobis *Carolus Carafa*, Epiſcopus Atellanus, Nuntius ad Imperatorem, ob epitaphium, quo modeſtiam animi teſtari voluit, breviſſimum:

OSSA CAROLI CARAFÆ T.I p.307.
MAXIMI PECCATORIS.

Ejus frater *Simeon* hoc Meſſanenſi marmore æternitati memoriam ſui commendavit:

D. O. M.
Matri Deæ Magnæ ab Angelo ſalutatæ Tom.I.
Hoc templum Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Simeon Carafa p. 311.
ex Principibus Roccellæ S. R. I.
Archiepiſcopus Meſſanenſis, obſequens
Virgini, ſuis extruxit expenſis, pro ſuæ
In Clericos Regulares benevolentia, ac
nobilis & exemplaris urbis ornatu
idem conſeravit idibus Junii ann. M. DC. LX.

Ubi egregie fallimur, niſi verſu ſecundo, pro DEÆ, in ipſo marmore, DEI legatur. Cæterum, ut & hoc adjiciamus, fundarunt Ordinem PP. *Piorum Operariorum* Carolus Fabricii filius; T.III.f.53. T.I.f.413. *Eremitidas Theatinas* Neapolitanas Franciſcus Maria, Hieronymi filius; *Clericos Regulares Theatinos* Paulus IV. Papa. T.II.f.109.

Quod ſeculares dignitates attinet, præter duos *Reges* & tres *Duces Neapolitanos* ſupra dictos, multi *Principes*, *Duces*, *Marchiones*, *Comites*, *Equites aurei velleris* & *Melitenſes*, item *Proreges*, *Legati*, *Thalaſſiarchi*, *Cancellarii*, *Conſiliarii*, *ſummi exercituum Præfecti*, & id genus alii primi ordinis miniſtri regii, inter Carafas exiſtunt. Ac ex his quamplurimos nomine tenus laudare, non foret

dividiæ, nisi prolixiores, quam institutum nostrum patitur, esse vereremur. Lectoribus autem non ingratum futurum existimamus, si illos Carafas seligamus, qui hodienum florent, quique, licet eorum non rara in novellis publicis occurrat mentio, à nostratibus non satis bene a se invicem distingui solent. Eminet inter eos pri-
T.I.p.456. mogenitus ex primogenitis universæ Gentis Carafææ *CAROLVS MARIA CARAFA*, *Domin. Univers. Fam. Carafa*, *Branciforte*, *Barrese*, *Santapau & Speciale*, *Butera Princeps, inter Dynastas titulis claros in Regno Sicilia dignitate primus, atque in regno Castella e Magnatibus primi ordinis*, *Roccella ac S. Rom. Imp. Princeps, Marchio Licodia, Castri Veteris, Militelli & Barrafrancæ, Comes Cryptæ aureæ, Grassulati, Mazareni & Condoiannis, Patronus Prioratus Hierosol. Roccellæ, &c.* natus d. 22. Febr. A. 1651. Princeps studio linguarum, philosophiæ, oratoriæ, jurisprudentiæ, mathematumque, ac exercitiorum equestrium peritia nemini secundus. Hic enim est, cujus eruditissima atque ingeniosissima Opera toto passim orbe literario sunt nota, nec sine meritissimo elogio in Actis Eruditorum A. 1690. p. 618. A. 1691. p. 305. A. 1692. p. 47. a nobis memorata: quibus addi debet *Idiota* versio Italica, Mazzareni A. 1688. in 4. excusa, ac *Via ad Cœlum & Hebdomas Mariana* Italice conscriptæ. Ejusdem munificentiæ universa literatorum respublica editionem elegantissimi ac sumptuosissimi Operis hujus Altimariani acceptam referat; sicuti nos quoque grata mente profitemur, nec aliunde exemplaris, quo utimur, possessionem nobis obtigisse, cum id Illustrissimi atq; Excellentissimi Principis jussu ad nos transmiserit, cui multis jamdudum obligati sumus nominibus, celeberrimus Polyhistor, *Antonius Magliabechius*. Vigesimo tertio ætatis anno *Isabellam D'Avalos*, (nobilitate sanguinis non magis, quam rarissimis virtuosi animi dotibus fulgentissimam, at, quantum constat, nulla adhuc prole auctam,) thalamo induxit. Ea tempestate mortem cum vita commutavit avunculus ejus, *Josephus Branciforte*, Princeps Buteræ; unde Principatus *Buterensis* in Sicilia, una cum titulo *Magnatis Hispanici*, ad *Carafam* nostrum jure hæreditario devolutus est. Hinc tum A. 1681. & 1690. Parlamentum regni Siculi Panormum convocavit, tum A. 1684. Innocentio XI. R. P. *equum album*, quem Hispaniarum Rex, Neapolitani regni intuitu, Pontifici mittere solet, ma-

xima cum pompa obtulit. Utriusque rei notitiam ampliorem tum ex adjectis prolixioribus narrationibus, tum ex epistolis *Caroli II.* Regis, Hispanico idiomate, quo scriptæ sunt, insertis, haurire licebit.

Principis hujus Patruí sunt FORTVNATVS Cardinalis, de quo supra, & GREGORIUS, Magnus Hierosolymitani Ordinis Magister, electus d. 29. April. A. 1680, cum tertio jam ætatis mense Ordini adscriptus fuisset. Notatu digna visa est epistola *Jacobi II.* Regis nuper M. Britanniæ, ad illum data d. 24. Febr. A. 1689, qua filium naturalem, *Fitz-James*, inter Equites Melitenses sub titulo *Magni Prioris Angliæ* recipi petit. Legato enim ad Galliæ Regem Melitensi *Hautefeuillee* promiserat, se, quamprimum in regnum restitutus foret, bona illa ac reditus, quibus olim *Magnus Angliæ Prior* gavisus esset, huic iterum vindicaturum ac novis auctum. Quod quidem promissum in solo hactenus conatu subsistit. T.I.p.414. T.I.p.447.

E *Josephi* Carafæ, Ducis *Brutiani* (Bruzzano), (bello Messanensi A. 1674. famam non intermorituram consecuti; mortui autem d. 11. Apr. anno 1678.) sobole hodie vigent VINCENTIUS CARAFA III. *Dux Brutianus*, & PAULUS CARAFA, *e Ducibus Brutianis*, Invictissimi Leopoldi Cæsaris equestris militiæ Centurio. Horum patrui sunt Fr. Don CAROLUS CARAFA *Prior Melitensis*, Senescallus Marubii, Drosi & Corbellini, ac FRANCISCUS ANTONIUS CARAFA, Archiepiscopus *Anxanensis* (Lanciano) in regno Neapolitano & Episcopus *Catanensis* in Sicilia. His notior est Comes ANTONIUS CARAFA e Dominis *Fori Livii* (Forli) S. Cæs. Majestatis Cubicularius, Campi Marescallus, itemque Commissarius hoc tempore Generalis copiarum Augustissimi Cæsaris in Italia, Eques aurei velleris, &c. rebus bello adversus Turcas & alios Imperii hostes gestis clarissimus: qui e conjuge Catharina de Cardona, Marchione Castelli Novi nata, nullam sustulit prolem, æque ea ratione infelix, ac frater ejus natu major ADRIANUS VII. CARAFA, Lucretiæ Caracciolæ maritus. T.I.p.332. T.I.p.337. T.I. p.335. T.I.p.325. T.I.p.327. T.I. p.195. T.I.p.194.

Hactenus Lineam *de Spina* perlustravimus. Quoad alteram, *de Statera* cognominatam, celeberrimi evaserant, A. 1647. (tempore seditionis a Thoma Anello Amalphitano Neapoli con-

citatæ,

citatæ,) duo Martii Carafæ Ducis Matelonensis filii, *Diomedes Carafa* Dux Matelonensis, & *Josephus Carafa*; quorum ille bonorum, hic capitis jacturam tunc fecit, uterque Regi Catholico fidem suam
T.II.p.208. luculentissime approbare satagens. *Josephi* gnatus est DOMINICUS CARAFA, Princeps *Colobrarienſis*. *Diomedem* parentem ha-
T.II.p.223. buerunt, MARTIUS CARAFA Dux *Matelonenſis* (di Madaloni) eruditione non minus quam artibus sui nominis famigerabilis, ejus-
T.II.p.222. que frater germanus MARINUS CARAFA, ambo cum *Diomede*
T.II.p 266. agnato superstites, non minus, quam CAROLUS CARAFA Dux *Nojæ* & *Bojani*, ac ejus fratres NICOLAUS & POMPEJUS. Ex
T.II.p.311. alio ramo hujus lineæ supereſt FRANCISCVS MARIA CARAFA, Princeps de *Bellovisu* (Belvedere) Marchio *Antianus* (d' Anzi) Eques aurei velleris, Eruditorum Mecænas. Nec omittendus FA-
T.II.p.499. BRICIVS CARAFA, Princeps Clusianus, (di Chiusano) cum filiis *Tiberio*, *Vincentio*, *Carolo*, *Petro*, & *Fabio*; item *Hectoris* Ducis
T.III.p.105 Andriæ, anno 1686. denati, soboles, FABRICIVS, cum fratribus *Franciſco*, *Antonio* & *Carolo*. Tot tantisque Principibus viris anno superiori Carafæa Domus fulta erat,

Historiæ Genealogicæ ad finem perductæ, duplex adjicitur mantissa. Post *breve* enim *artis heraldicæ compendium*, sigillatim
T.III.p.130. agitur de armis gentilitiis Carafarum, *tribus* nempe *faſciis argenteis in campo rubeo*, & discerniculis eorundem *ſpina* & *ſtatera*. Ex quo
T.III.p.139. autem CAROLVS MARIA, princeps totius familiæ, Buterio potitus est, duodecim segmentis absolvi solet ejus clypeus, quibus partim
TAB. X. avitum, partim affinium familiarum *δεηγήματα* hac serie collocan-
Fig. 2. tur: Austria; Branciforte; Santapau; Barrese; Speciale; *Carafa della Spina*; Avalos; Aragonia Sicula; Spinello; Borgia; Vittori; Borgheſe. (Confer Tab.X.Fig.2.) Subnectuntur non pauca Symbola Heroica Carafarum, eaq; quam nitidisime æri insculpta, quorum etiam non-
T. III. p. nulla in Philippi Picinelli Mundo Symbolico reperire est. Recen-
176. Y. tissimis, iisque ultimis duobus utitur sæpe nobis celebratus CAROLUS MARIA. Horum unum exhibet *astrolabium*, cum *dioptra* & epigraphe: SUMMA HUMILIAQUE METITUR; ingenium ejus, quo rerum cœlestium terrestriumque naturam probe perspexit ac complexus est, adumbrans. Alterum repræsentat *Laurum*, cum lemmate: SEMPER VIRET; quo significatur, excellentissimum

Principem

Principem ingenii ac virtutis perpetua documenta indefeſſo ſtudio nunquam non prolaturum. Nec Symbolum ſuum ignorari paſſus eſt clariſſimus Altimarus. Quum enim, absque prævia Proregis aliusve alterius commendatione, a CAROLO II. Hiſpaniarum Monarcha Conſiliarius ſupremi Conſilii Capuanæ creatus eſſet, ſcuto gentilitio (cujus *inferior* pars tres baltheos cæruleos in campo rubro, *media* tres ſtellas argenteas in faſcia cærulea, *ſuperior* aquilam nigram in campo argenteo oſtentat, impoſitis galeæ libro aperto & enſe,) addidit is inſcriptionem e Pſalmis: *IPSE fecit nos & non ipſi nos*; quam & de DEO & de Rege intellectam cupit. T. III. p. 129.

Mantiſſa altera concernit *familias* illuſtres CCLXVIII, *affinitatis* vinculo innexas *Carafæ*; inter quas non poſtrema eſt *Pignatellorum*, ob Antonium Pignatellum, nunc INNOCENTIVM XII. ſummum Pontificem, notabilis. Antiquitatis ſane gloria paucis cedit. Nam ex ea fuit *Lucius Pignatellus*, qui jam A. 1102. Comeſtabilis urbis Neapolitanæ audivit. Omnium harum gentium teſſeræ ſcutariæ uno conſpectu in tabula ænea ſiſtuntur; metallis ac coloribus juxta Heraldicæ artis præcepta indigitatis. Accedit Arbor Genealogica Domus Carafææ longe ampliſſima, & octo fere plagulas chartæ uſualis complexa. Omittuntur autem in ea *Sigiſmundi* Piſani, *Korczacii* Poloni, & *Stigliani* illi, qui Auguſtæ Vindelicorum hodienum florent, quos ad unum communem ſtipitem referendos Altimarus paſſim docuit; quemadmodum etiam in ipſa Hiſtoria ſua tripartita de *Korczaciis* non niſi ea quæ a Simone Okolsky in Orbe Polono prælibata ſunt, de *Sigismundo* pauca, de *Stiglianis* Auguſtanis pauciſſima attulit. Nec deſideraveris indices. Adeſt enim aliquis *Dignitatum illuſtrium*, alii *Autorum* citatorum, alii *Familiarum* Carafis *affinium*, alii denique *Nominum* & *Rerum* memorabilium. T. III. p. 177-354. T. I init. T. II. p. 405.

ANONYMI DIALOGI TRES: I. DE CONSTANTIA in adverſis, II. de Dignitate tuenda, III. de Amore erga Rempublicam.

Mutinæ, 1692, apud Hæredes Caſſiani. in 12. plagul. 7.

EDidit quidem hanc Dialogorum trigam *Jacobus Cantellus*, Sereniſſimi Mutinæ Ducis Geographus, e privatis, ut titulus habet, ſchedis, viroque illuſtri, Marcello Malpighio, Innocentii XII. Archiatro dedicavit. Sed quamvis Autor latere nomen ſuum voluit, non alium tamen eum eſſe compertum habemus, quam doctiſſimum virum P. *Benedictum Bacchinum*, Sereniſſimi Mutinæ Ducis hoc tempore Hiſtoriographum. Is enim, poſtquam ab Adverſariis perpeſſus gravia multa eſſet, ac Parma, in qua urbe Diarium Eruditorum, quod Mutinæ hodie pertexit, exorſus fuerat, cedere coactus, ſolatium adverſus mala & præſidium ex Philoſophia petiiſſe videtur. Itaque erecturus ſemet atque firmaturus, libellum hunc compoſuit, Dialogi (in quo *Liberii* nomine *Bacchinus* ipſe, *Angelii* vero Rev. P. Abbas *Angelus Maria Arcionius* nuper vita functus, quem Monachum ajunt doctiſſimum atque integerrimum fuiſſe, deſignantur) forma eo fine adhibita, ut Ethopœiæ indulgeret, & facilius ſe tum infirmum, tum utcunque a morbo vindicatum exhiberet.

p.26.113. Cæterum adverſa, de quibus hic diſſeritur, trium potiſſimum ſunt generum; alia perſonam diſſerentis, nonnulla ejus dignitatem, & aliqua ipſam tangunt rempublicam. Unde obſcurum non eſt, diſtinctis malis diſtincta remedia in tribus his dialogis quæri & opponi. 46. Et in *primo* quidem ſupponit, imo conficit ex antegreſſis, jure nos triſtari ob carentiam boni, a libera noſtra pendentem voluntate: abſurde vero & ἀλόγως, ob boni carentiam, ſive ob malum, quod a libera voluntate noſtra non pendet. Jam, cum injuriæ, valetudo, deportatio, fatum imminens, & alia hujus commatis, de claſſe poſteriori ſint, juſtam dolendi cauſam, aut animi conſtantiam abjiciendi, in illis negat reperiri. Si quis obloquendi forte ſtudio dixerit, humorum conditionem in corpore, pendere ex conditione animi, & conditionem animi pendere ex humorum p 35. conditione: vel, quod eodem recidit, vitiatam humorum eucraſiam oriri ex pathematibus animi, & animi pathemata dependere ex humorum indole; ab eo committi aperte nimis circulum. Adhuc enim quæri, quid horum primo in cauſſa turbarum ſit? Illud autem eſſe procul dubio, quod, ne pathemata adſint, vel ſi adſint, ne officiant, vel p.66.101. ſi offecere, ne officiant impoſterum, præſtare valeat; id eſt, nos ipſos.

In *ſecundo* Dialogo præcipue, in quo conſiſtat dignitas, quibus cauſſis

causis vere lædatur, an de illius jactura dolendum, quousque, & quibus mediis curanda veniat, disquiritur. Observat autem Autor inter cætera, facile fieri posse, ut ipsa malorum hominum convitia ad alicujus dignitatem augendam non nihil conferant; quod & suo B. Augustino jamdudum confirmavit exemplo: *Hostes*, inquiens, *dum volentes detrahunt famæ meæ, nolentes addunt mercedi meæ*; & infra ostenditur, sæpe accidere, ut arma hostium ad reipublicæ incolumitatem prosint promovendam. Quemadmodum e contrario contingat, ut, si quis laudetur a sceleſtis, laudatæ personæ dignitati infamiæ nota suffundatur. Laudem quam incompositum vulgus tribuat, ducendam nullius pretii. Magni sæpe ponderis esse mendacium, a viro in dignitate constituto si proferri vel evulgari id contingat; apud probos etiam, quibus præconcepta de dignitate opinio pernicioſe imponat. Parerga graduum, munerum, honorum in republica, sæpenumero, vulgo cumprimis fucum facere, quod favor, obsequium præstitum, ac (utinam non!) pecunia in conferendis illis pariter, ac impetrandis multum valeant. Cæsarem patriæ libertatem evertentem, quia pro voto cesserit facinus, laudari: Catilinam, quod ausus immane sed idem nefas, auso non sit potitus, audire pessime. Quod si Cæsari Catilinæ sors accidisset, & Catilinæ Cæsaris, non dubium esse existimat, quin inter se laudis quoque infamiæque vices commutassent. Nihil officere, si cunctorum sententia pessimus habearis, testis autem factorum tuorum conscientia te laudet: rursus prodesse nihil, omnium calculo optimum haberi, si quis sibimet ipsi fuerit pessimus. Quod quidem Autori largimur tanto facilius, quo certius est, malam conscientiam laudantis præconio non sanari, uti nec bona convitiantis opprobrio vulneratur. Dignitatis curam, quæ sapientem deceat, in duobus potissimum occupari, ut nempe actus suos ita componat, ut sanam æqui censoris crisin subire nunquam vereatur: ac ut probos male de se sentientes, & præconceptis opinionibus seductos, de actibus suis sincere & absque fuco, prout res ferunt, edoceat: præsentissimum ad vitam recte instituendam remedium esse, timere semper, ne dignitatis nostræ jacturam faciamus apud probos: calumnias quidem excutiendas esse, sed eas, quæ absque periculo excuti possint; reliquas intactas relinqui oportere, diluendas tempori. Crimina refellere, honestatis nomine utique

69. 154. 73. 75. 77. p. 82. 83. 87. 91. 95. 98.

utique commendandum; recriminari autem, damnari merito: neque posteriori hoc adminiculo indigere, qui integritate fulciatur; neque dignitatis causam ullo modo juvari recriminandi libidine, sed ju-
p. 102. gulari verius & confici. Sub dialogi finem monet, magno periculo nos decipi, si putemus, nostra universorum oculos, aures, mentes-
que adeo perstringere, ut, quamprimum pro rerum humanarum conditione læti quidpiam, vel adversi nos tangit, nihil aliud cuncti,
104. quam nos cogitent, vel loquantur. Deinde, sæpe nos tristari, ubi ingentis lætitiæ materia suppetat; quem locum & supra tetigimus. Emergere enim in lucem publicam non raro decora, quæ non lacessita calumniis delituissent: uti forte magnitudinem Hieronymi non agnosceremus, Erasmo judice, nisi hæreticorum & obtrectatorum calumniis inclaruisset.

115.119. *Postremi* dialogi argumentum eo dirigitur imprimis, ut pravæ philautiæ, & ambitus suspicionem a se removeat, amorem suum erga rempublicam declaraturo: ac fatetur non deesse, qui de reipu-
117. blicæ damnis lætentur, ejusdemque incommodis, ad explendam affectuum suorum ataxian abutantur: alios de anomaliis & malis invalescentibus dolere quidem, acta perversa perstringere, de morum corruptione conqueri, verum non aliam ob causam, quam quod quæ-
124. sita remedia graduum & honorum accessiones dolentibus sint allatura; verbo, quod per threnos hujusmodi proficiatur. Sibi amorem suum in rempublicam ostendenti mentem esse longe aliam. Inde hypotheseos loco monet, quod toto cœlo differant, dolere de
125. incommodis rempublicam affligentibus, & iisdem incommodis opitulari: ad prius, amoris quidem vinculo, bonum civem non obstringi; ad posterius autem maxime. Porro, ita peculiaris
127. reipublicæ membrum esse unumquemque, ut membrum simul sit totius orbis, magnæque illius civitatis, quam universum hominum genus constituat. Quibus positis id agit ut ostendat, vicissitudinem
132. ac mutationem, in particularibus observatam rebuspublicis, optimam
130. 134. esse universo rerum ordini; perinde ut singulorum corruptio & generatio in physicis universo rerum systemati præstet, ut vigeat. Tan-
137. dem satis esse concludit, animos viresque in procurandis calamitatum publicarum remediis intendere, quam dolendo, inutili mœrore
157. tabescere: vicesque reipublicæ tamdiu æquo animo ferendas, donec

in ea

in ea ſcribamur, quæ nullas patitur. Omittimus, quæ paſſim Socratico more inſperſit Autor monita politica quamplurima: neque attingimus pulchertimos diſcurſus, qui ex Jurisprudentiæ, Medicinæ, Phyſicæ, atque Mechanicæ latifundiis ſic inſeruntur ſubinde, ut erudito Lectori & attento videantur non minori eſſe delectationi, quam emolumento poſſe. 39. 32. 52. ſeqq. 141. ſeq.

JOACHIMI HILDEBRANDI S. THEOL. D. ET Ducatus Luneburgici ejusque Comitatuum Superintendentis ſupremi THEOLOGIA DOGMATICA.

Hælmſtadii ſumtibus Georg. Wolfgangi Hammii A. 1692. in 4.

Conſtat alphabet. V. plag. 8.

D. *Joachimus Hildebrandus*, cum SS. Antiquitatum in Academia Hælmſtadienſi Profeſſor eſſet, A. M DC LVII. univerſam Theologiam XX Diſputationibus nervoſe complexus erat, easque, operam perpetui Reſpondentis præſtante Dn. *Gebhardo Theodoro Meyero*, SS. Theologiæ iſthoc tempore Candidato, deinde ejusdem in eadem Academia Doctore, & SS. Antiquitatum Profeſſore Publico, τῶν θεολογούντων examini propoſuerat. Illas, ubi uno volumine comprehenſæ, ac titulo Inſtitutionum Sacrarum inſignitæ, in lucem prodierunt, multi non ſolum Theologiæ, ſed & aliarum Facultatum Studioſi expetiverunt, ut non multo tempore exemplaria fere omnia divenderentur. Itaque Autor, deſideriis aliorum librum quærentium ſatisfacturus, viginti abhinc annis opus ſuum revidit, & nonnullis in locis auctius denuo in lucem emiſit. In animo jam tum habebat, luculentiore acceſſione librum augere, ſed concatenata negotiorum, tot Eccleſiarum ἐπισκοπὴν comitantium multitudo ac gravitas, in rem conferre non permittebat. Quantum ergo ſequentibus annis a gravissimi muneris functionibus capiebat otii, id omne pro φιλοσοφίᾳ ſua in locupletando hoc ſacro labore inſumebat. Qua ratione tandem in iſtam, quam nunc habet, magnitudinem excrevit. Ipſe tamen Autor librum ſuum in lucem educere non potuit, quippe qui pau-

lo post absolutum, anno ætatis septuagesimo, vegeta viridique senecta, diem suum obiit. Curam igitur edendi hæredibus reliquit: typographorum autem operas direxit vir clarissimus, Dn. *Joh. Bartholdus Niemeierus*, Primæ Philosophiæ ac Logices in Academia Julia Professor Publ. ordinarius, ut sine erratis prodiret. Methodo disposita est hæc Theologia analytica, habitui practico conveniente. Proinde divisa est in Partem communem & propriam. Parte communi homines indifferenter omnes media consequendæ salutis docentur. Inprimis de principio, e quo sacra prudentia ista pendet, quod est Sacra Scriptura, agitur. Quo exposito, initium tractationis a fine suscipitur, scilicet DEO: subjiciuntur hominis novissima. A fine ad subjectum Theologiæ proceditur, quod est homo salvandus, qui secundum diversos status sistitur: sequuntur principia & media salutis consequendæ. Parte propria, quæ sacræ Politicæ instar habet, de Ecclesia traditur. In ipsa explicatione locorum, non tantum dogmata ex Sacris Literis proponuntur, & antiquitatis ecclesiasticæ suffragiis comprobantur: sed potiores quoque controversiæ enucleantur. Repetuntur subinde doctrinæ a Theologis Helmstadiensibus antehac traditæ, & a quibus alii Theologi nostrarum partium dissenserunt. Quæ cum valde notæ sint, easdem inpræsenti referre merito supersedemus. Instructum insuper est opus hoc gemino Indice, uno Capitum, altero Rerum.

SAMVELIS PRZIPCOVII EQVITIS POLONI & Consiliarii Electoris Brandeb. Cogitationes Sacræ ad initium Evangelii Matthæi & omnes Epistolas Apostolicas, nec non Tractatus varii argumenti, præcipue de Jure Christiani Magistratus.

Eleutheropoli Anno 1692. in fol. Alphab. 10.

OPus hoc, quod *Bibliothecæ Fratrum Polonorum* accedere voluit editor, autorem agnoscit virum, cui in Principum aulis & castris (septuagenario quippe adhuc militiam sequebatur) potior vitæ pars exacta fuit; ea tamen eruditione Theologica instructum, ut merito aliquod inter suos (*Socinianos* puta) nomen deposcere sibi videatur.

Ejus,

Ejus adolescens admodum, cum in Academia Lugduno-Batava literis operam daret, jam dedit specimina. Libellus enim *de pace & concordia Ecclesiæ*, ab eo tum octodecenni concinnatus, adeo eruditorum nonnullis placuit, ut eum, dignum tanto parente fœtum, Simonis Episcopii esse crediderint: ut de Apologetico ejus, quod contra Dan. Heinsii Satyram: *cras credo, hodie nihil*, eodem fere tempore scripsit, nunc nihil addamus. Postquam ex Academia in patriam rediit, ad Regis Uladislai, Sigismundi pariter, ac Radzivilii Principis favorem aditum sibi paravit. Idem tamen non minima pars fuit eorum, quos paulo post, circa annum nimirum 1663, fatales illæ Anti-Trinitariorum in Poloniæ Ecclesiis calamitates vexarunt undique, & tantum non pessundederunt. Patria igitur ipse quoque ejectus in Prussiam concessit, ibique Consiliarii titulo a Serenissimo Brandeburgico Electore & Principe Radzivilio ornatus, Theologicis curis mentem applicuit: inde quoque, urgentibus Prussiæ Ordinibus, in exilium pellendus denuo, nisi mors, quæ ipsi anno ætatis septuagesimo octavo d. 19. Junii A. 1670 obtigit, id antevertisset. Non conflictandum vero tantum viro huic cum fortuna minus prospera, adversæ partis culpa fuit, sed ipsorum quoque Fratrum suorum animos a se alieniores invenit. Cum enim isti recepta sua de Christi imperio, non æterno sed abrogando, Christoque adeo in altera vita ad vilitatis humanæ sortem deprimendo, item de magistratu & aliis quibusdam rebus decreta ponderari confutarique ab eo ferre non possent, diris eum devotum obtorto collo ad Christi tribunal condemnandum quasi traxerunt; quem Papatum inter omnes fere a Papatu segregatas sectas obtinere, is qui hujus libri editionem procuravit, queritur.

Scriptorum quidem Przipcovii longe majorem, quam hoc volumine exhibentur, copiam a Sandio in Bibliotheca Antitrinitariorum relatam habemus, quorum tamen iste etiam potiorem partem ad manus suas non perveniisse, sed apud amicos hinc inde delitescere testatur. Ea vero, quæ nobis hic exhibentur, in duo dispescuntur volumina. Prius Cogitationes in Evangelii Matthæi initium omnesque Apostolorum Epistolas complectitur: posterius vero varii Tractatus, maximam partem Theologici, constituunt.

In Cogitationibus ad initium Evangelii Matthæi, Autor non tam

tam textus interpretationi operam dedisse videtur, quem etiam κατὰ πόδα ubique non sequitur, quam meditationibus, sive dogmati alicui Theologico secundum præjudicia sua confirmando, sive practicæ cuidam doctrinæ inculcandæ, inservientibus. Quod ipsum in causa etiam fuisse, ut *Cogitationum* potius quam *Commentarii* titulum huic scripto suo esse voluerit, eo minus dubitandum est, quo clarius ipse Autor hoc indicat, in responsione ad Notas amicas, quas Cogitationibus ipsius in Epistolam ad Colossenses Wissovvatius opposuerat, No. 24 inquiens: *Scripto huic nostro Cogitationum titulum eo consilio dedimus, ne quis lectorum putaret, nos in iis plenam sacrorum librorum explicationem polliceri.*

Ut aliqua eorum, quæ diximus, demus exempla, observat Autor, quod C. V. Matth. verbis: *audivistis, quod dictum sit*, vox *antiquis* semper addatur, quoties Christo de legibus Mosis sermo est, quas *implere* se, id est, secundum Autoris mentem, perfectiores reddere, non vero abrogare dicit; quæ tamen omittatur, quando interpretum legis nova commenta proponantur & confutentur. Quod autem leges quædam Mosis videri queant, quibus non addita compareat vox ista, v. g. de libello repudii & talionis jure, inde esse autumat, quod verbis quidem Mosis conceptæ, in alium vero plane a Mosis sensu detortæ a legis doctoribus eo tempore traditæ, adeoque a Christo hic quoque propositæ atque explosæ fuerint.

Cum ex Matth. VI. ut *adveniat Regnum Dei* petimus, de Regno Dei in his terris id Autor accipiendum esse docet, & inde feliciorem Regni Dei statum in his terris sperandum perpetuo esse colligit. Regnum enim Dei cum nunc quoque inter nos vigeat, majorem ejus gradum his precibus a nobis postulari existimat, qui tum ex majoribus Ecclesiæ nunc florentis in fide & charitate profectibus, tum ex Anti-Christi destructione, Judæorumque conversione, orbi Christiano sperandus videatur. Cujus ævi felicitatem ipsis Apostolicis temporibus, & ab antiquissimis Ecclesiæ Patribus creditam esse contendit. Illorum tamen sententiam ideo factiose explosam esse dicit ab iis, qui per illata clanculum e Philosophia Gentili in Religionem Christi Gnostica dogmata, introducta potenti factione, Ecclesiam corruperint, quoniam ista suos asseclas irrepentem tunc parum sinceram in Ecclesiam doctrinam moresque depra-

depravatos improbare, ac beatius ævum optare atque expectare arguebat. Indeque & Apocalypsin a multis oppugnatam, & Papiæ ab Eusebio obtrectatum, & antiquis illis Apostolico ævo vicinis viris falsam afficiam calumniam fuisse ait, quasi aliquod terrenum regnum Christi post resurrectionem fore somniarent, quod tamen illis neper somnium quidem credere in mentem venerit: utpote qui, si restituendum in terris Christi regnum post resurrectionem docuerint, *resurrectionem primam* cum Apocalypseos autore a *secunda* distinxerint, qua is, qui cadit, resurgere recte omnino dicatur. Papiam vero Eusebio & Gnosticis ejus magistris (quo nomine Arii factionem ei venire infra patebit) exosum fuisse, non mirandum existimat, cum Papiæ vicissim peregrina Gnosticorum dogmata, utpote his, quæ a Domino ipso tradita sunt, parum consentientia, exosa fuerint.

Cogitationes in Apostolicas Epistolas, quamvis viam, interpretibus aliis Scripturæ merito observatam, non sequantur, magis tamen ad explicationem Scripturæ faciunt; sensus enim & intentio scriptoris semper, licet brevissimis ostenditur. Et quamvis suorum interpretationibus ut plurimum adhæreat Autor, non pauca tamen etiam occurrunt, in quibus vel in plane diversa ab iis abeat, vel novis argumentis & illustrationibus ab iis jam observata exornare nitatur. Sic v. g. in explicatione commatis 29. cap. XVI. 1. Ep. ad Cor. Crellii, Schlichtingii & aliorum sequitur vestigia, qui in Ecclesia primitiva revera baptismum pro mortuis obtinuisse putant, adeoque frustra crucem sibi figere interpretes existimant, qui a sensu istorum verborum primum obvio alium invenire laborent: in eo tamen ab iis abit, quod ipsi tanquam errorem istud in primis Christianis condemnent, ex quo argumentum saltem κατ' ἄνθρωπον Paulo subnatum esse sibi persuadeant; ipse vero caruisse errore hanc pro mortuis baptizandi ceremoniam contendat, dum cum illa opinione, ac si prodesset defuncto pietas aliena, non conjuncta, sed solum in ædificationem Ecclesiæ adhibita fuerit. Baptismum aquæ scilicet externum & quasi ceremoniale signum, quod aliquis ad populum Christi adjectus sit, ex communi suorum hypothesi, esse scribit; quod ipsum per se & nude sine ea, quam designat, hoc est vera ac reali ad populum Christi accessione, quæ fiat per regenerationem, baptizato non prosit; natura tamen sua etiam ita consideratum Ecclesiæ mul-

tum profit, cujus oculis palam fiat, populum Christi incremento sui augeri, quin & multos alios ad idem faciendum invitet. Sed quomodo, inquit, defunctorum accessione aucta credi poterat Ecclesia, cum potius morte eorum diminuta videretur? & respondet, ob resurrectionis spem, non tanquam interierint, sed tanquam adhuc in Ecclesiæ censu permanserint, vita functos ejusmodi consideratos fuisse. Ex quibus etiam argumenti Apostolici robur multo clarius liqueré arbitratur.

In Epistolæ Colossensibus inscriptæ capite II. ad Platonicos Philosophos Paulum potissimum respexisse Autor noster docet; illos enim præ reliquis Philosophis πλανολογίᾳ illa, de qua v. 4. loquitur Apostolus, valuisse existimat; quemadmodum & nulla alia secta majorem in divinis scientiam quam Platonica sibi vendicaverit, unde divini etiam cognomen Plato meruerit. Delectum quoque ciborum & temporum, de quo v. 16. Platonici a Pythagoræis; quorum commenta Magistri sui placitis infima præcipue Academia admiscuerat, adjuti urgebant. Tandemque etiam Geniorum cultum, jam inde a Genio Socratis initio sumto promovebant, quæ omnia manu Apostoli ducta lineamenta Platonicam scholam repræsentare Autor noster existimat.

Subjungitur Cogitationibus in Epistolam ad Colossenses *Responsio ad Notas amicas in Sacras ad Epistolam Pauli ad Colossenses Cogitationes*. Notatum, contra quas Responsio hæc dirigitur, autorem Andream Wissovvatium Socini ex sororo nepotem esse; Sandius quoque annotavit. Displicuerat huic inter alia etiam distinctio, qua Noster in expositione versus 15. capitis I. Epist. ad Colos. occasione loci I. Cor. XV, 24. usus fuerat, inter *potestatem* scilicet Christi *ordinariam* & *extraordinariam*. Illam esse dixerat, qua Christo omnis sive in cœlo sive in terra potestas a Patre tradita est, quam dependere tamen semper ab illo ait; hanc vero in specie potestatem judicii exercendi esse affirmaverat, quæ ita absolute Filio tradita sit, ut Pater neminem judicet. Hujus, non illius finem in prædicto Epistolæ ad Corinth. loco significari nostri Autoris est sententia, aliter statuentibus plerisque Socinianorum, & cum iis etiam Wissovvatio, qui utramque hanc potestatem tollendam esse affirmantes, Christo in altera vita vix quicquam, quod ultra reliquorum beatorum

rum ſortem aſcendat, relinquendum eſſe ducunt. Neceſſariam autem prorſus eſſe Autor noſter ſibi perſuadet hanc diſtinctionem, ad depellendas adverſariorum Eccleſiæ ſuæ, ut vocat, calumnias. Non alio enim & plauſibiliori prætextu, ait, olim ſub Victore & Zephyrino Epiſcopis Romanis in occidente, & aliquanto poſt per conciliabulum, ut loquitur, Antiochenum in oriente, veritas & Eccleſia confeſſorum Symboli Apoſtolici oppreſſa eſt, quam quod iis impingeretur calumnia, Chriſtum nudum hominem ab iis ſtatui, cum Scripturæ Sacræ eum paſſim ut Deum omnipotentem & in ſecula benedictum proponant. Et huic tamen, quam vocat, calumniæ non deſinere quosdam Fratrum ſuorum ultro occaſionem dare queritur, cruda nimis & iniqua loci illius 1. Cor. XV, 24. explicatione, in qua errare ipſos ſatis prolixe oſtendit.

Cogitationes in II. ad Theſſalonic. c. 2. prolixa de Anti-Chriſto tractatione abſolvuntur, ita quidem, ut omnia in N. Fœdere occurrentia de hac materia loca conſulantur. Illam enim eo diligentius in Eccleſia Chriſti tractandam eſſe Noſter exiſtimat, quo certius eſt, non a Chriſto tantum ſedulo eam fuiſſe inculcatam, ſed nullum quoque Apoſtolorum, excepto Jacobo, eam intactam reliquiſſe.

Paralipomena quædam in hanc Epiſtolam Cogitationibus Autor adtexuit, in quibus occaſione eorum, quæ a Paulo in ea de Anti-Chriſto traduntur, de Arianorum & Ebionitarum ſectis ex antiquitate differit. Anti-Chriſtum, cum per illum Satanas Eccleſiam Chriſti deſtructum iret, primum ac potiſſimum religionis Chriſtianæ fundamentum demoliri cœpiſſe ait, Chriſtum in natura ſua fuiſſe hominem negando, vel quod eodem recidere putat, JESUM, quem omnes hominem fuiſſe ſciebant, & ab Apoſtolis edocti credebant, non eſſe Chriſtum ſeu Filium Dei, præcipue & principaliter dictitando. Erroris hujus fundamenta jam Pauli & Joannis tempore in Eccleſia jacta eſſe dicit a Gnoſticis, qui quidem initio magis ſobrie quam poſtea in Chriſtiana doctrina philoſophati ſint, ita tamen ut errorem modo dictum jam tum foverint atque propagarint. Procedente vero tempore eos in magna deliria delapſos, in multas ſectas diſciſſos fuiſſe refert, adeo ut illi, quibus ſanior mens erat, quive reliquis rejectis deliriis, in ſolo illo a Joanne etiam notato errore perſiſtebant, relicto Simonianis, Menandrianis, Valentinianis &c. Gnoſti-

corum nomine, Catholici nominari maluerint. Late autem per Ecclesiam, ex ejus sententia, horum sparsus error est, præcipue inter eos, qui e gentibus ad Christum convertebantur, utpote qui omnes in propagationem doctrinæ gentilium sapientiæ conformis conspirabant; cum contra e Judæis orti Apostolicam de Persona Christi doctrinam mordicus retinerent: qui tamen cum & ipsi errores quosdam in Ecclesiam protruderent, ob exiguam Sacræ Scripturæ & rerum divinarum peritiam Ebionei, quasi pauperes diceres, vocati sunt, quod cognomen, prævalentibus gentilium partibus, non tantum omnibus Judaismo propioribus Christianis successu temporis datum fuit, sed ii quoque, qui doctrinam de Christo puriorem cum ortis ex Hebræa progenie tenebant, ejus probro fuerunt adspersi; licet gentiles multi eorum fuerint, qui cum Christianis ex Judæorum stirpe circa hoc dogma consentiebant, quales fuerunt Justinus Martyr, Beryllus Bostrensis Arabiæ Episcopus, Theodorus Conarius Origenis coævus, & Paulus Antiochenus qui sub Aureliano Imperatore floruit: quorum tamen adeo pauca scripta ad nos pervenisse tum inde est, quod pauci ea scribendi facilitate fuerint, ut mentem suam scripto consignare potuerint, tum etiam, quod si quæ scripta eorum extiterant, a partibus valentioribus fuerint suppressa. Gnosticorum autem, quos Arianos postmodum præpostere dictos censet, cum diu ante Arium invaluerint, in eo vel maxime versabatur industria, ut ex Sacris literis quæcunque opinionis suæ fundamenta colligerent; unde Erasmus etiam eorum scripta una cum ipsis periisse dolet, utpote quæ miram Sacrarum literarum notitiam redoluisse sibi persuadet. Præterea Gnostici illi prudentiores seu Ariani quascunque artes, malas etiam, adhibebant, quibus in obtrudendis per fas & nefas Ecclesiæ dogmatibus suis juvari poterant. Et dubium non est a Sacro quoque Codice manus improbas illos cohibituros non fuisse, nisi divina providentia per adversariorum zelum ipsis obstitisset. Interim tamen impediri haud potuit, quo minus in aliorum Ecclesiasticorum hominum scriptis pro lubitu supprimerent, interpolarent, castrarent & expurgarent, quæ modo incommoda ipsis videbantur, quod posterioribus temporibus Liberati Carthaginensis Ecclesiæ Diaconi in Tomis Conciliorum admissa audacia satis probavit. Et propter hosce etiam, sub Apocalypseos & Operum Irenæi finem, istam execrationis formulam

adjun-

adjunctam esse Autor noster existimat. Præter ignorantiam vero rerum seculo Apostolico gestarum, horum perversæ industriæ Romanæ quoque Tyrannidis fundamenta deberi dicit, utpote quæ in Antiocheno Concilio jecerint. Tum enim, præterquam quod Paulum Episcopali Antiochiæ sede, Malchionis Sophistæ fraudibus & occulta Episcoporum quorundam cum Romano conspiratione deturbarunt, ad Ethnicum quoque Imperatorem Aurelianum confugerunt, a quo edictum impetrarunt, quo omnes Ecclesiæ Christi, Episcopi Romani in rebus fidei sensum, tanquam præsulis urbis terrarum dominæ, sequi jussæ sunt. Ostendere postmodum Autor incipit, sectam hanc iisdem quibus creverat, artibus destructam justo Dei judicio iterum fuisse; etsi ea, quæ ipsi de ejus interitu adtexere animus fuit, ad manus nostras non pervenerunt.

Ad alterum quoque volumen paucis accedendum est. Continentur in eo varii Tractatus, Theologici maximam partem argumenti, e quibus *Dissertatio de Pace & Concordia Ecclesiæ* jam duabus vicibus, anno nimirum 1628 & 1630 publici juris facta, quin in Germanicum quoque sermonem translata fuit. Pariter *Vita Socini* non. A. 1636 modo, una cum *Dissertatione de summo bono Christianorum* prodiit, sed in Belgica quoque lingua ejus aliquoties repetita fuit editio, & denique etiam una cum memorata dissertatione in Bibliotheca Fratrum Polonorum Socini operibus præmissa legitur. *Panegyricus honori Uladislai Sigismundi Poloniæ Regis dicatus* A. 1633; *Responsio* vero ad *Heinsii* Satyram, *cras credo, hodie nihil*, A. 1634. typis impressa extat; quemadmodum etiam *Religioni a calumniis Atheismi vindicata contra Epistolam F. M.* Christophoro Sandio obstetricante A. 1672. lucem aspicere licuit. De quibus omnibus proinde, utpote eruditis jam olim notis, nunc quidem nihil dicere attinet.

Judicium de libro P. Cichovii regni Poloniæ Ordinibus oblato, nihil notatu dignum continet, nisi quod Autor in eo confutat. Pontificii persona indutus, argumenta Jesuitæ, Statuum in Unitarios animum concitare nitentis, quos gravissima quæque ob dissensum in religione pati voluerat, ejusque institutum tam Reipublicæ quam ipsi Catholicæ Religioni obesse ostendit.

Similis generis est *Apologia ad Serenissimum Brandeburgicum*

Electorem, in qua calumniis, quas suæ communioni perperam impingi queritur, dissipatis, sedem sibi suisque in Borussia concedi petit.

Majoris momenti est *Apologia istius Hyperaspistes*, ubi quod breviter saltem & subobscure in Apologia fecerat, contra quamplurimos sectæ Socini addictos prolixe agit, utpote qui conversioni Judæorum nimium intenti, ut opiniones suas eorum captui magis conformarent, nimis abjecte de Christo sentiebant, cujus regnum terrenum ac cœleste intra breves terreni regni metas includebant, & naturam ejus in cœlis glorioso viventis in humanæ vilitatis ordinem redigebant; qua de re jam supra etiam contra Wissovatium eum egisse diximus. Ast vero, quamvis Autor Christum proprie & sine figura Dei filium, ex essentia Patris natum, contra suorum quosdam probare nitatur, quamobrem etiam invisi admodum ipsi fuerunt, tantum tamen abest, ut genuinam veritatis lucem illis propius multo conspexerit, ut subtilius potius errasse, quam melius veritatem introspexisse dicendus sit. Divinam enim quidem naturam, æque ac humanam, in Christo agnoscit, sed illam succedere humanæ, quam expellat, sibi persuader, adeoque nec æternam generationem, qua in divinam naturam Christus genitus est, sed in tempore factam esse sibi persuadet, ut alia nunc omittamus.

Cognati cum hoc libro argumenti est *Demonstratio, quod neque Pater Domini nostri Jesu Christi per Metaphoram pater, neque Filius ejus unigenitus per eandem Metaphoram filius dici queat aut debeat*, quippe quæ in prioribus illius imprimis capitibus prolixe pertractata, per totum hunc librum contra tum in lucem emissum recenter tractatum denuo adstruitur.

In *Animadversionibus Apologeticis ad aculeatum Jo. Amosi Comenii scriptum, quod occasione Irenici Irenicorum contra Fratres Polonos ediderat*, notatu forte non indignum est, quod animadvertit Autor, scripti hujus Comenio causam fuisse eam, quod labefactatam inter Reformatos fidem suam, ob susceptum vaticiniorum, falsi eventu mox convictorum, patrocinium videns, commodiorem restaurandæ ejus viam non invenerit, quam si Unitarios, in quos Reformatorum animos eo tempore maxime exacerbatos noverat, scripto aggrederetur. Irenicum autem istud Irenicorum, quod scribendi

bendi materiam Comenio dederat, Socinianum autorem haberet, nullo fundamento conjicere Comenium Noster contendit, utpote in quo non Menoniſticæ tantum ſectæ plurima faveant, ſed multa etiam Socinianis adverſa contineantur. Verum recte omnino ſenſiſſe Comenium neminem hodie latet, poſtquam Danielem Zwickerum fœtus iſtius patrem eſſe innotuit, qui etiam triplici Irenicomaſtige Comenium, quamvis occultato itidem nomine, refutavit.

In *Reſponſone ad Scriptum Georgii Nemiricii, cunctos in Polonia a Religione Romana diſſidentes, ut in gremium Eccleſiæ Orientalis ſe recipiant ſuadentis*, parte priori varios, ex quibus Eccleſia vera ſit agnoſcenda, characteres Autor tradit, & hac occaſione, quam neceſſarium ſit, ut privato judicio publica Eccleſiæ doctrina ad examen revocetur, oſtendit, tandemque variorum Nemiricii circa doctrinam de Eccleſia errorum confutatione huic parti finem facit. In parte vero altera quærit: an diſſidentes ab Eccleſia Romana & Græca, dogmata & ritus Eccleſiæ Orientalis illæſa conſcientia recipere poſſint? indeque ad omnium fere dogmatum, circa quæ controverſiæ motæ fuerunt, breve deſcendit examen, ac reformationis & a corruptis Eccleſiis ſeceſſionis patrocinium in ſe recipiens, tandem oſtenſis in finali Nemiricii confeſſione erroribus, ordinisque monaſtici vanitate, toti operi colophonem imponit. Qui reſtant Tractatus omnes jura Magiſtratus Chriſtiani reſpiciunt, & in *Animadverſionibus* quidem *ad libellum de qualitate regni Chriſti*, an Chriſtiano homini terrenæ dominationes conveniant, ſive an inter Chriſtianos Magiſtratui locus eſſe debeat? contra Autorem dicti libelli, qui id negaverat, & quem Danielem Brenium eſſe a Sandio diſcimus, diſquiritur.

Succedit hinc *de Jure Chriſtiani Magiſtratus & privatorum in belli pacisque negotiis liber*. Cum enim hanc materiam a ſuæ communionis hominibus adeo hactenus accurate non pertractatam Noſter viderit, ut potius in fanaticas circa eam opiniones multi incideriut, quin ipſe quoque Socinus non ſatis ſibi conſtitiſſe videatur, magno ſtudio Chriſtiano Magiſtratui jus ſuum aſſerit, profligatis ſtrenue adverſariorum ex Fratribus argumentis: quod ipſum fuſius adhuc facit in ſubſequenti *Apologia prolixiori*, qua memoratum tractatum contra iniqui accuſatoris, quem Joachim. Stegmannum

num juniorem esse constat, criminationes munire coactus fuit.

Ultimum inter Tractatus Theologicos locum occupant *Vindiciæ libri de Magistratu contra Danielem Zwickerum*; qui ea, quæ ipse de hac materia scripserat, a Przipcovio convelli & incommodis consequentiis urgeri cernens, multum stomachatus videtur in suo contra autorem nostrum libro, nondum edito; præcipue vero injuriam sibi factam esse conquestus est, quod varia, quæ ne per somnium quidem in mentem sibi venisse ait, tanquam ex sua sententia fuerint prolata. Verum lepide iras & objectiones hujus adversarii sui Noster retundit, qui tamen his quoque de Magistratu scriptis, ut supra jam fuit notatum, apud Fratres Unitarios gratiam non adeo magnam inivit.

LE JANSENISTE CONVERTI PAR VNE RELIGIEUSE Vrseline. i. e.

Jansenista conversus per Virginem ex ordine S. Ursulæ.

Coloniæ apud Carolum ab Egmond 1691. in 12. plag. una.

NOndum ita conquievit, post decreta licet Pontificum, lis Jansenistica, quin subinde aliquæ ejus scintillæ erumpant. Sunt enim qui non tantum Jansenii sententias defendant, sed & Pontificum decisiones benignius interpretentur, veteresque cum adversariis, inprimis ex Societate Jesuitica, rixas renovent. Aliquando & hi suas agunt partes, ut Autor hujus schediasmatis fecit, in quo in re seria mimum instruit, colloquium fingens inter Doctorem quendam Jansenistam, & Virginem sacram ex *Ursulinis*, quæ Augustini regulas sequi dicuntur. Cum vero ex sancti illius Episcopi scriptis Jansenius theses suas deprompsisse videri voluerit, idque ejus sectatores operose & constanter confirmare nitantur; in tractatu hoc, perbrevi quidem, sub persona Virginis argumenta ex ipsius Augustini scriptis verbotenus adductis indicantur, quibus sententiæ Jansenii penitus destruantur. Non vacavit nobis tot libros de controversiis illis publicatos nunc pervestigare, ut appareret, num eadem

dem Auguſtini loca antehac allegata & ventilata fuerint, nec ne: interim quia nec multa nec prolixa ſunt, adſcribere ea, ut ab autore libelli referuntur, haud inconſultum eſſe duximus. Sunt autem hæc: *Ex ſermone XCI. de tempore*: Execramur blaſphemiam eorum, qui dicunt, impoſſibile aliquid a Deo præceptum eſſe. *Ex cap. XVI. de nat. & gratia*: Juſtificatum a Deo non deſeri, niſi Deum prius ipſe deſerat. Sanat ergo Deus non ſolum ut deleat, quod peccavimus, ſed etiam, ut præſtet, ne peccemus. *Ex homil. XII. inter L.* Per Dei adjutorium cum ſit in poteſtate tua, utrum conſentias Diabolo, quare non magis Deo, quam ipſi obtemperare deſideras? *Ex comment. in Pſ. XCI:* Satanas non cogit invitum, in tua poteſtate eſt conſentire, aut non conſentire. *Ex cap. XI. de duab. anim.* Neminem vituperatione aut ſupplicio dignum, ſi non faciat, quod facere non poteſt. *Ibid. cap. XII.* Dicere reum teneri quempiam, quia non fecit, quod facere non potuit, eſſe ſummæ iniquitatis & inſaniæ. In *Pſal. LI.* Benignitas ante te, iniquitas ante te, compara & elige. *Ex cap. V.* de *bon. perſev.* Credere vel non credere eſt in arbitrio voluntatis humanæ. *Ex cap. XXXIII. de Spir. & lit.* Vult Deus omnes homines ſalvos fieri, non tamen adimit liberum arbitrium. His motus Doctor ille fictitius, convictum ſe eſſe fatetur, & virginem hortatur, ut cum ſodalibus ſuis nec audiat poſthac Janſeniſtas, nec libros eorum legat, ſed Jeſuitis perpetuo adhæreat, quod magno cum emolumento ſuo factura ſit. Non deerunt fortaſſe, qui illa Auguſtini dicta ex ipſo Auguſtino ita explicent, ut a Janſenii ſententia non videantur diſcrepare: rectius fecerint, qui litem ex clariſſimis Scripturæ locis diremtum iverint.

ANTONII BYNÆI DE MORTE JESV CHRISTI Liber primus.

Amſtelædami apud Ger. Borſtium 1691. in 4. Conſtat Alphab. 4.

ABſolutis, quas in Actis A. 1690. p. 115. & ſq. recenſuimus, de Natali Chriſti doctiſſimis lucubrationibus, de Morte ejusdem Servatoris, (quod argumentum idiomate patrio, h. e. Belgico jam ante hos novem annos tractaverat,) clariſſimus Autor, Eccleſiaſtes hodie Da-

ventrienſis, ampliſſimos commentarios edere deſtinavit, atque hoc tomo librum primum exhibet. Quem in octo capita ita partitus eſt, ut ſingula partem aliquam Harmoniæ Evangeliſtarum complectantur, eique ſubjiciatur accurata primum textus Græci variantiumque lectionum inſpectio; deinde ſententiæ magnorum Virorum, qui eandem hiſtoriam ſacram vel perpetuis commentariis illuſtrarunt, quales H. Grotius, Heinſius, Ligtfootus, Voſſius, & ex Noſtratibus Johannes Gerhardus, vel partes quasdam ſeorſim expoſuerunt, quales Hieronymus Mercurialis, Petrus Ciacconius & Fulvius Urſinus, qui accumbendi in conviviis rationem, Juſtus Lipſius, Thomas Bartholinus & Claudius Salmaſius, qui crucem, Joh. Jac. Chiffletius, qui lintea ſepulchralia diligenter delinearunt, conferantur inter ſe, ac librentur quaſi, tandemque quid ubicunque videatur, ſubjiciatur. Hiſtoriam ipſam orditur a verbis Matthæi 26, 1. 2. *Et factum eſt, cum finiviſſet Jeſus omnes ſermones iſtos, dixit diſcipulis ſuis, ſcitis &c.* atque in expoſitione verborum S. Cœnæ, a Matthæo, Marco & Luca recitatorum, hactenus quidem deſinit. Textus ſacri cum rationem ubique habeat doctiſſimus Vir, & lectionem receptam ſoleat componere cum MSs. quibusdam codicibus, inprimis cum celebri illo MS. Alexandrino, nobisque in manus fortuito venerit itidem MS. aliquod in Bibliotheca Zittavienſi hactenus latens, dignum putavimus, collationem quandam eorum ante omnia inſtituere. Sic Matth. 26, 1. omittunt quædam exemplaria πάντας,
p. 10. 90. omittit etiam MS. noſtrum. Matth. 26, 3. omittunt Alexandrinum aliaque καὶ οἱ γραμματεῖς; habet noſtrum. Comm. 4. pro κρατήσωσι
140. δόλῳ, MS. Alexandrinum mutato ordine, δόλῳ κρατήσωσι, quaſi
205. δόλῳ pertineat ad ea quæ ſequuntur; ſimiliter MS. Zittav. Porro Joh. 12, 2. quidam codices habent, ἀνακειμένων σὺν αὐτῷ, & adji-
264. cit σὺν etiam MS. noſtrum. Marc 14, 3. codex Cantabrigienſis,
298. ἀπὸ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ; MS. noſtrū omittit τῆς. Comm. 6. pro ἐποίησατε εἰς ἐμέ, MS. Alexandrinum habet ἐν ἐμοὶ, & hæc lectio Bynæo videtur genuina, altera vero ex Matth. 26, 10. profecta; ſimiliter MS.
304. noſtrum. ἐν ἐμοί. Comm. 8. pro ὃ ἔσχεν, MS. Alexandrinum & omnes Stephani codices legunt, ἔσχες; rurſus ἔσχεν & MS. noſtrum. Sic Luc.
339. 22, 4. celebre illud MS. Alexandrinum omittit τῆς; omittit etiam
359. noſtrum. Marc. 14, 11. & Luc. 22, 5. MS. Alex. & alia, ἐχάρησαν,

in plu-

in plurali; similiter noſtrum. Matth. 26, 16. pro καὶ ὀπότε, noſtrum καὶ ὀπόπε, per aliquam contractionem. Joh. 13, 22. codex Cantabrigienſis ἔβλεπον δὲ, pro ἦν; & ita etiam MS. noſtrum. Joh. 13, 30. editio Rob. Stephani ac Francofurtenſis 1597. & aliæ plures, legunt ἦν δὲ νύξ, ὅτε ἐξῆλθε; eodem modo MS. noſtrum. Marc. 14, 12. codex Cantabrigienſis, ἑτοιμάσωμέν σοι; ſimiliter codex noſter. Incidenter poſt Bezam & Grotium emendat Bynæus Matth. 23, 8. ὁ καθηγητὴς; potius enim ait legendum, cum tot aliis codicibus, ὁ διδάσκαλος; & ita codex Zittavienſis. Verum hæc ſpeciminis loco ſufficiant. Nunc enim ad Autorem noſtrum redeundum. p. 374. 405. 448. 469. 487. 497.

Ipſam hiſtoriam ſacram de morte Servatoris præcedit prædictio Jeſu Chriſti, *fore ut morti objiceretur triſti & inhoneſtæ.* Neceſſariam ejus rei inculcationem fuiſſe cenſet Bynæus propter imminens offendiculum, quod ex præjudicio totius gentis de regno quodam terreno certiſſime erat naſciturum. Et iſto præjudicio abreptum quoque fuiſſe Johannem, cum mitteret duos ex diſcipulis ſuis, rogatum: *Tune es ille, qui venturus.* Hanc enim fuiſſe legationis iſtius cauſam, Jeſu monitum facere veriſimillimum: *& beatus eſt, qui non fuerit offenſus in me.* Indigniſſimum nimirum putaſſe Johannem, ſe, anteambulonem Meſſiæ & miniſtrum præcipuum, in carcere captivum detineri. Omnium clariſſime autem, cum a morte ſua biduum modo abeſſet, inculcaſſe Jeſum mortem ſuam, cum ſcilicet finiviſſet *omnes ſermones iſtos*, nempe, ex ſententia Bynæi, omnes, quos eo ipſo die tam ad Judæos, quam ad diſcipulos ſuos habuerat, qui certe & multi fuerint, & haud exigui momenti, a Matth. 21, 23. uſque ad finem c. 25. relati. In *biduo* autem illo occupari videtur controverſia totius libri primaria, quumque ſententiam ſuam Bynæus ſparſim proponat, nos eam in compendio totam exhibebimus. Dicit igitur, biduo ante paſcha, i. e. diei Martis veſpera cœnaſſe Jeſum Bethaniæ in domo Simonis leproſi, & monuiſſe diſcipulos de morte ſua ipſo Paſchatis Judæorum die, qui inſtabat, patienda. Eadem veſpera unctum fuiſſe a Maria, ſorore Lazari. Poſtero die, qui Mercurii fuerit, Judam adiiſſe pontifices maximos & præfectos templi, ac cum iis de Jeſu tradendo mercede fuiſſe pactum. Diei illius veſpera Jeſum iterum cœnaſſe Bethaniæ, atque inter cœnandum lavaſſe diſcipulorum pedes, cum Judas non tan- 7.

tum in animum induxiſſet ſuum, ut Jeſum traderet Judæorum proceribus, ſed etiam operam ſuam iis jam addixiſſet mercede. Sequenti die, qui Jovis fuerit, omnia ad celebrandum Paſcha paraſſe diſcipulos, ac Jeſum eadem veſpera veniſſe Bethania Hieroſolymam, & in ipſam domum, in qua Paſcha juſſu ejus erat paratum, ibique comediſſe, ac Cœnam Euchariſticam inſtituiſſe. Hoc ut
p.19.24. perſuadeat, admonet, diſcipulis non incognitum fuiſſe, poſt biduum, h. e. die Jovis Paſcha ſuum celebrare omnes Judæos. Diſcipulos
29. etiam primo die azymorum, quo a Judæis pro more & ex præcepto legis Paſcha celebrandum erat, ultro ac ſua ſponte rogaſſe Jeſum, ubi Paſcha ſtatutum & ordinarium parari vellet. Et patrem familias, apud quem parabatur ex mandato Chriſti, non habiturum
30. fuiſſe cœnaculum ſuum ſtratum, niſi fuiſſet legitimum & ſolenne
39. tempus Paſchatis ab omnibus Judæis celebrandi. Præterea agnum paſchalem ea tempeſtate mactari non potuiſſe niſi Hieroſolymis in atrio templi, neque alio die, quam cum id fieret ab univerſa gente, neque ſacerdotes mactaturos agnum vel ſanguinem ejus ad altare ſparſuros fuiſſe, imo accuſaturos potius Jeſum, tanquam violatorem
45. legum & traditionum. Ad ſententiam Pauli Burgenſis, qui putat, Judæos traditione majorum feſtum Paſchatis rejeciſſe in diem Sabbati ſequentem, ne concurrerent duo Sabbata magna, reſpondet Bynæus, eam traditionem tempore Chriſti nondum fuiſſe in uſu, cujus rei gratia adducit teſtimonia uno plura, contra Caſaubonum, & alios. Singulis enim non immoramur. Redit deinde
97. ad textum, & per ἀρχιερεῖς, qui conſultarunt de Jeſu per dolum capiendo, intelligit Pontificem maximum, atque illos omnes, qui erant de familia pontificali, & ſanguinis proximitate jus ſuccedendi vicinius habebant; motumque ſe ait verbis Lucæ, Act. 4, 6. Ibi enim loco τῶν ἀρχιερέων recenſeri *Annam, pontificem maximum, & Caiapham & Joannem & Alexandrum & quotquot fuerint ex genere pontificali.* Conſultationem autem factam ſtatuit duplicem, ac priorem quidem, de qua Johannes, ſi non ipſo, ſaltem ſequenti aut ad ſummum tertio poſt Lazarum reſuſcitatum die, ne-
134. que adeo intra biduum illud, de quo ſupra; poſteriorem, de qua Matthæus, biduo ante Paſcha, & eodem die, quo Jeſus mortem ſuam prædixerit, feria ſcilicet tertia, i. e. die Martis, in domo & cœna Bethanienſi.

thanienſi. Eadem veſpera etiam ſepulturam ſuam diſcipulis ante oculos ponere voluiſſe Jeſum, unctionem ſibi factam exponendo εἰς τὸν ἐνταφιασμὸν, *ad pollincturam ſuam.* Atque adeo bis unctum eum exiſtimat, & a diverſis mulieribus, ſic quidem, ut de eadem hac unctione in domo Simonis leproſi loquantur Matthæus, Marcus & Johannes, Lucas autem de peculiari & diſtincta, quæque ante quatriduum contigerit in domo Simonis Phariſæi. Nomen Lazari obiter notat contractum eſſe ex Eleazar; & hinc in parabola vix excogitari potuiſſe nomen accommodatius mendico, quam ut Lazarus vel Eleazar vocaretur, cui non homines ſubſidio ſunt, ſed Deus unus. Quumque multa attuliſſet de νάρδῳ πιστικῇ, tandem maxime probat iſtam ſententiam, quæ *nardinum* illud dicit tunc fuiſſe præcipue celebratum, quod ex ſpicis nardi confectum eſſet. Ex *ſpicato* igitur Latinorum, quod apud Galenum extat, feciſſe Judæos, trajectis literis, νάρδον πιστικὴν, quomodo ex *panula Φαιλόνη*. Circa rationem cognominis Judæ, *Iſcharioth*, nihil definit. Incertam non modo illam ſed plane incognitam eſſe ait, neque dignum proditorem, ut in illo quis deſudet. Dignius putavit diſquirere, an mulier illa, quæ Jeſum unxit, cogitarit de morte ipſius proxime inſtante, eumque in finem officium hoc præſtiterit, ut fidem ſuam & amorem erga jam jam moriturum teſtaretur? Viſusque ſibi eſt de eo non immerito dubitare, & a Gerhardo noſtro diſcedere. Fœminas illud tantum audiviſſe videri, quod Jeſus in Galilæa dixerat, *futurum eſt, ut filius hominis tradatur in manus hominum.* Inde ad ſolum ſermonem in Galilæa habitum provocaſſe angelos in ſepulchro. Mulierem autem hanc non fuiſſe inter Galilæas, ſed habitaſſe in Judæa, in vico Bethaniæ. Verba igitur Jeſu ſic interpretanda: unctio hæc accipienda eſt, *quaſi* corpus meum mortuum more gentis ab ea perfuſum unguentis eſſet. Pergit in hiſtoria ſacra, & aſſerit, facta unctione hac, Judam, qui eam tam indigne tulerat, feria quarta ſeu ſequente die Mercurii ipſoque adeo mane, adiiſſe pontifices maximos, eo animo, ut Chriſtum traderet; neque igitur acceſſiſſe illos eodem illo die, quo congregati fuerant ad conſultandum de doloſa ejus interemptione, ſed demum die ſequenti, contra Voſſium, Gerhardum aliosque plures. Cumque Lucas acceſſiſſe eum dicat etiam τὰς γραμματεῖς, Bynæus ait veri-

p. 159.

178. 179.

183.

141.

280.

314.

353.

345.

simile esse, si intelligantur Duces variarum in templo excubiarum. Cum enim excubiæ illæ magnum sacerdotum Levitarumque gregem
p. 348. continerent, singulas habuisse suos præfectos. Posse tamen non inepte porro cogitari, annon sacerdotum quorundam id singulare munus fuerit, ut inspicerent atque attenderent, quæ fierent in templo, mitterentque in carcerem, qui peccassent in sacra, atque adeo eodem officio functi sint, qui στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ, *præfecti templi* a Luca vocentur, habuerintque potestatem prehendendi sontes. Se-
386. quitur altera illa cœna, qua pedes discipulorum lavit Jesus; atque hanc vespera feriæ quartæ seu Mercurii Bethaniæ habitam, statuit Bynæus, & duo illa indicia de Juda proditore ita distinguit, ut primum factum sit adhuc Bethaniæ in cœna vesperæ ultimæ, ad Joannem solum voce submissiore, atque tunc Judæ buccella data, alterum Hierosolymis in ea nocte, qua Jesus Pascha suum ultimum cum discipulis comedit, ad Apostolos omnes. Similiter distinguit ver-
395. ba Christi de trina negatione Petri. Primum ait illum de hac locutum pridie festi Paschatis, & dixisse tantum *non cantabit gallus, donec abnegaveris me ter*; nocte vero sequenti adjecisse, *hodie hac ipsa nocte* &c. Locus, ubi Pascha suum comedit Christus, vocatur
501. ἀνάγαιον ἐστρωμένον, quod sic illustrat Bynæus, *conclave superius stratum lectis, in usum advenarum, qui edendi paschatis causa Hierosolymam ascendebant, & per modum hospitii gratuiti jam præparatum.* In hoc comitatu Jesu adhuc fuisse Judam, atque ea etiam
516. ratione satisfacere Jesum legi voluisse, accipiendo discipulos duode-
538. cim, cum hic numerus justus esset, & talis ad agnum paschalem requireretur. Ibi vero & in ista cœna paschali secutum demum apertum indicium de proditore Juda. Ita quidem, ut arbitretur, ace-
556. tabula, in quibus herbæ amaræ, quæ cum agno comedendæ erant, intingebantur, propter numerum accumbentium, uno plura fuisse apposita. Cum ergo Judas proxime accumberet, & eo ipso mo-
557. mento, in eodem acetabulo cum Jesu manum intingeret, voluisse eum proditorem suum nunc quidem omnibus manifesto innotescere, ac dixisse, *qui intingit mecum &c.* Et cum ille iracunde rogaret, & per modum expostulantis, *num ego sum?* denuo palam at-
565. 568. que aperte hominem hunc impium in lucem produxisse, affirmando: *tu dixisti.* His denique subjicitur pars postrema hujus libri, insti-

tutiq

tutio Cœnæ Eucharisticæ. In cujus expositione cum Autor professionis suæ socios sequatur, neque peculiare quid aut eximium occurrat, possumus hactenus esse parciores. Illud notandum adhuc, verba ultima Christi, *non amplius bibam ex fructu vitis, usque ad diem illum, cum ipsum bibam novum in regno patris mei*, sic a Bynæo intelligi, ut Christum dicat certiores reddere voluisse Apostolos, se vinum iterum bibiturum cum ipsis esse, ubi redux factus foret in vitam. Et hoc factum colligi posse ex verbis Petri, *nobis, qui comedimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis.* Interpretationemque hanc simplicissimam & genuinam videri sibi, asseverat.

DOMINICI GVLIELMINI MEDICI ET Mathematici Bononiensis Epistolæ duæ Hydrostaticæ, altera Apologetica adversus Observationes contra Mensuram aquarum fluentium a clarissimo Viro Dionysio Papino factas, & Actis Erud. Lipsiæ anni 1691 insertas: altera de velocitate & motu fluidorum in siphonibus recurvis factoriis.

Bononiæ apud HH. Antonii Pisari 1692. 4. plag. 6.

AUtor, qui jam excellentis suæ in mathematicis ac physicis doctrinæ specimina dedit, aquarum apud Bononienses curæ præfectus, cursum earum mathematicis legibus coercere aggressus est, edito opere subtilissimo de Mensura aquarum currentium, cujus partem priorem recensuimus jam mense Febr. 1691. Cum autem intellexisset, ingeniosissimum Virum & in his studiis versatissimum Dionysium Papinum quædam opposuisse in Actis mensis Maji ejusdem anni, Epistolam scripsit Apologeticam ad Dn. *G. G. L.* cui alteram addidit de motu fluidorum in siphonibus recurvis ad celeberrimum Virum *Ant. Magliabecchium.* Statuerat Gulielminus *eandem esse velocitatem aquæ fluentis per aliquam sectionem canalis inclinati, quæ foret, si fluxisset e vase per lumen simile & æquale sectioni, tantum infra superficiem aquæ positum, quantum sectio est infra horizontalem ductam per initium alvei.* At Papinus statuerat

aqua

aquæ per tubum uniformem, semper plenum, & utrinque apertum fluentis velocitatem dimidia esse illius qua flueret e vase per foramen simile & aquale sectioni tubi, tantundem a superficie aquæ remotum, quantum apertura inferior seu tubi sectio ab horizontali per initium ejusdem tubi ducta. Et cum judicaret Papinus, hanc assertionem prima fronte pugnare videri cum illa Gulielminiana, eam non satis firmam ostendere aggressus erat, quoniam scilicet fluida non semper sequerentur leges descensus gravium a Galilæo præscriptas, idque confirmabat, tum in suo casu, ubi de tubo agitur semper pleno & non nisi utrinque aperto, tum in Gulielminiano, ubi canalis quidem apertus est, sed tamen partes in canali superiores pro varia inferiorum celeritate afficiuntur. Quæ pluribus in Actis Maji superioris anni legi possunt, ubi & Figuræ huc pertinentes sunt inspiciendæ.

Ad hæc respondet Gulielminus, *primo* duas diversas assertiones non pugnare, cum agant de diversis; nam in casu Papiniano, ubi tubus, in quo aqua descendit, semper manet plenus, motum non esse liberum aut naturalem, ut in apertis canalibus, ubi impedimenta a cohæsione & contactu ipse Gulielminus inter demonstrandum diserte excluserit. *Deinde* dubia affert contra Assertionem Papinianam. Fatetur quidem, aquam per tubum semper plenum æquabili celeritate descendere, sed hoc fieri ob pressionem aëris, ideoque miratur Papinum ipsummet in probando uti legibus Galilæi, quæ tamen ad descensum liberum pertineant, ideoque nec debuisse eas eo loco Papinum adhibere, nec in se suo loco adhibente improbare. Addit quoque, casum Papini videri conditionem impossibilem involvere. Nam superficiem tubi in vase aqua pleno positi, supra infraque aperti, ex Papini hypothesi non debere esse depressam infra aquæ superficiem, & tamen dum effluit semper plenum manere debere, quod rerum naturæ repugnet; nam illam aquæ mathematicam superficiem, qua tegatur, non impediturum, quo minus aer per superius orificium ingrediatur in tubum, qui proinde non sit futurus aqua plenus. Huic tamen defectui mederi licere, si (Fig. I.) ponatur vas ABCD clausum supra in DA, & afferruminatum esse tubum QRS qui aquam suppeditet. Addit superflua requiri in propositione, neque enim referre an orificium G vasis a Papino descripti, sit æquale & simile sectioni tubi, cum velocitas

non

TAB. XI. ad A. 1692. pag. 433.

Fig: 3.

Fig: 6.



Fig: 5.



Fig: 4.

Fig: 2.



Fig: 1.



non dependeat niſi ab altitudine aquæ. *Tertio* oſtendere aggredi- TAB. XI.
tur, velocitatem aquæ in E (Fig. 1.) qua effluit ex tubo FE, qui ſem- Fig. 1.
per plenus manere ponitur, eandem eſſe cum velocitate, qua effluit ex lumine G, non dimidiam. Hoc ita probat p. 120: Quoniam contra orificium E premit aer, intelligatur ſiphon FE reflexus in C, & inde exporrectus ſurſum in H, ita ut altitudo orificii H ſupra E tanta ſit, ut tubus GH ejuſdem diametri ac FE tantum aquæ continere poſſit, quantum ſufficit ad æquilibrandam totius aeris preſſionem v. pedes 33; & ſupra H mente intelligatur demta omnis preſſio aeris. Producatur itidem tubus RS in I, & altitudo SI æqualis ſit altitudini tubi GH, ita ut videlicet tantum aquæ contineat, quantum valet ad premendam ſuperficiem aquæ S, æquali momento ac premit tota aeris altitudo; & ſupra I præſcindatur ut ſupra omnis aeris preſſio. Si mavis, intelligantur producta ſuperius latera vaſis ABCD ad prædictam altitudinem, ut ſcilicet tantum aquæ in altitudine poſſint continere, quantum continetur in CH vel SI, & deinde intelligantur aqua pleni tam uterque tubus ISRE & ECH quam vas ABCD; evidens eſt ex ſupra dictis, quoniam preſſioni aeris in S ſubſtituta eſt preſſio æqualis cylindri aquei IS, & preſſioni aeris in E ſubſtituta eſt æqualis preſſio cylindri aquei HE, motum ſive velocitatem aquæ in tubo invariatam fore, & ſi ſemper plenus retineatur tubus IS, continuaturum etiam motum in eodem tubo FE, ut prius: quare cum tubus ECH uniformis ſupponatur tubo FE, eadem velocitas, quæ eſt in FE ex ſupra demonſtratis, contingit in GH & in exitu ab orificio H: qua ergo velocitate aqua erumpit ab H, eadem erumpit etiam ab E, etſiamſi auferatur tubus ECH: ducta ergo per H horizontali ſecante tubum SI in M; patet per demonſtrata ad prop. prim. lib. 2. Aq. flu. mens. aquam ea velocitate fluxuram ex H, ac ſi cecidiſſet ab I in M; ſed IM eſt æqualis PQ (cum enim SI, CH ſint æquales & æquales partes HL, SM; etiam reſiduæ IM, LC æquales erunt, eſt autem LC æqualis PG; ergo & IM æqualis erit PG) ergo aqua exit ex H, ſive ex E, ea velocitate, quam habuiſſet, ſi cecidiſſet ex P in G, ſed etiam velocitas in G eadem eſt, ac ſi ex P in G cecidiſſet; ergo velocitas in E æqualis velocitati in G. Quod &c. Itaque propoſitionem ſuam univerſaliorem deprehendi notat Gulielminus, quam fuerat initio ab ipſomet

proposita, & bellissime arguere constantiam naturæ. Mirabili etiam a se experimento ait confirmari. Nam cum vasi ligneo A B C (dicta Fig. 1.) perforato in E inseruisset tubum vitreum F E, sed summitate F duobus circiter digitis infra aquæ superficiem D A depressa, ne aer ingrederetur tubum, & lance aquam intra certum tempus effluentem ponderasset, deinde tubum magis magisque imminuisset, ut tantum restaret EN, vel EO, imo tandem ut restaret nihil; semper tamen lance adhibita comperisse, æqualem quantitatem aquæ effluxisse intra idem tempus. Nec dubitamus, quin elegans istud experimentum Gulielminianæ sententiæ favens clarissimus Papinus sit diligenter examinaturus.

Inde dubiis Papini satisfacere aggreditur, urgetque leges Galilæi circa accelerationem non minus in solidis quam fluidis habere locum. Hinc (quemadmodum & Castellus observarit) in canalibus plurimum inclinatis, sectiones inferiores fieri minores superioribus; molitores quoque aquis ex alto cadentibus rotarum alas subjicere ut velocius gyrent, nec hæc in descriptione rotatilis suctoris & pressoris Hassiaci differri ipsum Papinum. Fateri sese interim, impediri aliquando illas leges, cum scilicet & motus liber impeditur, idque a se tractatum libro 5, & præcise prop. 11. 12. Nempe necesse fuisse, ut prius æstimaretur quantitas sine impedimentis, deinde separatim æstimandis & detrahendis, atque ita se perveniisse ad propositionem secundam libri quarti, quæ experimento comprobata, viam straverit regulæ generali ad prop. 7 ejusdem libri demonstratæ. Neque autem se videre, qua ratione dicat Dn. Papinus, partes superiores varie affici ab inferiorum celeritate, cum partes antecedentes majori celeritate affectæ, id est, inferiores, non possint morari sequentes tardiores, nempe superiores. Cæterum ab impedimentis fundi ac laterum, aquæque visciditate sese abstractionem expresse
TAB. XI. Fig. 1. fecisse. Et quod dixerat Dn. Papinus in *Fig. 2*, si leges Galilæi locum haberent, in canali inclinato E C B H, superficiem aquæ debere esse E H, parallelam fundo canalis C B, non E G, magis inclinatam; id negat Dn. Gulielminus, secundum ea quæ paulo ante ex Castello eum observasse notavimus: nam quia aquæ cursus post longiorem procursum sit velocior, ob majorem accelerationem, etiam per minus spatium, seu minorem sectionem transire. Et quod quærat

Dn.

Dn. Papinus, quænam sit linea E G, a se determinatum esse lib. 5. prop. 7. 8. 9. Hæc sunt quæ Vir Eximius ad Dn. Papini argumenta reposuit. Scribens autem ad Dn. *G. G. L. tuum*, inquit, *judicium exposuilo, Vir celeberrime, utpote ejus, qui optimo quidem jure inter summos ævi nostri mathematicos ab omnibus citra invidiam percenseri*, Porro Dn. *G. G. L.* sentire accepimus, tanta luce rationum atque experimentorum collustrata esse, quæ hoc loco dixit Gulielminus, & tantam esse in his studiis perspicaciam atque industriam Papini, cujus expectatur replicatio, ut non dubium sit, plurimum ex hoc conflictu incrementi accessurum esse scientiæ.

Altera Epistola aggreditur intactam fere Hydraulices aut Hydrostatices partem, de motu in siphonibus recurvis, hac occasione examinare. Ubi has statuit firmatque propositiones, quas nos brevitatis causa sine demonstrationibus ponemus. (1) In siphonibus æqualium crurum, quorum altitudo minor sit pedibus 33, si aqua plena sint, nullus continget fluxus, sed fluidum tenebitur suspensum; si vero crurum altitudo major sit pedibus 33, continget effluxus ab utroque crure, donec aqua descenderit ad dictam mensuram. (2) In siphonibus inæqualium crurum aqua fluet e longiori crure, & quidem ea velocitate, qua erumperet e vase, cujus aquæ altitudo tanta, quanta est differentia crurum, si tamen crus longius non sit majus pedibus 33. (3) Si siphonis crus longius habeat altitudinem pedum 33, ea velocitate fluet aqua ex ejus orificio, quam haberet decidens ex differentia crurum. Si vero crus longius excedat altitudinem pedum 33, non idcirco augebitur velocitas, sed eadem manebit, quæ esset, si altitudinem illam non excederet. Hæc figuris demonstrationibusque adhibitis comprobat, & complura non inelegantia inde deducit.

LVMBRICVS HYDROPICVS, SIVE TENTAmen, quo probabile redditur, Hydatides, sæpius in morbidis corporibus animalium obvias, esse speciem Vermium seu animalium imperfectorum, propositum ab Eduardo Tyson, M. D. & Reg. Soc. Collega.

Translatum ex Transact. Phil. Angl. Mart. 1691. N. 193. p. 506.

NOn dubito, quin ipsa mox hujus Tentaminis rubrica Lectori quadantenus scrupulum injectura, ejusque judicio circa ea, quæ in medium afferre molior, offendiculum præbitura sit. Verum ne aut ipsius fidei imponerem, aut per ea, quæ nunc a me proferenda sunt, ulteriori ejus investigationi impedimentum crearem, monendum duxi, hæc modo Tentaminis instar exhiberi. Quod si jam veritati consona fuerint, aliorum posthæc observationibus confirmabuntur; sin secus, affatim juvabit melius informari.

Data mihi non ita pridem opportunitate dissecandi *Gazellam* seu capram Indicam *Aleppo* huc allatam, plusculas in ea observavi *Hydatides* seu membranulas aqua limpida plenas, magnitudine non minus, quam oblonga forma columbino propemodum ovo æmulas, quæ *omento* affixæ hærebant; aliquæ etiam in *pelvi* inter vesicam urinariam & *rectum*. Hac proinde occasione oblata non leve me cepit desiderium, certiorem me, quantum pote, reddendi super suspicionibus quibusdam, quas olim conceperam de talismodi sacculis aquosis seu Hydatidibus, in aliis animalibus a me subinde repertis. Scilicet ex iis, quæ tum quidem observare licuerat, in eam propendebam opinionem, eas esse peculiare genus Insectorum, in animalium corporibus genitum; ast tam insigniter discrepans ab aliis quibuscunque, quæ indidem exemta observare hactenus licuit, ut nisi pleniores & ulteriores considerationes accederent, nequaquam auderem meis hisce circa illas cogitationibus confidere.

Rationes vero, quæ in præsens suspicari me faciunt, eas esse insecta aut saltem illorum embryones, aut ova, hæc sunt:

Primo, quod observavi eas exteriori quadam membrana velut matrice includi; tam laxe quidem, ut ea digitis meis vel cultello adaperta, interior vesica lympham serumve continens, nuspiam connexa aut affixa videretur, sed inde prolaberetur promtissime, liquorem interim suum jugiter absque vel minima ejus effusione inclusum servans. Repetita proinde hujus rei experimenta, in hujus aliorumque generum animantibus habita, ansam mihi præbuerunt meditandi, quonam pacto fieri posset, ut humor hicce intra vesicam interiorem intraret, absque ulla cohæsione cum extrinseca istam involvente.

Succu-

Secundo, cum hinc ipſas attentius, nudo licet oculo, conſiderasſem, adverti interiorem hanc veſicam collo quodam inſtructam, eſſe ſeu corpore albo, reſidua veſica magis opaco & exin protuberante: ita tamen, ut in ejus extremitate orificium quoddam obſervare poſſem, quod quidem tum mihi videbatur enaſci a retractione cujusdam ſuæ partis introrſum facta. Per hoc itaque augurabar, poſſe ipſam quaſi per oſculum aſſugere *ſerum* e membrana exteriori, atque ſic ſuam veſicam ſtomachumve farcire.

Tertio autem hac in opinione ulterius mihi calcar addidit auxilium amici mei intimi, Dn. *Richardi Walleri*, quem nempe diſſectioni præſentem aſſiſtere volueram. Communicatis ergo ei meis cogitationibus, quod *Hydatides* iſtæ peculiare inſectorum genus eſſe poſſent in animalium corporibus progenitum, propoſuimus nobis certius in notionem hanc inquirere: factaque ejus, quod paulo ante memini, obſervatione, deprehendimus collum iſtud (cum candelæ admoveretur) revera motum habere, ac modo protrudere ſe, modo brevius contrahere. Quæ ut ſatius percipiantur, lubet ipſas Figuras adponere ingenioſa ejus manu delineatas, tam nativas, ut nempe nudo oculo apparuere, quam quales microſcopium nobis revelavit.

Nimirum *Figura 3.* repræſentat aquoſarum iſtarum veſicularum unam in magnitudine ſua naturali, incluſam exteriori ſuæ membranæ ſeu *chorio*. Forma ejus propemodum rotunda erat, niſi quod planius nonnihil compreſſa videretur, ad inſtar guttæ hydrargyri ſuper ſolido quodam corpore ſtagnantis. Per *a* vero indigitatur collum trans membranam viſum, quod in *TAB. XI. Fig. 3.*

Fig. 4. clarius exhibetur, (extima nempe membrana ſublata) non aliter tamen, quam uti nudo oculo apparet: ubi obſervare eſt apertum orificium in ejus extremitate, nec non quod componatur e circularibus annulis ſeu inciſuris; quæ in *Fig. 4.*

Fig. 5. per microſcopium colluſtratæ ſemet evidentius produnt: hæc vero pars puſillis eminentiis granulorum inſtar undiquaque conſita eſt. Ipſum orificium prope extremitatem exortum videtur ab hac introrſum retracta, factoque experimento rem ita ſe habere deprehendimus: nam in *Fig. 5.*

Fig. 6. Siſtitur collum hujus vermis tota ſua longitudine protractum & grandiori ſpecie repræſentatum: ubi obſervare licet, *Fig. 6.*

quomodo annuli decrescant, ipsumque circa extremitatem in cuspidem desinat. Quod cum aperuissemus, intus reperimus exiles duas fibras *a*, *a*, ex collo procedentes, ac fluctuantes intra liquorem.

Quid vero rerum sint geminæ hæ fibræ, id quidem positive edicere arduum est: ego interim aliis suas relinquens conjecturas, meas modo exhibebo. Scilicet, quod vermis hicce suum protrudendo collum, assugat ab exteriori membrana (quæ ipsum involvit & vasis sanguineis instructa est) humorem seu alimentum suum, quod per geminas hasce fibras seu tubulos devehatur intra ejus stomachum seu vesicam, indeque, prout exposcat occasio, rursus dispensari queat, pro nutriendo integro vermis corpore. Ego etenim fere inducor ut credam, vesicam hancce non nisi stomachum vermis esse: quod quidem rationi minus adversari videbitur, si consideraverimus in aliquibus insectis, quam prodigiosa amplitudine stomachus polleat, proportione habita ad alias corporis partes: sic in *hirudine* observare datur non unum, sed plus quam viginti ventriculos, quorum alius in alium se exonerant, procurrentes per universam corporis longitudinem: & cum *Malpighius* de *Bombyce* annotaverit, *p. 40.* ipsum intra unius diei spatium tantum devorare, quantum pondus totius corporis ejus efficiat: sane hirudo vel unico pastu id longe excedit.

Alii fortean magis in eam propendebunt sententiam, ut autument, totum illud esse solummodo ovum aut embryonem alius insecti, formam suam nondum plene nacti, istamque vesicam esse quasi amnion, extimam vero, quæ istam includit, tunicam, chorion. Ac si quidem ullatenus tale quid perfecte detegere possent, ipse pariter eorum opinioni accederem. Verum cum aliquo ab hinc tempore ovem lue corruptam dissecuissem, in eaque talium Hydatidum plusculas offendissem, diversis earum adapertis, non potui nisi structuram in cunctis exacte eandem observare: aut dubio procul si secus se res habuisset, in tali numero non potuisset fieri, quin aliquas invenissem perfectioni suæ propiores.

Non possum proinde quin statuam, Hydatides hasce esse speciem vermium seu insectorum sui generis: & quandoquidem tantam aquæ copiam intra se continent, quodque communiter deprehenduntur in morbosis ovibus, hydropisi laborantibus: idcirco nomen illis tribuo *Lumbricorum Hydropicorum*; non tamen quod sumem,

tumem, omnes illas *cystes*, in morbidis corporibus obvias, mox tales esse; in quibusdam etenim observare haud valui talis modi collum structuramque partium, sed nil nisi vesicam transparentem lympha repletam: atque has egomet diversi generis esse arbitror.

Sic in fœmina aliqua quondam ægrota, at hodienum vivente, meliorisque nunc, quam omni anteactæ vitæ tempore, sanitatis compote, ante hoc decennium circiter, cum aperiri feciſſem latus dextrum paulo infra costas spurias, erupit inde multum aquæ limpidæ, sed quod maxime miratu dignum, una cum ea ingens Hydatidum copia, tanta quidem, ut a principio ad finem usque, uti judicavimus, bene quingentæ talismodi vesicæ prodierint: pleræque erant integræ, aqua limpida turgentes; aliarum vero, quæ grandiores fuerant, quam pro portione orificii, tunicæ erant disruptæ: in nulla tamen earum advertere collum potui, quamvis solicite facta inquisitione: id quod credere me facit, ipsas a præsenti nostro subjecto differentes existere.

Ejusdem quoque census sunt, quas frequenter reperi intra ovaria seu testiculos mulierum ex hydrope defunctarum, quas quidem non nisi pro ovulis inibi contentis habeo, quæ scilicet per immodicum humorum affluxum perſæpe intumescunt ad magnitudinem tam prodigiosam, ut aliquando plures liquoris congios (*gallons*) inde extraxerim.

Pariter quod adducitur *in Philoſ. Tranſact. n. 188.* de vesiculis aquosis intra vesicam urinariam repertis, eodem spectat: dum in earum nulla collum observatum fuit.

Id modo lubet adhuc addere, *Lumbricos* hosce *Hydropicos* me nunquam non offendisse partibus membranosis appensos (potius, quam corpori ullius viscerum inclusos) uti omento, peritonæo, extimisve membranis diaphragma, stomachum, jecur, colon aliave intestina vestientibus.

Ac sane minus est, cur miremur insolitam in hoc vermē structuram, quandoquidem id quod annotavi de *Lumbrico lato* (*Philoſ. Tranſ. n. 147. p. 153.*) non leviorem admirationem meretur, quamvis modo quadantenus diverso. Imo cuicunque non deest curiositas

ad obſer-

ad obſervandum interanea in vaſto inſectorum regno, affatim materiæ ubivis offendet pro excitanda admiratione.

G. G. L. *GENERALIA DE NATVRA LINEARUM, anguloque contactus & oſculi, provolutionibus, aliisque cognatis, & eorum uſibus nonnullis.*

CUm nihil mihi ſit gratius, quam qualiacunque tentamina mea Viris egregiis digna videri quæ perſiciantur; perplacuere, quæ clariſſimo Baſileenſium Profeſſor *Bernoullius* de linearum oſculis nupero Martio in Actis Erud. publicavit. Cumq; animadverterem, cogitationes quidem noſtras in ſumma ipſi probari, nonnulla tamen aliter conſtituenda judicari, quod adeo non ægre fero, ut quoties doceor, in lucro ponam; meum eſſe putavi, rem denuo examinare, paratiſſimo ad retractandum animo, ſi monitis contrariis doctiſſimi Viri locum dari poſſe deprehendiſſem.

Statueram ego, *contactum* continere duas interſectiones coincidentes; *oſculum* continere plures contactus coincidentes, & oſculum quidem primi gradus eſſe, quando coincidunt contactus duo, ſeu interſectiones quatuor; oſculum ſecundi gradus, quando coincidunt interſectiones ſex aut contactus tres &c. & circulum oſculantem, ſive maximum aut minimum tangentium intra vel extra in propoſito puncto circulorum (qui ſcilicet omnium tangentium proxime ad curvam accedit) eſſe curvedinis menſuram, & definire quantitatem anguli contactus; ita ut angulus contactus duarum linearum ſe tangentium ſit idem qui circulorum ibi eas oſculantium. Et in lineis quas circulus in pluribus punctis ſecare poteſt, altiora etiam oſcula poſſe oriri, cum omnes interſectiones in unum coaleſcunt, atq; ita aliquando in caſu maximæ vel minimæ curvedinis, ſeu tranſitus a curvedine creſcente ad decreſcentem vel contra, coincidere oſcula duo, ſeu contactus quatuor, interſectiones octo. Obſervavi etiam poſtea, centrum circuli curvam propoſitam oſculantis ſemper cadere in lineam, quæ evolutione fili propoſitam generare poteſt, & unicam (ſuæ ſeriei) eſſe perpendicularem illam, quæ ex centro oſculantis circuli ad lineam duci poſſit; ſive unicam eſſe *unicam*, hoc eſt unicam eſſe maxi-

maximam vel minimam ex eodem puncto ad curvam educibilem; cum ex aliis punctis intra curvam plures & duæ saltem perpendiculares, id est in sua serie maximæ vel minimæ, seu *duæ suæ serici unicæ* ad curvam duci possint. Et cum constet aliam atque aliam lineam evolutione describi, prout filum producitur longius, animadverteram olim (ut hoc obiter dicam) eas quas Dn. *Bernoullius* nuper vocavit condescriptas esse *parallelas* inter se, ita ut una sit ab alia ubique æquidistans, (seu æqualis ubique minimi intervalli, quod est recta minima ab una ab aliam ducenda) vel, ut recta perpendicularis ad unam, sit alteri quoque perpendicularis, quæ dudum mihi fuit definitio *parallelismi* in genere sumti. Hanc nostram curvedinis mensuram, usumque Evolutarum, etiam primo Evolutionum Inventori celeberrimo *Hugenio* placuisse, ex solutione catenariæ lineæ animadverti. Porro cum tres intersectiones circuli & curvæ coincidant, notavi *flexum* oriri contrarium, id est contactum sumtum cum intersectione. Quemadmodum & coincidentes intersectiones quinque dant contactum cum flexu contrario coalescentem, seu intersectionem cum osculo primi gradus; & intersectiones septem coincidentes dant flexum contrarium cum simplici osculo, seu osculum secundi gradus cum intersectione coalescens. Unde intelligitur, quotcunque intersectiones coincidentes in contactus, oscula, aut flexus contrarios resolvi posse. Et quidem in contactu vero atque osculo recta vel circulus lineam ab utraque parte tangit extrorsum, vel ab utraque parte introrsum; sed in flexu contrario unam partem tangit extrorsum, alteram introrsum; & ita compositum non tangit, sed secat.

Causam quoque, cur linea evolutione generans locus sit centrorum omnium circulorum lineam propositam osculantium, ita explicare mihi videbar: Sumantur duo puncta curvæ A & B, & ducantur rectæ ad curvam perpendiculares in A & in B, earum intersectio communis C dabit centrum circuli, qui radio C A descriptus tanget curvam in A, radio vero C B descriptus, tanget eam in B, sed si coincidant A & B sive inassignabiliter distent, hoc est, ubi duæ perpendiculares concurrunt, coincidunt duo contactus, duoque circuli tangentes abeunt in unum, qui curvam osculabitur; sed per hunc ipsum concursum perpendicularium inassignabiliter differentium inveniuntur & lineæ evolutione generantes, ut ex *Huge-*

niano de pendulis opere patet. Porro circulus, cujus centrum est in recta arcui ad easdem partes cavo perpendiculariter occurrente, per punctum occursus descriptus, arcum non secat, sed tangit. Itaque ubi secat, necesse est ibi punctum adesse flexus contrarii, seu non esse lineam ad easdem partes cavam. Recte autem animadvertit Dn. *Bernoullius*, intersectione simplici ad contactum simplicem vel ad osculum seu contactum multiplicem accedente, contactum mutari in sectionem; sed hinc manifestum est, cum circulus curvam osculatur, regulariter (id est excepto flexus contrarii puncto) coincidere quatuor intersectiones seu duos contactus; adeoque hanc ipsam esse naturam osculi primi gradus, quandoquidem id osculum definimus ordinaria osculatione circulorum, quæ in quocunque curvæ puncto regulariter locum habere potest, seu circulo curvedinem mensurante, qui scilicet proxime ad curvam accedit.

Et in universum dici potest intersectionum circuli cum alia linea numerum regulariter esse parem. Itaque non video, quomodo primi gradus osculum tribus intersectionibus explicari queat, ita scilicet, ut tale osculum trium radicum sit regulare & tota curva diffusum, at osculum quatuor radicum seu quatuor coalescentium intersectionum pro secundo & singulari habeatur, nec nisi in punctis curvæ determinatis contingat. Contra enim se res habet, & quatuor intersectiones seu duo contactus osculo cuique regulariter insunt; & in solo casu extremo, qui est flexus contrarii, nascens, ut ita dicam vel moriens osculatio tribus intersectionibus contenta est. Unde nolui ex casu trium intersectionum peculiarem osculi gradum facere, cum præsertim ex contactu (cujus perfectior species osculum est) in intersectionem degeneraret. Eademque ratione & in altioribus osculatio sua natura paris est numeri radicum, nec nisi inflexus contrarii puncto in numerum imparem abit. Et sane cum circulus post contactum in puncto proposito curvam adhuc in duobus præterea punctis secat, necesse est has intersectiones promoto circuli centro continue ad dictum contactum appropinquantes, tandem ambas simul contactui coalescere, nam cum quamlibet in eum pervenire necesse sit, ideo si alterutra sola ad contactum perveniente circulus fiat proximus curvæ, seu osculatis, sequitur ambabus intersectionibus separatim pervenientibus ad coalitionem

cum

cum contactu proposito, duos dari circulos diversos lineæ pro ximos seu osculantes per idem ejus punctum propositum transeuntes, quod est impossibile. Nisi scilicet linea ibi secet semet ipsam, quo casu duarum vice fungitur, adeoque circuli illi duo revera lineas duas osculantur, licet unius partes, de quo hic non agitur. Facile etiam hinc intelligitur, si circulus post contactum internum secare curvam rursus (utrinque) possit, tunc in casu osculi (ubi duæ sectiones contactui coalescunt) circulum osculantem esse extra curvam; & contra ex contactu externo mox in casu coalescendi cum duabus reliquis sectionibus, fieri osculum internum, & ita transitum circuli, a contactu sectionem adjunctam habente ad osculum, esse transitum in oppositam curvæ partem.

Sed & hoc notandum est, *minimam curvedinem* & *maximam obtusitatem* esse in puncto flexus contrarii, & recte dixit Dn. *Bernoullius*, circulum osculantem eo casu degenerare in rectam; radius enim est infinitus, seu centrum cadit in lineæ evolutæ concursum cum sua asymptoto. Quoniam antequam duæ proximæ, ad curvam perpendiculares, sibi occurrentes hactenus ad plagam propositam, fiant sibi occurrentes ad plagam oppositam, seu ex convergentibus divergentes, debent fieri parallelæ, quo casu earum concursus infinite abesse debet. Fieri tamen & aliunde potest, ut lineæ generatæ curvedo sit minima, seu maxima obtusitas; non quidem absolute sed in toto aliquo arcu ad easdem partes cavo, seu in certa progressione. Cum scilicet talis est natura curvæ per sui evolutionem generantis, ut evolutio continuari ultra certum punctum, & filum generans ulterius extendi nequeat; uti contingit cum curva evolvenda ex duabus convexitates sibi obvertentibus ac sese tangentibus composita est. Eodem modo prodibit maxima curvedo, seu minima obtusitas, ut lineæ curvedo ex crescente rursus incipiat fieri decrescens; veluti si curva generanda non intra duos arcus generantes convexitate obversa se tangentes, sed extra earum angulum cadat. Neutro tamen modo generata linea per continuam fili evolutionem producitur.

Hæc autem ut notarem, eo facilius adductus sum, quod linearum naturam in universum illustrant, mihique proferunt non tantum ad finiendam illam celebrem de angulo contactus controversiam,

sed & a vaga logomachia ad usus solidos ac profuturos transferendam. Et video nuper Dn. *Eisenschmid* dissertationem suam contra Dn. *Lagnium* defendentem, ac de diametro umbræ in eclipsi Lunæ loquentem ex hypothesi terræ ovalis, adhibuisse diametrum circuli, qui ovalem osculatur, seu cum ea angulum osculi (angulorum contactus minimum) facit atque ita quam proxime ad illam accedit; eo consilio, ut ex diversis proportionibus diametri umbræ ad diametrum lunæ definiatur vera figura globi terræ. Quod quantum præstare possit, observationibus committo.

Cum hæc scripsissem, venere in manus meas *Acta mensis Maji*, in quibus nova quædam *Bernoulliana* legi, & lineæ illius, cum qua rectæ convergentes ad datum punctum, eundem constantem angulum (sed obliquum) faciunt, proprietatem elegantissimam ibi detectam, non sine voluptate observavi, aliaque video notata, quæ generalem curvarum naturam illustrant. Plurimum igitur Linearum doctrinam hodie promotam habemus tum explicata *flexus* natura, tum adhibitis ad earum generationem *provolutionibus* pariter atque *evolutionibus*. Interiorem naturam *flexus* seu curvitatis aperuisse nonnihil visus sum detecta *mensura anguli contactus*, opes scilicet circuli curvam *osculantis*, seu maxime ad eam accedentis, eundemque cum ea in puncto osculi flexum habentis, de quo tum antea, tum etiam hoc loco dictum est.

Quod ad *provolutionem* attinet, *Galilæus*, ut arbitror, primus de lineis per eam generatis cogitavit, & *simplicissimam* ex iis *cycloidem*, quam clavus rotæ in plano incedentis describet in aere, considerare cœpit, de qua multa a viris doctis sunt demonstrata. *Romerus* Danus, astrorum inprimis scientia clarus, cum in observatorio Regio Parisino versaretur, elegantes, ut audivi, proprietates detexit cycloeidis altioris, cum rota scilicet sive circulus incedit super circulo. De quo tamen nihil ad me pervenit. *Neutonus* nuper de cycloeidibus iisdem egregia & universalia dedit.

Evolutionem curvarum generatricem primus illustravit *Hugenius*. Eam cogitationem promovit *Tschirnhusius* adhibitis, (ut ego appellare soleo) *coëvolutionibus*, animadversoque quomodo tales lineæ coëvolutæ ut *foci* spectari possint, & radiorum quoque concursu generentur, considerata inprimis caustica, quæ formatur radiis

radiis parallelis a ſpeculo reflexis. Ego inde longius progreſſus ſum, uſumque reperi ad ſolvenda problemata (quorum in gratiam potiſſimum ſuſcipitur ſpeculatio) *lineasque opticas* inveniendas, quarum ope radii redderentur ad datum punctum convergentes vel divergentes, aut etiam inter ſe paralleli. Quod alia etiam ratione præſtitere *Neutonus* in Principiis, *Hugenius* in libro de Lumine. Obſervavi quoque eadem opera dari figuras *Acamptas*, quæ etſi opacæ & politæ ſint, radios tamen non reflectunt, & *Aclaſtas*, quæ licet ſint tranſparentes, ſeu ex materia radios refringente, vi formæ tamen ſuæ & poſitionis ad Solem, radios ſine refractione tranſmittunt. His nunc obſervationes ſingulares *Bernoullius* adjecit. Cæterum ab *Hugenio* in tr. de Lumine, & *Tſchirnhuſio* in Actis, notatum eſt, cauſticam illam a ſpeculo a concavo ſphærico radios Solares reflectente formatam, ſimul eſſe cycloeidalem, provolutione circuli ſuper circulo generatam. Poſtremo a me nuper propoſita eſt *nova linearum formatio per concurſum curvarum ordinatim datarum*, cum antea tantum radiorum ſeu rectarum concurſus adhiberentur, cujus formationis ad problemata quædam ſolvenda egregium uſum comperi.

Eximia quædam ineſſe videntur illis, quæ de figura veli a vento tenſi Cl. *Bernoullius* nuper diſſeruit; tametſi de tota re (in qua non deſunt ſcrupuli) ob molem aliorum negotiorum non expenſa, pronuntiare non auſim. Ex reperta a me menſuratione *loxodromiarum* per logarithmos equidem non parum practici fructus duci poteſt; difficilem tamen arbitror curſus æſtimationem, quæ longitudinibus definiendis ſufficiat. Cum de deviatione navis Geometrica acribia agitur, non velorum tantum, ſed & navis ſpectanda eſſet figura. Denique quod innuit, ſe Fratremque in calculo meo plurimum profeciſſe, id agnoſco, gratulorque non illis magis, quam mihi. Valde autem noſſe velim, an ultra metas illas ſint provecti, ad quas ego perveni; id ſi ab ullis, certe ab ipſorum ingenio aliquando expecto, & gaudebo plurimum, ſi intellexero; præſertim cum mihi vix amplius in talibus ea qua prius intentione animi verſari liceat. Cæterum a me quoque non difficulter ſolvitur illud problema: invenire lineam, cujus arcu æquabiliter crescente elementa elementorum quæ habent abſciſſæ, ſint pro-

portionalia cubis incrementorum vel elementorum, quæ habent ordinatæ; quod in Catenaria seu funiculari succedere verissimum est. Sed quoniam id jam a *Bernoullii* est notatum, adjiciam, si pro cubis elementorum ordinatarum adhibeantur quadrata, quæsitam lineam fore logarithmicam. Si vero ipsa simplicia ordinatarum elementa sint proportionalia elementis elementorum seu differentiis secundis abscissarum, inveni lineam quæsitam esse circulum ipsum.

SOLVTIO PROBLEMATIS DE MINIMO CREPVSCVLO, per I. B.

Communicata in literis Basileæ d. 20. Jul. 1692. datis.

NOtum, Crepuscula maxime diuturna quidem in solstitio æstivo contingere, brevissima vero non in hyberno, sed medio quodam inter hoc solstitium & æquinoctium tempore, de quo definiendo nunc agitur. Problema autem ex eorum numero est, in quibus utilitas cum inveniendi difficultate conjungitur; unde multis magni nominis Geometris subinde quidem, at frustra, tentatum fuit: nec mirum; obstat enim insuperabilis calculi molestia, devoranda iis, qui illud communi more aggrediuntur: sed nec etiam per methodum indivisibilium, promiscue & sine delectu adhibitam, quæsitum facile quis consequetur: peculiaris via est, qua dextre & commode solvatur, quam si quis init, totam difficultatem in unica & simplici proportione trigonometrica terminari comperiet, quæ talis:

Ut Sin. tot. ad Tang. 9 gr. Sic Sinus Elevat. Poli, ad Sinum quæsitæ Declinationis australis, quam Sol tempore minimi crepusculi obtinet.

Eo itaque Problema specie impeditissimum redactum videmus, ut posthac in vulgaria systemata Astronomica referri, & simplicissimis quibusque Problematibus connumerari valeat.

HISTOIRE ECCLESIASTIQVE PAR MONS. FLEVRY.

i. e.

Claudii Fleurii, Presbyteri, Abbatis in Loc-Dieu, Præceptoris se-

ris ſecundarii Principum Burgundiæ & Andegavi, Hiſtoria Eccleſiaſtica. Tomus I. continens duo ſecula priora.

Hagæ Com. apud Adrianum Moitiens 1692. in 12. plag. 22.

NOvus non eſt in Actis noſtris Autor; ejusque inprimis Catechiſmum Hiſtoricum commendavimus anno 1689. pag. 569. Eadem diligentia, perſpicuitate & ingenuitate hiſtoriam eccleſiaſticam conſcribere aggreſſus eſt, ejusque duo ſecula abſolvit, libris, quorum ſummam exhibemus, quatuor. Incipit ab adſcenſione Domini, cujus vitam & geſta ex Evangeliſtis petenda præſupponit. Acta quoque Apoſtolorum, quatenus libro Novi Teſtamenti canonico referuntur, breviter percurrit, operoſior in enarrandis eorum epiſtolis. Cætera congerit ex autoribus, Joſepho, Philone, Euſebio potiſſimum, qui extant, eorumque libros margini adſcribit. Annos notat, ubi certos eſſe putat; dubios omittit, aut ex conjectura memorat. Scripta Doctorum ſive Patrum, quos vocant, cum induſtria & fide enucleat, ad inculcanda religionis fundamenta, augendumque pietatis ſtudium magis reſpiciens, quam ad controverſias, quæ pro partium ſtudio ex veteris Eccleſiæ actis ſcriptisque foveri ſolent. A fabuloſis & incertis abſtinet, & paradoxa quædam veterum dicta ex aliis explicat aut excuſat. Non ſperniendo igitur cum fructu libri hi legi poſſunt; nec opus eſt contenta doctioribus ſatis nota referre. Indicabimus tamen quædam ex autoribus idoneis probe compilata, v. g. Hiſtoriam Apollonii Tyanæi, Lib. I. n. 49. Lib. II. 21. 49. 53. Geſta Romanorum contra Judæos, & Hieroſolymarum excidium, II. 12. 17. ſqq. It. 36. 41. Hæreſin *Nicolaitarum, Simonis Magi, Cerinthi & Menandri*, 21. 23. 42. Epiſtolam *Clementis* ad Corinthios, 33. & ſeqq. Librum *Hermæ*, qui inſcribitur *Paſtor*, 44. ſeqq. Epiſtolam S. *Barnabæ*, 57. 58. Oſſenorum ſectam, Lib. III, 2. *Ignatii* acta & epiſtolas, Lib. III. 4. & ſeqq. Acta *Polycarpi*, 13. 14. 44. 49. 50. *Papiæ* hiſtoriam & opinionem de mille annis, 15. Errores *Saturnini*, *Baſilidis*, *Gnoſticorum*, *Valentini*, *Marcionis*, *Apellis* & ſimilium, 19. 20. ad 30. it. 34. 35. Apologias pro Chriſtianis *Quadrati & Ariſtidis*, 22. It. *Juſtini*, & alia ejus acta, marty-

martyrium & scripta, 36. ad 41. it. 51. ad 57. *Athenagoræ* apologiam, 47. Motus & cladem Judæorum sub Adriano, 24. 25. Apologiam *Melitonis*, Lib. IV. 1. seqq. *Antonini* Imp. rescriptum pro Christianis, 2. 3. Narrationem de legione fulminatrice, 11. & de martyrio *Viennensi* & *Lugdunensi*, 12. *Montani* & Tatiani hæresin & scripta, 6. 7. *Bardesanis* scripta, 9. & *Irenæi*. 17, 23. & sqq. it. 43. Epistolam *Polycratis* Episcopi Ephesini, 44. *Clementis Alexandrini* vitam & opera, 36. sqq. *Tertulliani* historiam & libros de baptismo, pœnitentia, oratione & ad uxorem, 47. & sqq.

JVSTI CHRISTOPH. SCHOMERI S. TH. D. ET Prof. Prim. in Univers. Rostoch. Consist. Duc. Assessoris & Superint. Mecklenb.

De Collegiatismo tam Orthodoxo quam Heterodoxo Disputationes quatuor, denuo revisæ & auctæ.

Luneburgi apud Jo. Georg. Lippertum, A. 1692. in 4. Constant alphab. 1. & 3. plag.

QUem Autor Reverendus de *Collegiatismo tam orthodoxo, quam heterodoxo*, novum exhibet tractatum, ejus argumentum antea Rostochii aliquot disertationibus publicis, *Collegiorum privatæ pietatis* nomine inscriptis atque publicatis, erudite tractaverat. Instituti hujus & consilii rationem ipse in præfatione addita luculenter exponit, ea moderatione usus, ut, ubi caussam nostratium attingit, *in thesi*, quod ajunt, abstracta quadam ratione illam considerarit, ostendendo, an & quo more novam docendi methodum introducere liceat, quantusque inde & sub qua cautione fructus sperari expectarique possit: ad *hypothesin* vero, quid quoque loco ac tempore actum ab aliis vel peccatum sit, aut porro consultum videatur, transire data opera omiserit; quod suis cujusque Censoribus publicis & Consistoriis id relinquendum putaret. Tractatus in 10. partes dividitur. In *Prima* de jure colligendi ad privatam pietatem disserit, sex potissimum capita constituendo; in 1. definitionem collegiorum pietatis privatæ; in 2. jus

privatim

privatim docendi: in 3. legalitatem privatorum collegiorum: in 4. illegalitatem privatæ communionis: in 5. illegalitatem schismatis, & 6. denique necessitatem nullam collegiorum talium esse tradit. In *secunda*, de collegiali dicendi libertate in synodis publicis agit, cujus tractationis itidem quatuor membra sunt. In *primo* varios modos atque gradus libertatis ostendit, distinctionem circa hanc causam inter Ecclesiam plantandam & plantatam adversus Klinckhamerum defendens. In *secundo*, libertatem linguæ muliebris a Quackeris ad eam licentiam admissæ refutat, prohibitionis rationem declarando. In *tertio* Ecclesiæ Corinthiacæ statum, atque scopum Apostoli 1. Cor. XIV. explicat. In *quarto* Ecclesiæ primitivæ disciplinam generalem tum ex historia Apostolica, tum Ecclesiastica exponit, respondendo ad argumenta, quæ inde a Collegiatis dictis peti solent. In *tertia dissertatione* de Syncretismo collegiali disputat, *primo* explicando statum quæstionis, ut Arminianorum novam formam Syncretismi collegialis confutare accuratius possit: *secundo* charismata S. Presbyterii, quæ in prima ecclesia ex mente Collegiatorum fuerint, & an illa in vera ecclesia adhuc desiderari debeant, describit, examinando argumenta Collegiatorum pro perpetuitate primævi splendoris allata. *Tertio* certitudinem veritatis hodie reliquæ in ecclesia contra Collegiatos asserit; & *quarto* de tolerantia dissentientium in fundamento, & Syncretismi collegialis differentia ab omni alio, in hac quæstione disquirit, atque distinctiones & cautionem circa admissionem vel exclusionem necessariam suppeditat. In *quarta dissertatione* de utilitate collegiorum disputat, diversos fines Collegiatorum & Quackerorum exponendo, & hypotheses diversas Collegiatorum declarando. Qua occasione tum de utilitate ex collegiis nostratium sperata, tum de periculo, quod inde metuitur, distincte & prudenter statuit.

D. SAMVEL Schelwigs/Leitstern des Gewissens/ &c.

i. c.

Cynosura Conscientiæ, sive perspicua & Scripturæ S. congrua multorum, maximam partem singularium, nec e trivio petitorum, item quorundam nondum

satis enucleatorum Casuum Conscientiæ Decisio, autore Samuele Schelvvigio S. Th. D.

Francofurti & Lipsiæ apud Johannem Adamum Plener/ 1692. in 4. Alphab. 4.

DUlm e Casuum conscientiæ, annis duobus proxime elapsis, non sine egregio Auditorum suorum commodo, institutæ decisione, fructum aliquem in alios quoque redundaturum esse haud temere sibi persuasum haberet insigne Ecclesiæ Dantiscanæ columen, Dn. Schelvvigius, typis eandem vulgare, non inconsultum judicavit. Quandoquidem autem nimis prolixum foret, singulorum casuum conscientiæ a celeberrimo Viro propositorum & perspicue discussorum enarrationem instituere, trium saltim resolutionem cum benevolo Lectore speciminis loco communicaturi sumus.

p. 140. sqq. Circa quæstionem sextam & decimam, in qua disquiritur, *quid de externis apparitionibus Angelorum, imo ipsius Jesu, hodie sentiendum sit, & an Christianis illas a Deo expetere, ac fidem iisdem tuto adhibere possit?* postquam monuisset, sibi non de internis apparitionibus, quæ ut plurimum in somnio hominibus obtingunt, sed de externis, quæ semper vigilantibus obvenunt, sermonem esse, observat non infrequentes tempore V. T. fuisse ejusmodi revelationes, nec sub initium N. T. eas plane desiisse, variis testimoniis e sacro codice petitis confirmat; conceditque hodienum fieri posse, ut non solum Christus in his terris sese videndum exhibeat, cum in iis invisibili modo, etiam quoad humanam naturam, jamjam præsens adsit; sed & Angeli, utpote Spiritus administratorii, emissi in ministerium eorum, qui hæredes erunt salutis, ad nutum Dei in assumta forma visibili fidelibus appareant; imprimis cum in singulis a nato Christo seculis apparitionum Angelicarum occurrant exempla, quamvis ab eo tempore, quo Scripturæ S. canon absolutus est, longe rariora fuerint. Prorsus autem negat, Christiano licere ejusmodi revelationes a supremo Numine expetere, cum mandatum pariter atque promissio in Scripturis super ea re deficiat, ac in supremi Numinis contumelium vergat, ab eo quicquam rogare, quod cum sanctissi-

Matth. XXIIX, 20. Hebr. I, 14.

sanctissima ejus voluntate haud congruit, aut de quo non satis constat, utrum cum illa conveniat. Quod si tamen citra nostras preces Angelus, vel ipse Christus, nobis forte fortuna appareret, prudentia quadam, ne hic excedamus vel deficiamus, opus esse judicat, statuitque signa, a Doctoribus Scholasticis hactenus tradita, e quibus divina a diabolicis dignosci debent, ita comparata esse, ut ne unum quidem plene satisfaciat. Ex illis ad summum quandoque cognosci posse, aliquid a Deo non esse profectum; neutiquam autem ex iisdem indubitato constare, hoc vel illud Deo originem debere, propter summam Satanæ versutiam, qui non solum de facili Angelum lucis induat, sed se ipsum Christum esse venditet; quod olim 2.Cor.XI. pientissimo Turonensium Episcopo Martino accidisse, ex ipsius vita 14. a Sulpitio Severo descripta satis appareat. Qualem fraudem metuens quidam Eremita, cum illi appareret non nemo, dicens: *Ego sum Christus, te personaliter visitans, quia dignus es*: vultum suum confestim texerit, responderitque: *nolo hic videre Christum; satis est, in gloria si videro.* Ejusmodi itaque apparitiones valde periculosas esse, ut ne cultus religiosus ei, qui se Christum simulat, nec tamen revera est, hac ratione deferatur, adeoque idololatriæ crimen committatur, non immerito censet Autor noster, adjiciens, quandoque personatum Christum verbis suis, dum vero contradicit, semet prodere, ut ex Brigittæ ac Mariæ de Escobar apparitionibus satis superque elucescat. Progreditur hinc ad revelationes Angelorum, ostenditque easdem, ceu fraudis plenas, non modo *B. Lutherum* deprecatum esse, sed & inter Pontificios magni nominis virum, Philippum Nerium, ab omni visione abhorruisse; ac censet, circa Angeli apparitionem maxime attendendum esse, e rerum divinarum an humanarum numero sint, quæ ab ipso proponuntur. Quod si suggerat divina, ad doctrinam legis aut evangelii spectantia, sive Scripturæ S. sint consona, sive ab illa abeant, non esse audiendum. Nam si verbo divino dissona tradat, eundem Apostoli Pauli judicio condamnari: sin vero consona doceat, uti quandoque fieri Gal.I.8. solet, tunc decere, ut prius suam vocationem demonstret, quandoquidem in Scripturis non ad Angelos, sed homines, ceu legatos vo- 2.Cor.V. luntatem Dei nobis annunciantes, remittamur; insuper & in S. Litteris omnia, quæ ad fidem & mores cognitu sint necessaria, sufficien- In Cap. XXII. Gen. T.X. Wittebergens.

tissime jam sint proposita. Quod si autem de rebus humanis agat, accidere posse, ut benignissimum Numen quendam hominem vel integram provinciam de imminente malo evitando per Angelum admoneat, vel per eundem in visibili specie apparentem defendat; ac tum licitum esse, præmonitionem ac propugnationem grata mente agnoscere, ita tamen, ne in idololatriæ crimen incurramus. Præter adducta, non parum ad Spirituum apparentium scrutinium facere monet, si attendamus, an sibimet aut manifestæ veritati contradicant? utrum iis, quæ prædicta sint, eventus respondeat? utrum ea finem honestum intendant? Tandem dubiis, quæ pro apparitionibus Angelorum aut ipsius Christi a Deo expectandis moveri possint, satisfacit, ac huic quæstioni jucundissimam quandam de fallacibus visionibus relationem ex celebertimi Burneti Hodepor. part. 1. a f. 74. usque ad f. 107. subjungit.

p. 225. sqq. Quæstione XXV, de *anonymis & pseudonymis scriptis, utrum & quando licitum sit ea edere*, tractat. De *Anonymis* tres distinctæ positiones ab ipso efformantur. Quarum *prima* asserit, in se non esse laude dignum vel consultum scripta anonyma edere, cum nec V. nec N. T. scriptores omnes, qui impulsu Spiritus S. scripserunt, nomina sua reticuerint, ac præterea occultatio nominis multa sæpe incommoda secum vehat: id quod ibidem illustratur, ac insuper notatur, B. Lutherum, etsi contra aliquot potentissimos Principes scripserit, nunquam nomen suum dissimulasse, eamque ob rem publice gloriatum fuisse: in variis item Recessibus Imperii, ut Augustæ 1545. & Spiræ 1570, nec non in Concilio Tridentino sess. 4. ejusmodi anonymorum scriptorum editionem improbari. *Secunda* docet, in se non esse prohibitum, scripta anonyma typis vulgare, quandoquidem & libri quidam divini sine nominibus eorum, quorum opera Spiritus S. in scribendo usus fuit, lucem hanc adspexerint, nec non præclara alia scripta, de quibus integri catalogi extent, hac ratione edita fuerint; præterea & circumstantiæ personarum, loci, temporis interdum non admittant, ut autoris nomen libris præfigatur. *Tertia* asseverat, ob conditiones certas nonnunquam illicitum esse scripta anonyma publicare, si nempe nominis occultatio cum amore Dei aut proximi pugnet. De *Pseudonymis* scriptis, cum duplicis sint generis, ac vel sub nomine, quod alterius est proprium, prodire solent, vel tali quod nulli alii competit, insigniantur, duabus quoque

Tom. I Jenen. Germ. f. 399. & Tom. 4. Jen. Germ. f. 508.

Vid Vincentii Placcii Tract. de Scriptor. occultis.

quoque positionibus mentem suam exponit. Earum *prima* defendit, sua natura illicitum esse, sub alterius, si non consenserit, nomine libros publicæ luci exponere, cum hac ratione in octavum Decalogi præceptum impingatur, falsum testimonium de proximo edatur, ac lector ipse decipiatur, ut nonnunquam magno suo damno approbet, quæ alias improbasset; ceu suo exemplo nos edoceat optimus Ægyptiorum Rex Ptolomæus Philadelphus, cui veterum sapientum scripta magnis sumtibus comparanti, multa recentiora sub veterum scriptorum nominibus oblata sint, ita ut in Bibliotheca Alexandrina quinquaginta libri Analyticorum Aristotelis numerati fuerint, cum vix quinque hujus generis ipse reliquerit. *Altera* demonstrat, non simpliciter injustum esse, nomen aliquod alii personæ haud competens assumere, ac libris editis præfigere, cum jura civilia, secundum quæ Christianum, dummodo juri divino non tradant contraria, vitam suam componere decet, cuilibet, si in fraudem aut damnum alterius non vergat, nomen suum mutandi facultatem faciant: insuper & in Scriptura S. hujus rei exempla occurrant, siquidem in V. T. Salomon a Nathane Jedidia, & Daniel a Babyloniis Belsazer vocatus fuerit, & in N. T. Simon a Christo nomen Kephæ seu Petri acceperit. Concedit tamen Autor noster, pseudonyma scripta non minus quam anonyma multis sæpe incommodis occasionem dare, & hoc nomine nigrum theta mereri. Tandem dubio cuidam satisfacit, ostenditque, morem præfigendi nomina libris frustra accusari ambitionis, cum eundem Deus ipse in verbo suo approbaverit. In appendice huic quæstioni subjuncta ad B. Gerhardum Loc. de Minist. §. 272. de anonymis scriptis pluribus agentem remittit, ac præterea notat ex pseudonymis scripris, quæ sub nomine alicujus Antagonistæ evulgantur, ac sententiam a mente ejus prorsus alienam, quasi ipsius foret, proponunt, omnium esse periculosissima, & ob id maxime atro carbone notanda, ejusque farinæ scriptum superiori seculo sub nomine B. D. Tilemanni Heshusii prodiisse, & hoc nostro B. D. Abrahamo Calovio suppositum fuisse.

Vid. Henric. Schævium Dissert. Phil. 9. de Critica, Th. 12.

2. Samuel XII. 25. Dan. I, 7. Joh. I, 42.

Ad quæstionem LXIII, in qua disceptatur, *an Christianus in extremo necessitatis casu alteri, in quem non habet imperium, sine expresso ejus consensu aliquid auferre licite possit, & si id faciat, an eo ipso furtum proprie sic dictum, atque in septimo decalogi præcepto vetitum* p. 540. sqq.

tum committat? Respondurus Autor noster, quædam præmonet, scilicet, sibi sermonem non esse de Magistratu, quid ille vi dominii supereminentis facere possit: nec de necessitate gravi, ubi quis mediis ordinariis haud utitur, sed extrema, ubi omnia ordinaria media exulant, dubium esse intelligendum: ejusmodi necessitatis casum facile existere posse, inprimis in iis regionibus, quæ a pauciſſimis hominibus inhabitantur, ubi viator interdum aliquot dierum iter conficiat, antequam ullæ ab eodem conspiciantur ædes: e Gentilibus
l. 3. Offic. ipsum Ciceronem ab ablatione tali abhorrere, scribentem: *Nonne sapiens, si fame ipse conficiatur, abstulerit cibum alteri, homini ad nullam rem utili? minime vero. Non enim mihi est vita mea utilior, quam animi talis affectio, neminem ut violem commodi mei gratia*: Theologis illis, qui judicant potius moriendum, quam in extremo necessitatis casu aliquid auferendum esse, ab hominibus in tali necessitatis casu constitutis oggeri forsan posse, *vos si hic essetis, aliter sentiretis*. Quibus præmissis suam mentem exponit, statuens *primo*, posse Christianum in extremo necessitatis casu, suo proximo, in quem nullum ipsi competit imperium, sine ejus expresso consensu, aliquid auferre. Posito enim, non concesso, factum ejusmodi peccaminosum esse, duo in ejusmodi casu concurrere peccata, unum contra quintum præceptum, si quis fame mortem sibi attrahat, cui media contra illam suppetant; alterum contra septimum, si juxta mentem suam furtum faciat. Jam extra omnem controversiam, peccatum contra quintum præceptum majus esse peccato contra septimum admisso, adeoque hic obtinere notissimam illam regulam, e duobus malis minimum esse eligendum; quæ non solum in malis pœnæ, sed & in
Vid. Scherz. malis culpæ, si utrumque evitari haud possit, locum inveniat. Ma-
Syst. Loc. ximum autem robur suæ sententiæ accedere judicat, quod Deo ipse in
26. §. 13. p. Scriptura §. tritum proverbium, necessitatem legis esse nesciam, quoad
729. secundam Decalogi tabulam, suo calculo approbaverit. Id quod ipsum ex *Matth. XII, 3. 4.* probat, inferens, si Davidi ob necessitatem panes ipsi Deo sacros, sine ejusdem expresso mandato, auferre, iisdemque vesci licuit, multo magis alium necessitate adactum quædam proximo, illo non consentiente, surripere, & in usum suum convertere posse. Idem adhuc clarius ex eo elucescere censet, quod nullus homo, si ad supremum Numen referatur, bonorum suorum

domi-

dominus, ſed tantum œconomus ſit, ac juxta monitum *Petri i. Epiſt. cap. IV.* ſuis donis, quæ a Domino accepit, aliis inſervire teneatur. Unde colligit, benignisſimum Numen, cum eum in finem dona ſua homini conceſſerit, ut eadem cum aliis indigentibus communicaret, uſum quoque talium donorum omnibus indigis certo modo communem eſſe voluiſſe, adeoque homini in anguſtiis ſummis conſtituto jus competere ea, ſi ab aliis ſuppeditari nequeant, libere uſurpandi. Ea de cauſa & Deum in V. T. legem ſanciviſſe, atque indulſiſſe homini jus comedendi de uvis e vinea proximi, & evellendi manu ariſtas e ſegete ejusdem, ne prætereuntibus ad refectionem ſa- Deut. XXIII. cientia deeſſent. Licet autem hæc lex una cum Politia Judaica in 24. 25. deſuetudinem venerit, moralitatem tamen ejusdem in N. T. adhuc ſupereſſe, atque ex illa colligi poſſe, Deo non diſplicere, ſi extremæ neceſſitati etiam citra proximi conſenſum occurratur, cum olim cuilibet ex uvis aut ſpicis proximi inſcii, vel citra extremam neceſſitatem, ſe refocillandi poteſtatem dederit. *Secundo* docet, proprie dictum ac in ſeptimo præcepto prohibitum furtum non committi, ſi urgente extrema neceſsitate quis proximo ſuo quæpiam ſurripiat. Deum namque, cum expreſſe mandaverit, *non occides*, non poſſe inter furta referre, ſi proximo quis auferat ea, ſine quorum uſu uſuram vitæ neceſſario interverteret: ordinatam charitatem a Matth. XXII. ſe ipſa incipere, & philautiam eſſe menſuram amoris proximo debi- 39. ti: abeſſe quidem in tali caſu conſenſum formalem, non tamen vir- Levit. XIX. tualem: poſſeſſorem, hominum opinione talem, ſi interrogaretur, 18. forſan conſenſurum, aut ſi id non faceret, juxta veri ac ſupremi poſſeſſoris mentem ad conſentiendum obligatum eſſe: omne quidem furtum eſſe ablationem rei alienæ, ſed non omnem ablationem rei alienæ furtum eſſe, uti ex *Exod. III, 22. & XII, 35. 36.* ſatis ſuperque conſtet. Corroborata ſic ſua ſententia, ad dubium, quod maximam veritatis ſpeciem ipſi præ ſe ferre videtur, reſpondet, neutiquam per hanc ſententiam furtis ipſis latam aperiri portam, nec fures ex ea patrocinium ſibi petere poſſe, cum in extrema ſaltim neceſſitate, eaque vera, non ficta, aliorum bona ſurripiendi conceſſa fuerit facultas. Alterum dubium B. Lutheri verbis e Tom. VI. Witteb. Germ. fol. 240. a. petitis proponit, ac reſolvit. Tandem & huic quæſtioni appendicem ex Emanuele Gonzales Commentar. in decretalia T. 4.

ſuper-

ſuper L. 5. Tit. 18. c. 3. ſubjungit. Sed hæc ex libro iſto longe utiliſſimo, qui ſub finem quadruplici indice, quæſtionum, locorum Scripturæ S. autorum & rerum exornatur, adduxiſſe ſufficiat.

HVGONIS GROTII DE JVRE BELLI AC PACIS Libri III. Acceſſerunt Excerpta Annotationum variorum Virorum inſignium in totum opus, edente Joh. Chriſtoph. Becmano.

Francofurti ad Viadrum, impenſis Jer. Schrey 1691. in 4. Conſtant Alphabet. 8.

DUdum quidem nova hæc Grotiani operis editio noſtratibus innotuit, plurimorumque teritur manibus, ut ſilentio a nobis videatur poſſe præteriri. Aſt in exterorum gratiam, ad quos forte non multa adhuc ejus exemplaria pervenerunt, indicanda pauca fuit. Nimirum cum doctiſſimo illi Hugonis Grotii de jure Belli ac Pacis operi illuſtrando a multis annis certatim velut Viri Eruditi incubuiſſent, editis in illud ſtricturis aut juſtis commentariis; bene ſe de juventute Academica, quam tot ſcriptis aliis hactenus eruditverat, meriturum cenſuit celeberrimus Becmanus, ſi dum nova Grotiani operis editio pararetur, doctorum illorum virorum annotationes textui Grotiano ſubjunctas in compendio exhiberet. Id enim gratum futurum videbatur & illis, quibus commentarii ipſi ad manus non ſunt, & iis etiam qui eos poſſident quidem, ſed evolvere ſingulos gravantur, & malunt quæ in iis præclara ſunt, uno obtutu comprehendere. Itaque Excerpta ex clariſſimorum virorum *Joh. Adami Oſiandri, Caſparis Ziegleri, Joh. Henrici Bœcleri, Joh. Friderici Gronovii, Joh. Georgii Simonis*, & *Henrici Henniges*, in Grotium Annotatis exhibuit; quin &, in quo vel maximum operæ tulit pretium, ex illuſtris Viri, *Samuelis Pufendorfii*, de Jure Naturæ & Gentium doctiſſimis libris, ſelectiora loca, & quæ præ aliis lucem Grotianis ſententiis adferre viſa ſunt, attexuit: rerum etiam præcipuarum novo eoque accuratiſſimo indice ſubjuncto.

*)o(*

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Octobris Anno M DC XCII.

HISTOIRE DES CONCILES GENERAVX COMmençant par le premier Concile de Nicée.

hoc est

Historia Conciliorum generalium, incipiens a primo Concilio Nicæno.

Parisiis apud Danielem Hortemels, anno 1692. in 4.
Constat Alphab. 2.

PRima pars hujus operis anno superiori 1691 Parisiis in octava forma editi, & nunc juxta Parisiense exemplar Amstelodami, ut videtur, recusi, continet historiam Concilii Nicæni ex Eusebio, Athanasio, Epiphanio, Socrate, Gelasio aliisque Patribus & Scriptoribus ecclesiasticis in margine allegatis concinnatam. Neque tamen his allegationibus lectores tuto fidere semper poterunt. Nam e.g. pag. 58. refert Autor tanquam e Sozomeno ad marginem allegato, quod Eusebius Nicomediensis Arii patronus obtenderit, sacras Scripturas in controversia, quæ tum inter Arium & alios agitabatur, unice consulendas, nec traditionum incertarum rationem aliquam habendam esse: Orthodoxi autem Episcopi responderint, traditionem Apostolicam esse alterum religionis fundamentum, & hæreticorum morem omni tempore fuisse, quod ad Scripturas provocaverint, cum tamen Scripturæ sensus absque traditionum subsidio dijudicari non possit; ideoque in præsenti negotio duplicem illam Scripturæ & traditionis regulam spectari oportere. Verum qui Sozomenum evolvet, nihil tale ab eo referri deprehendet. Sic pag. 52. prolixe narrat Autor, quid Hosius Cordubensis post suum ab Alexandria reditum Imperatori suggesserit, & in margine

Epiphanii hæresin 69. adscribit. Ast verendum, ne ista in Epiphanio quæsituri operam suam perdant. Nonnunquam tamen hic scriptor tam verecundus est, ut, quæ in cerebro suo finxit, aliis non affingat. Eadem enim pag. narrat Hosium, priusquam Alexandria discederet, statim ad Sylvestrum Papam Rom. acta suæ legationis retulisse; cujus rei nullum testem in margine adduxit. Subjunxit autem huic historiæ concilii Nicæni notas, quibus dubia quædam, & difficilia ejus loca illustrat. Cum enim in historia dixisset, Achillam Petri Alexandrini successorem per octo annos Alexandrinæ cathedræ præfuisse, quod plerisque scriptoribus episcopatui Achillæ tempus longe brevius assignantibus repugnat, in notis rationes suæ assertionis affert, quas tamen variis difficultatibus premi haut dissimulat. Dixerat porro in historia, Hosium Cordubensem in Alexandrino Concilio Sylvestri legatum fuisse; quod cum a pluribus negetur, in notis confirmare nititur; quamvis ingenue fateatur, claro antiquitatis testimonio probari id non posse. Dixerat in historia, Concilium Nicænum non solum ab Imperatore Constantino, sed & a Sylvestro convocatum; in notis autem iterum totius antiquitatis silentium, quoad convocationem a Sylvestro factam agnoscit: cujus silentii hanc rationem reddit, quod indictio per Imperatorem facta magis publica & solennis fuerit. Missis reliquis notis primæ parti adjectis progredimur ad secundam.

Complectitur illa varia monumenta, quæ ad Concilium Nicænum spectant, in sermonem Gallicum conversa: nempe, epistolam Alexandri Alexandrini ad Episcopos Ecclesiæ catholicæ, Arii ad Eusebium Nicomediensem, Eusebii Nicomediensis ad Paulinum Tyrium, Arii ad Alexandrum Alexandrinum, Alexandri Alexandrini ad Alexandrum Byzantinum, Constantini M. ad Alexandrum & Arium, item ad Arium & Arianos, Eusebii ad Ecclesiam suam Cæsariensem, Constantini ad Nicomedienses, aliasque epistolas ad Concilium Nicænum pertinentes, nec non orationes ab Eustathio Antiocheno Episcopo & Constantino Imp. in Concilio habitas, libellum ab Eusebio Nicomediensi & Theognide oblatum, Imperatoris edictum contra Arianos, nomina Episcoporum qui Concilio Nicæno subscripserunt, & confirmationem Concilii quæ a Sylvestro facta dicitur. Sequuntur iterum notæ, quarum nonnullas indica-

indicabimus. In notis ad epistolam Alexandri Alexandrini Episcopo Constantinopolitano cognomini inscriptam observat, quod Baluzius hanc epistolam non ad Alexandrum Constantinopolitanum, sed ad Alexandrum Thessalonicensem scriptam fuisse putet. Cum enim hanc epistolam ante concilium Nicænum scriptam esse inter plerosque conveniat, Gelasius vero Cyzicenus aliique non Alexandrum, sed ejus decessorem Metrophanem Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopum Nicæni Concilii tempore fuisse dicant, non dubitavit Vir doctissimus, quin titulus hujus epistolæ apud Theodoretum a librariis corruptus sit. Confirmavit hanc sententiam ex eo, quod in duobus codicibus MSS. Theodoreti antiquis, quæ in Regia bibliotheca extant, nec non in editione Græca Roberti Stephani, & in Basileensi quadam Latina titulus ille non compareat. Cum vero id ex Theodoreto constet, quod hæc Alexandri epistola ad alium quendam Alexandrum scripta sit, persuasum fuit Baluzio, quod hæc epistola ad Alexandrum Thessalonicensem eo tempore haud incelebrem directa fuerit, cum præsertim Episcopi in gravioribus negotiis ecclesias Apostolicas, qualis etiam Thessalonicensis erat, consulere consueverint. Verum etsi hanc Baluzii sententiam non omni veri specie carere Autor noster agnoscat, eorum tamen rationes, qui hanc epistolam ad Alexandrum Constantinopolitanum missam dicunt, haud minoris roboris esse censet. Dicit enim eos notare, quod Gelasio asserenti Metrophanem Concilii Nicæni tempore Constantinopolitanum Episcopum fuisse, aliisque recentioribus scriptoribus, qui Gelasium sequuntur, fides adhibenda non sit, cum alii fide digniores aliud testentur: neque probari possit, Eusebium ex Gelasio corrigi debere. Interim non diffitetur, vel Theodoretum vel librarios in eo titulum epistolæ mutasse, quod Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum appellaverint, cum sua ætate Constantinopolis diceretur, quæ ante Concilium Nicænum, Byzantium dicta fuerat; neque negari posse putat, quod vel hæc ipsa epistola, ad Alexandrum Byzantinum missa, etiam ad Alexandrum Thessalonicensem missa fuerit, vel saltem una ex reliquis Alexandri literis circularibus, quarum plures fuerunt, ad Alexandrum Thessalonicensem directa fuerit. Epistolam Constantini ad Arium & Arianos, quam Gelasius l. 3. de Conc. Nic. c. 1. retulit, genui-

nam esse, Epiphanii & Socratis autoritate, & stylicum aliis Constantini epistolis conformitate probat, eamque cum homousii & Concilii Nicæni mentionem non faciat, ante concilium Nicænum scriptam esse censet. Qua in re, ut in multis aliis, Baronii conjecturas sequitur. Eustathii Antiocheni orationem a Gregorio Presbytero Cæsarienſi memoratam, suppositam esse statuit; cum non verisimile videatur, in ipso Concilii Nicæni auspicio, cum nondum Arii causa ventilata esset, Eustathium tam graviter in Arium invectum fuisse; etsi Hieronymus, cum in ep. 126. Eustathium clarissima tuba bellicum contra Arium cecinisse scribit, ad hanc Eustathii orationem respexisse videri possit. Orationem a Constantino in Concilio Nicæno habitam fidelius a Gelasio quam ab Eusebio recitari arbitratur, cum verba, quæ Theodoretus ex Constantini oratione excerpsit, non in Eusebiana sed in Gelasiana Constantini oratione inveniantur. In notis ad subscriptiones Episcoporum ex Petro de Marca probare nititur, quod Hosius Sylvestri loco Concilii Nicæni Præses fuerit: in eo tamen a Marca dissentit, quod locum Eusebii l. 3. de Vit. Constant. c. 7. ubi Episcoporum in Concilio Nicæno frequentia recensetur, a librariis corruptum & ex Gelasio supplendum statuit, quod Autori nostro probatu difficile merito videtur. Hæc ex secunda tractatus hujus parte notasse sufficiat.

Sequitur tertia, quæ Gallicam symboli Nicæni & canonum Nicænorum versionem continet. Exhibet autem non solum canones illos 20. qui ab omnibus ut genuini recipiuntur, & epitomen illorum canonum, quam Rufinus historiæ suæ ecclesiasticæ inseruit, in 22. capitula distributam, verum etiam canones 80. qui vulgo Arabici appellari solent, ab Alphonso Pisano, Francisco Turriano & Abrahamo Ecchellensi Latine quondam factos, & nunc Gallico idiomate donatos. Ad finem horum canonum notat, quod Abraham Ecchellensis præter illos canones Arabicos ediderit 15 capitula Concilii Nicæni ad vitam monasticam spectantia, item 19 constitutiones ecclesiasticas varii argumenti, nec non 25. alias constitutiones Constantino Imperatori dedicatas, una cum præfatione quadam concilii Nicæni, quæ omnia Labbeus suæ Conciliorum collectioni inseruit. Verum hæc in Gallicum sermonem conver-

tere

tere noluit Autor noſter, ſufficere ratus, ſi titulos & argumenta iſtarum conſtitutionum breviter indicaret, ſuumque de illis judicium annecteret. Statuit autem conſtitutiones illas una cum præfatione ſubjuncta ita comparatas eſſe, ut cum probatis Autoribus, & ſana antiquitate difficulter conciliari poſſint, nec opus videatur, multis argumentis probare, quod ſint ſuppoſitæ, cum ex ipſa lectione id ſtatim manifeſtum fiat. Commemorat poſtea numerum & ordinem canonum Nicænorum, quos Alphonſus Piſanus in prima ſua Concilii Nicæni editione vulgavit, & quam debili fundamento innitatur ejus de 70 canonibus Nicæni Concilii ſententia, exponit. In eo autem cum Ecchellenſi & Piſano conſentit, quod plures quam 20 canones a Patribus Nicænis conditos ſibi perſuadeat; quorſum refert decreta Concilii Nicæni de feſto Paſchatis, de Meletio, de ſacrificiis per jejunos offerendis, & de conſuetudine examinandi in poſteriori Concilio, quæ in priori decreta ſunt: neque repugnat iis, qui canonem de bigamis non ordinandis, & de appellationibus ad Romanos Epiſcopos ad Concilium Nicænum referunt. Canonem vero de libris canonicis & apocryphis, canonem de clauſula doxologiæ eccleſiaſticæ addenda, & canonem de literis formatis, abſque ſolido fundamento Concilio Nicæno a nonnullis tribui affirmat. Tandem etiam mentionem facit Diatypoſeon, quas Gelaſius Cyzicenus a Patribus Nicænis ſanctas memorat. Tertiam hujus tractatus partem iterum notis nonnullis Autor illuſtrat, quarum pars maxima genuinos Concilii Nicæni canones concernit. Eas recenſere ſuperſedemus, id modo notantes, quod in obſervatione 2. animadvertit, ſolidas probationes ab antiquitate illis ſuppeditari, qui non plures quam 20. canones a Nicænis Patribus conditos affirmant, unde mirum videri poſſit, quod hac ſententia deſerta diſſentientibus acceſſerit. Arabicis canonibus notas non adjicit, ſed rationes tantum adducit, quibus Turrianus & alii canonibus iſtis colorem aliquem ſinceritatis obducere conati ſunt. Eas vero infirmis conjecturis niti judicat. Poſtremo Hartmannum perſtringit, pro quo Ruelium nominare debuiſſet, quod in conciliis illuſtratis (Tom. 2. pag. 319.) dicat ſe Arabicos canones 80 apponere per Teilonem & Thearistum Conſtantinopolitanum e Græco in Latinum verſos, cum tamen tantum 20 canones genuinos a duobus

bus illis viris Latine redditos fuisse, ex concilio Carthaginensi IV. (VI. debuit dicere) circa annum 419 celebrato constet, idque multis ante seculis factum fuerit, quam Arabici canones prodirent. Decepit forte Ruelium collectio conciliorum Biniana, ubi Tom. I. p. 332. edit. 1618. ex Pisano ita referuntur canones Arabici, ut suis locis etiam canones 20 a Teilone & Theariſto Latine verſi & in Carthaginensi Concilio memorati inſerantur, & talis titulus præfigatur: *Capitula Nicani Concilii per Teilonem & Theariſtum Conſtantinopolitanum de Græco in Latinum verſa. Arabici canones 80.* Quamvis enim verba hunc titulum proxime antecedentia innuant primam tituli partem ad canones Nicænos in Carthaginensi Concilio lectos ſpectare, ipſe tamen titulus linea interpoſita & majusculis literis a verbis præcedentibus ita ſeparatus eſt, ut illa confuſio Ruelium facile confundere potuerit.

HET EERSTE CHRISTENDOM, DOOR WILliam Cave: vertaalt door Salomon Bor &c.

id eſt:

Wilhelmi Cave Tractatus de Primævo Chriſtianiſmo; ex Anglico in Belgicum ſermonem traductus a Salomone Bor. Acceſſit præfatio H. Witſii.

Ultrajecti apud Franc. Halma, 1692 in 8.
Conſtat Alph. 2. & plag. 2.

OPus hoc novum non eſt, ſed jam ante viginti circiter annos a Reverendo Autore, ſæpius a nobis meritoque laudato & hodieque per Dei gratiam ſuperſtite, Anglico idiomate editum, & in Actis A. 1686. p. 164. ſqq. cum quarta ejus editio ad nos perveniſſet, recenſitum. Nova tamen eſt, quæ nunc demum clariſſimi Ultrajectinorum Theologi, *Hermanni Witſii*, conſilio lucem aſpexit, utiliſſimi libri verſio Belgica, quæ vel ob Præfationem a graviſſimo hoc Viro adjectam, ſilentio a nobis transmittenda non fuit. Ejus itaque Præfationis, cum de opere ipſo prolixe ſatis dicto loco actum jam fuerit, ſummam paucis exhibemus.

Fate-

Fatetur *Witsius*, Christianam Ecclesiam, quanto minus fuit à Christi & Apostolorum temporibus remota, quantoque fuit simplicior, tanto puriorem sanctioremque extitisse. Postquam excogitatæ humano ingenio aut ex Judaismo & Paganismo adoptatæ cerimoniæ invaluerunt, corruptum paulatim Christianismum fuisse, & charitatem pietatemque refrixisse. Itaque eorum laudat studium, qui primorum Christianorum intemeratos mores ex Antiquitate Ecclesiastica seculo repræsentant: & speciatim præsentem Tractatum (cujus autorem scriptis pluribus aliis non in Anglia tantum, sed ubicunque terrarum bonis litteris decus suum constat, celebritatem nominis adeptum memorat) ab exquisita eruditione, elegantia judicii, stylique acumine magnopere commendat. Se utique ex lectione libri multum ait profeciſſe, verisque Christianismi vivis in eo coloribus adumbrati memoria intime affectum fuisse, indeque dignissimum reputasse hoc opus, quod in linguam Belgicam, ut nationalium suorum omnium, quibus eruditio & pietas curæ cordique est, usibus pateret, transfunderetur. Ita enim persuasum se habere, neminem, cuicunque etiam inter Christianos sectæ sit addictus, futurum, qui non hic reperiat, quo cor ad fidei communis actuositatem excitetur. Huc nempe rem redire, ut tametsi veritas pretiosum sit cimelium, quod pati non debeamus a quoquam nobis eripi, omnis tamen de Deo notitia fidesque inanis sit censenda, nisi quam præcellentes virtutes illæ comitentur, quibus a Pharisæismo pariter Judaico, ac Gentilium Philosophia Christianismus discernitur. Nulli quidem ævo tantum in scientia rerum divinarum obtigisse lumen, quantum vel habet, vel præ se fert hoc nostrum: sed omnem illam sapientiam parum nobis prodesse, si mens sit frivola, si Deo vacua, minusque capax sanctæ illius innocentiæ, qua tanquam pueruli regnum cœlorum jubemur ingredi. Tanto beatiores primos illos Christianos deprædicandos, qui tametsi veritates multas cogitationibus non æque sublimibus fuerint complexi, nec æque subtiliter terseque Divina Fœdera sciverint distinguere, eorum tamen, quæ divinitus edocti erant, vim ac robur in cunctis actionibus suis & acerbissimis inprimis cruciatibus, Novi Testamenti gratia abundantissimi expresserint. Hæc & similia, primævi Christianismi scrutinium, & quo ille accurate depictus est, præsens hoc doctissimi Angli opus Lectori commen-

commendaturus, cum graviter Theologus Batavus disseruisset, ad extremum monet, existimandum tamen non esse, fundamentales & omni tempore quam exactissime servandas leges hic præscribi: historias proponi ait, atque exempla, e quibus quisque seligat, quæ cum prudentia imitetur. Quin haud dissimulat, Autori etiam ipsi se non omnino adstipulari, ubi eum ex Antiquitate videat avidius arripere, quæ cum Hierarchia & Liturgia Anglicana utcunq; conveniunt. Denique falli potuisse & veteres illos, vel unius Paulini Episcopi Nolani exemplo docet, qui, si Gregorio Magno fides, ut ex captivitate alium liberaret, se ipsum loco ejus, deserta Ecclesia sua, captivum fiteritː quod utique factum a prudentia aut charitate aliis imitanda commendari non possit.

D. VAL. ALBERTI, P. P. LIPS. EXAMEN Professionis Fidei Tridentinæ, nec non Expositionis doctrinæ Catholicæ Jac. Benign. Bossueti, in XXV Disputationibus publice institutum.

Lipsiæ apud Maurit. Georg. Weideman A. 1692 in 12.
Constat Alphab. 1. & plag. 8.

INter alia scripta celeberrimi Autoris, quæ quidem Theologici sunt argumenti, proxime antecessit Augustana Confessio, thetice ac apologetice ab eo pertractata, & A. 1690 in lucem publicam missa. Hujus mentio, tametsi jam a nobis delineata est mense Jan. Anno 1690 pag. 26, hic injicienda fuit, cum eadem methodo, qua præsens libellus, conscripta sit, imo decenti ordine hunc quasi comitem sibi junxerit. Quemadmodum enim in priori illo Scripto sententiam Ecclesiæ nostræ e primario ejus Symbolo, quod Augustanam Confessionem merito suo esse, sponte fatemur, clare deduxit firmissimeque probavit: ita in hoc posteriori doctrinam Pontificiorum e Professione fidei Tridentinæ, quam una cum Concilio ejusdem nominis pro Confessione totius Ecclesiæ suæ habent, liquido deprompsit clarissimeque refellit. Præterea, cum in illo, Jesuitæ Galli, Joannis Dez, *Unionem* (qui est titulus libelli,) *Ecclesiæ Protestantis Argentoratensis cum Romana*, totam simul excusserit; in hoc, Episcopi Galli, Jacobi Benigni Bossueti, *Expositionem doctrinæ Catholicæ*, eadem

dem opera modeſte examinavit, non tantum ut gratiam novitatis, quæ duobus hiſce Papiſticis Scriptis haud deeſt, prudenter aucuparetur, ſed & ſophiſmata, quæ circa Auguſtanam Confeſſionem Dezius, & in Tridentinis decretis Boſſuetus commiſit, aperte detegeret ſolideque refutaret; præſertim cum e Noſtris hactenus, quantum quidem Nobis innotuit, Boſſueti libellum nemo aggreſſus ſit totum, tametſi nobis non minus quam Reformatis aperte adverſetur. Tandem in eo quoque harmonia inter utrumque illud Autoris Scriptum obſervata eſt, quod ſingula eorum capita in diſputationes nervoſe redacta, inque cathedra publice defenſa ſint, antequam in unum corpus colligerentur, collectaque luci publicæ exponerentur. Numerus diſſertationum illarum excrevit præſente in libello ad XXV, e quibus priores quatuor ſunt generales, earumque prima Pontificiorum Symbola univerſe, ſecunda & tertia Profeſſionem fidei Tridentinæ ſigillatim, ſicut quarta Expoſitionem doctrinæ Catholicæ Boſſueti deſcribit; ſequentes ſunt ſpeciales, examinantes Articulos fidei Papiſticæ eo, quo in Profeſſione fidei Tridentinæ proponuntur, ordine, ac inſperſis, quæ Boſſuetus in medium attulit, jam ſeorſim in peculiaribus, jam conjunctim in iisdem diſputationibus, prout occaſio tulit, donec in XXV, quæ eſt ultima, Clauſula etiam tum in Profeſſione fidei Tridentinæ, tum in Expoſitione Boſſueti ſub incudem revocari potuit. Præterea præmiſit Autor non tantum ipſam fidei Tridentinæ Profeſſionem & Programma ſuum, quo has Diſputationes ſimul indixit, ſimul Lectiones Anti-Calvinianas ſuperiori anno intimavit; ſed adjecit etiam Indicem rerum notabilium, & Programma quoddam Dn. D. Simonis, Profeſſoris Francof. ad Viadr. quod hic illi oppoſuerat, negans inprimis, quod ibi aſſertum viderat, Rationem eſſe principium primum dogmaticum Eccleſiæ Reformatæ. Speramus autem fore, ut Autor, ſi Deus, quod optamus, vires ei vitamque conceſſerit, ita pergat in deſcribendis & examinandis etiam Calvinianorum, Arminianorum, Socinianorum &c. doctrinis, ex ipſis uniuscujusque Sectæ Symbolis; cum hic labor non tantum oppido ſit utilis, ſed & ipſis Adverſariis non poſſit non probari, quippe quod monuerint non raro, id faciendum eſſe, ſi toti eorum Eccleſiæ nonnihil ſit imputandum. Imo & hoc viciſſim ab iis requirimus ipſi, non neſcientes, quod & in his Theologiæ par-

tibus, tam Thetica quam Polemica, purius ex ipso fonte bibantur aquæ.

PENSE'ES INGENIEVSES DES ANCIENS ET des Modernes &c. i. e.
Veterum atque Hodiernorum Cogitata ingeniosa, a P. Bohursio collecta.
Parisiis apud viduam Cramoisyanam 1692. in 12.
Continent plagulas 16.

APpendix hæc est aut Continuatio alterius libri, ab eleganter docto e Societate Jesu viro *P. Bohursio* pridem editi, & a nobis in Actis A. 1689, p. 109 & seqq. recensiti: *La Maniere de bien penser dans les Ouvrages d' Esprit.* Enim vero uti artem bene cogitandi in priore illo libro Bohursius tradiderat sub forma Dialogi, & adhibito connexionis artificio: ita in hoc ingeniosarum cogitationum exempla, quæ in justo illo Dialogorum contextu commodum locum non invenerant, & digna tamen ab industrio eorum Collectore habita fuere, quæ non perirent, promiscue nulloque servato ordine exhibentur. Nec dissimulat in præfatione Bohursius, immixta his esse nonnulla, quæ non omnibus ingenium sapere videantur; sed id consulto ait factum, ut Lectori occasio præberetur recurrendi ad priorem librum, & quæ hic producuntur exempla, ad Lydium velut præceptorum illic propositorum lapidem examinandi.

MARCI TVLLII CICERONIS DE OFFICIIS LIbri tres, & Paradoxa sex. Accesserunt Cato Major, Lælius, & Somnium Scipionis; opera & studio M. Alberti Christiani Rotthii.
Lipsiæ apud Hæredes Lanckisianos in 8. 1692.
Constant Alphabetis tribus & plag. 18.

EA utique Philosophia, quæ est de moribus, quemadmodum hominibus maxime necessaria est, ita præclare meruerunt de humа-

humano genere, qui eam in hominum cœtus primi introduxere. Quid attinet enim cogitationes omnes a recta vivendi ratione abductas in cœlum usque attollere, defixasque in siderum motu semper tenere, vel totam etiam naturam perquirere, ac interim seipsum rationesque vivendi turpiter ignorare? Et tamen viguit olim iste philosophandi modus, usque dum princeps Socrates formare hominum mores institueret; quem paulo post plurimi, quibus præstantissimum a natura ingenium tributum fuerat, in excolenda nobilissima disciplina secuti sunt. Neque in Græcia tantum continuit se Philosophia elegantissima, sed statim fere ac Sapientia Latine loqui didicit, Latinis literis consignari & ipsa tradique cœpit. Nec, ut puto, fallimur, si Ciceroni, uti in multis aliis, sic hoc quoque in negotio præcipuam gloriam asseramus. Ipse enim fuit, qui scriptis de *Officiis* hominum *libris tribus* primus omnium cives suos ad honestatis studium, in quo sunt omnia, traduxit. Sed nec in universum negandum est, totam Philosophiam moralem Romanorum oratorum principi debere plurimum, ut pote quam ipse & sermonibus emendatissimis conscripsit, & methodo exquisitiore disponere studuit. Factum inde est, ut plerumque juventuti proponerentur isti libri, tum ut styli elegantias & orationis Latinæ genium cognoscerent, tum ut virtutis sensu tam teneræ adhuc mentes mature imbuerentur, quæ ipsis ex usu essent, perciperent. Unum modo obstare videbatur, quod juventuti utilissimum librum aliquanto difficiliorem redderet obscuritas, qua laborare ipsum multis in locis manifestum est. Quod obscuritatis tamen obstaculum ut tollerent utcunque Viri doctissimi, commentationes quasdem eruditas in *Officia* ista concinnarunt, sed quæ viris perspicacioribus non omni ex parte satisfecerunt, cum omnis fere ipsorum opera, si unius Rachelii Viri celeberrimi excipiamus labores, in oratione elucidanda, in textu ipso, ubi deficit, restituendo, aliisque, quæ ad Criticorum alias munus pertinent, adjiciendis occupetur; difficultates vero, quæ circa ipsa dogmata & historiam philosophicam penitiorem exurgunt, intactas ut plurimum relinquat. Ut igitur nec hac in parte aliquid disideretur amplius, effecit non ita pri-Vir perquam reverenda dignitate & eruditione solida conspicuus, *Albertus Christianus Rotthius*, hactenus Hallensium, in vicinia nostra imposterum Lipsiensium Ecclesiastes disertissimus. Hic enim cum

juventuti adhuc operaretur, & istis etiam libris explicandis navaret operam, facile pro sui perspicientia ingenii, & in rebus politioribus notitia, pervidit, multum adhuc curis superiorum Commentatorum addi & posse & debere, si Ciceronis de rebus tam necessariis differentis mentem recte quispiam percipere velit. Itaque istam sollicitudinem & curam Commentario istoc, quem cum orbe erudito nunc communicat, sedulo praestitit, ut non textus tantum quam emendatissime prodiret; sed & circa rem ipsam nulla amplius obscuritas supereſſet. Quapropter in consilium adhibuit accuratissimas Schrevelii Grævii que editiones, textumque ab Hildebrando in capita dissectum ulterius in paragraphos descripsit, annotationesque Historicas, Philologicas & Philosophicas, eidem subjecit, non alias tamen, quam quas ad sensum eruendum idoneas judicaret, ubi quidem aliorum Auctorum opera, quando fieri potuit, usum se esse gratus profitetur; sed ut tamen in longe pluribus iisque difficillimis locis propria industria sibi fuerit adhibenda. Ut vero tota Operis facies statim uno quasi obtutu comprehendi a Lectore posset, librorum summam in accuratas tabulas redegit; utilissimasque *dissertationes*, in quibus *Philosophiæ* tum *Stoicorum*, quos sequutus hic ipse Cicero, tum *Peripateticorum* in moralibus capita exhibentur, praemisit. Quo sane labore ita perfunctus ubique est Vir eruditissimus, ut animi doctrinæ elegantioris copia exculti non contemnendum specimen ediderit, & juventutem non tantum, sed & omnes Philosophiæ moralis studiosos sibi obstrinxerit.

LES OFFICES DE CICERON, TRADVITS EN François, sur la nouvelle edition de Grævius, avec des notes & sommaires des chapitres.

hoc est:

Officia Ciceronis Gallice reddita, juxta Crævii editionem novam, cum notis & summariis capitum.

Hagæ Comitum apud H. Van Buldern, 1692, in 12.

Constant plag. 20.

STatim atq; *Officia Ciceronis* a *Rotthio* nostro novis Annotationibus illustrata

illuſtrata percenſueramus, præſto nobis eſt e Belgio alia ipſorum, ſed in Gallicam linguam translatorum editio, quæ idem omnino poſtulare a nobis officium videtur, cum ſimili fere inſtituto cum *Rotthio* inſtiterit Auctor ejus, quisquis eſt, politus ubique atque eruditus. Eo enim curam admovit, ut ſuæ gentis hominibus, aut quicunque alias Gallica legere amant, verſione iſthac non tantum ad frequentiorem lectionem commendaret Officia hæc; ſed & additis præterea animadverſionibus, intellectu haud paulo faciliora redderet, id nimirum in Notis præcipue agens, ut lucem affunderet dogmatibus gentilium, eaque genuino ſenſui aſſereret, cum veritatis quidem aliquam habeant ſpeciem, ſed ubi tamen adhuc opus ſit, ut ad principia religionis Chriſtianæ revocentur. In reliquis vero diligentem præſtitit operam, ut lectores in perſonarum, locorum actionumque, quorum ſæpe in Cicerone fit mentio, notitiam intromitteret; perſuaſus de cætero, quæ criticas illas minutias ſapiunt, inſuper habere atque prætermittere jure ſuo potuiſſe. Toti tamen operi elegantem Præfationem antepoſuit, in qua prolixius occaſionem & tempus enarrat, quo Cicero ad librum hunc conſcribendum ſe accinxerit; quem auctorem imprimis ſectatus; quod argumentum & quo ordine perſecutus ſit; quo ſenſu vocabula *honeſti* atque *utilis* in opere frequentaverit, quamque feliciter toto negotio perfunctus ſit. Ubi imprimis tamen obſervatione digniſſima eſſe putamus, quæ in commendationem hujus libri, & ſanioris omnis Philoſophiæ egregia affert. Eo enim, *ait*, majorem lectorum attentionem *Officia* iſta mereri, quod Romanorum ille Oratorum maximus mores hominum ad ſummum, quam fieri potuit a Viro ſalutari ſcientia deſtituto, puritatis atque innocentiæ faſtigium deduxerit. Quodſi enim operis ejusmodi Auctor nobis eſſet incognitus, quid exiſtimare poſſemus de homine, cujus hæc ſumma eſt doctrinæ: uſum rationis noſtræ conſiſtere in inquiſitione veritatis: corporis eam habendam eſſe curam, quousque ad ſuſtentationem ipſius eſt neceſſaria: ex duobus agendi principiis, quæ in nobismet ipſis ſentire datur, appetitu & ratione, uni reſiſtendum, altero vero, veluti perpetuo & unico vitæ duce utendum eſſe: curæ ante omnia nobis eſſe debere, ut liberi ſimus, non ab omni tantum animi paſſione, ſed a minimo etiam motu, qui vel tantillum tranquillitatem illam animi,

& mentis ſerenum, naturæ noſtræ dignitati apprime conveniens, conturbare valeat: aliis perinde ut nobis ipſis nos eſſe natos, quodque conſiderare nos, ut unius corporis membra diverſa, & invicem ſincero fuciquo omnis experte animo nos proſequi debeamus: tantum abeſſe, ut ullus ſit hominum, cui inferre injuriam liceat, ut potius nemo ſit, cui non omni ope ſuccurrendum, & cujus in gratiam non ſint facienda a nobis, quæ amico conjunctiſſimo aliquis fecerit: quemadmodum juſtitia unica actionum noſtrarum debeat norma eſſe & regula; ſic utilitatem & bonum ſocietatis humanæ ſcopum eſſe debere, ad quem omnium collineent conatus, & cui ut ſerviamus, nullus tantus ſit labor, quem non ſubire, neque periculum ullum, cui nos exponere noſtri non ſit officii. Annon vero ſuſpicari aliquis poſſet, neminem talia ſcribere potuiſſe, niſi qui & in ſolitudinem abditus, & contemplationibus profundis immerſus, Chriſtianus denique & ſanctitate ſingulari conſpicuus fuerit? Ac interim Virum fuiſſe, in celebritate hominum ſemper verſatum, negotiis maximis in orbis theatro exercitatum, atque urbis, totius mundi capitis, conſulem, & gentium denique religione imbutum. Exinde ſane colligi poſſe, quousque recta nos ducere poſſit ratio, ſi conſulere eam ubique & ſequi vellemus, & quam parum ſit illud, quod religioni in præſcribendo vitæ curſu ſit agendum, ſi tales ſimus, quales nos eſſe debere libris iſtis Cicero docuit. Equidem quod primum eſt, hic deſiderari, fidem nempe & charitatem; ſenſum item compunctionis, ex notitia de naturæ noſtræ corruptione exortæ; cognitionem de noſtra verum bonum aſſequendi impotentia, & quæ ad totum de Chriſto myſterium pertinent, quibus omnibus verus Chriſtianiſmus contineatur: ſed facile iſta locum inventura apud hominem, qui in ſeipſum frequenter deſcendat; qui inquiſitione veri occupetur; qui jugo rationis ſe ſubjiciat; qui contra ſenſus excubias agat, & pernicioſas illas voluptatis illicias; qui æquus ubique, benefacere omnibus ſtudens, & nihil pro vero bono habens, niſi quod publice prodeſſe conſtiterit. Quis enim dubitet, diſpoſitiones iſtas requiri in eo, qui profeſſionem Chriſtianiſmi amplecti velit? aut qui fieri poſſet Chriſtianus, qui nondum eſt homo, nec ut fieret, cogitationes unquam ſuſcepit? Nihil ſane poſſe tale quippiam in nobis operari rationem, quod pretium aliquod a Deo auferat; poſſe tamen gratiæ obſta-

cula

cula removere, ſenſuum illuſiones diſpellere, animum noſtrum coercitis affectibus ad ſeipſum revocare, & uno verbo illud, quod gentiles præſtitiſſe hæc teſtentur Officia. Inde ipſorum libros atque diſputationes eſſe utiliſſimos; e nullo tamen fortaſſe tam bonas fruges, quam ex Ciceronis hoc volumine demetere lectores poſſe.

TRATTATO CAVALLARESCO CONTRA L' abuſo del mantenimento delle private inimicitie, di Giuſeppe Anſidei &c.

hoc eſt:

Tractatus Equeſtris contra abuſum proſequendi privatas inimicitias, autore Joſepho de Anſideis Peruſino, Academico Inſenſato, & Nobili Cubiculario Magni Ducis Hetruriæ.

Peruſiæ typis Conſtantini, 1691. in 8. plag. 35.

IN hoc Tractatu, qui beneficio illuſtris Magliabechii ad nos delatus *tribus* abſolvitur libris, illum ſibi potiſſimum ſcopum Nobiliſſimus Autor præfixum habet, ut conſultis eam in rem diverſis ſcriptoribus, & ex propria, quæ ubique eluceſcit, judicandi dexteritate, *primo* conſuetum privatam inimicitiam (quam per *malevolentiam duarum perſonarum haud occulte reciprocam* definit) proſequendi abuſum, privatæque vindictæ injuſtitiam ex principiis moralibus accurate oſtendat: ubi tamen, licet duella optimo jure prohibita ſint, honeſtum nihilominus gladii uſum, neceſſitate ita exigente, & deficiente præſertim legitimo judice, modo cum *juſtitia* & *fortitudine*, & citra ullam præ altero prærogativam adhibeatur, non prohibendum, ſed nec omnibus promiſcue concedendum eſſe, haud obſcure inſinuat. Diverſas *deinde offenſionum* realium & verbalium ſpecies, & quid circa ſingulas conſiderari mereatur, quomodo etiam Equeſtris ordinis viri, rationis ductu & imperio ubique prævalente, ſe gerere debeant, diſtinctim & acute examinat. *Denique* & de *ſatisfactione* agit, quam omnes graviſſimæ etiam offenſiones, excepto *manifeſto adulterio*, admittant, & ad quam offerendam & accipiendam, tam *offendentem* quam *offenſum* proclives eſſe deceat, ita ut ſi *ille* ingenua & vera facti narratione prævia, adjecta

deinceps

deinceps pœnitentiæ conteſtatione, & ſubjuncta petitione condonationis, illam præſtet, *hic* contentus, & ad pacem inter ſe reducendam promtus eſſe, nec alteruter plus minusve juſto ab altero exigere, ſed honoratiorum ex Equeſtri ordine arbitrorum judicio uterque ſtare debeat. Et talem ſatisfactionem etiam ſufficere, ſi quis alteri (cui tamen in ipſo actu talem injuriam non inultam relinquere incumbat) colaphum impegiſſet; modo offendens, præter adducta, inſuper confiteatur, ſe affectuum impotentia abreptum, improbe & peſſimi inſtar hominis egiſſe, alterum vero talem injuriam nequaquam mereri. Plurimum vero ad tollendas honeſto modo privatas inimicitias, & ſtabiliendam hoc pacto tranquillitatem publicam, conferre poſſe autoritatem a Principe interpoſitam. Ideoque maximam deberi laudem, qui nunc rerum in Gallia potitur, LUDOVICO XIV, quod peculiari, &, ut verba ejusdem habent, *adeo juſta & ad conſervationem Equeſtris ordinis neceſſaria* conſtitutione, deteſtando iſti privata diſſidia gladio dirimendi abuſui obicem poſuerit; in qua inter alia cautum legitur, ut qui alterum percuſſerit, poſt biennalem cuſtodiam, nec ipſo offenſo intercedente coarctandam, ille inde egreſſus ſimilibus ictibus recipiendis ſe ſubmittere, & tam viva voce quam ſcripto teſtari teneatur, ſe bruto more alterum percuſſiſſe, & rogare inſuper, ut condonare ſibi & offenſæ dememineriſſe dignetur. Cæterum ut Principem quoque ſuum, Magnum hodie Ducem Hetruriæ COSMUM III. dignis Autor extollit præconiis, quod ſingulari gratia diſcordiis inter Nobiles præcipue vix exortis honeſtum finem imponere ſatagat, cujus auſpicio etiam & juſſu ad ſpinoſam hanc Honoris Equeſtris materiam diſcutiendam proceſſerit: ita inter ſummos Imperii noſtri Proceres, non minori encomio mactandus venit, qui & arte & Marte cum Majoribus paria facit, Sereniſſimus Elector Brandenburgicus FRIDERICUS III, qui præter complura facta Heroica alia, ante annos haud ita multos (id quod deſperatum aliis opus videri poterat) ſevera ſanctione omnem Monomachiæ licentiam ex provinciis ſuis eliminavit, & non minus effreni alterum quocunque modo lædendi pruritui frenum injecit, quam offenſo, pro injuriarum diverſitate, de ſufficientiſſima ſatisfactione hactenus proſpexit.

Chri-

Christian Weisens Gelehrter Redner / hoc est: Christiani Weisii Orator Eruditus.

Lipsiæ sumptibus Jo. Friderici Gledit schii, 1692, in 8.
Constat plagulis 66.

TOties ac tot ingenii monumentis rempublicam literariam sibi non potest devinctam reddere celeberrimus *Auctor*, quin & nobis jucundus semper accidat labor, qui in recensendis eisdem nobis imponitur. Ut enim fœcundissimum a natura faventiore accepit ingenium, ita amœna nunquam non novitate lectorum animos suaviter trahere solet. Qui igitur jampridem *Oratorem Politicum*, & post hunc *Oratorem Elucidarium*, ut vocat, quo istum plurimis in locis egregie amplificaverat auxeratque, Germanice itidem luci publicæ exposuit (ut de Latinis ejusdem Institutionibus Oratoriis nihil dicam9;) habuit tamen præterea, quem eloquentiæ studiosorum commodis nunc consecraret, *Oratorem Eruditum*. Quantumvis enim, ut in omni oratione eruditionem adhibeat non ineptus Orator, necesse sit: quemadmodum tamen vulgaris eruditi fert acceptio, vix alios id nominis auferre perspicaciissimus in rebus ejusmodi *Weisius* annotaverat, nisi qui ex eruditionis penu nonnihil, aut quod cæteroquin rarum & non vulgare, eximiumque sit, sermonibus suis admisceant. Illorum igitur studiis ut consuleretur, isto libro operam dedit *Auctor*, quem *duas in partes* distribuit, quarum in *priore* docet, quomodo adhibito *Allusionis* artificio eruditionis opinio orationi conciliari possit; ita nempe, si vel ingeniosæ *imagines* & *similia*, vel *exantiora exempla*, vel exquisitiora denique *apophthegmata* in medium afferantur, quæ omnia aut ex *miscellaneis*, aut ex *collectaneis*, aut ex ipsis etiam *disciplinis* petenda sint: uti hæc omnia tribus integris libris fuse persequitur, in quibus inter alia & regulis & exemplis ex Mediobarbo, Menetrerio, Bizotio, aliisque docet, quomodo propria industria eruditionis ejusmodi curiosa supellex comparanda & in usum oratorium transferenda sit. Ubi tamen præclara imprimis nobis videntur illa, quæ tertio libro *de erudita distributione*, *de erudita interpretatione*, *de erudita* denique *meditatione*, peculia-

ribus capitibus præcipit. In *posteriori parte* de *Expressione*, ut terminum retineamus, eodem instituto agit, quam & ipsam ad eruditionis laudem admodum commendare orationem posse, uti asserit, ita quæ ad eam requirantur, ut scilicet sit *emphatica*, ut *perspicua*, ut *amœna* denique & ornata sit, prolixius monet: de quibus tamen omnibus vel ideo plura non dicimus, quia dignissimum librum arbitramur, ut tum ob linguæ Germanicæ purissimam & sponte fluentem suavitatem, tum ob exemplorum clarissimorum ad ipsam praxin tendentium copiam, tum denique ob rerum varietatem non injucundam, frequenter ab eloquentiæ cultoribus evolvatur. In fine duplicem appendicem *Auctor* adjecit, in quarum priore orationes exhibet parentales, geminatis exequiis in Domo Electorali Saxonica, & Serenissimæ matris, & filii Electoris Potentissimi destinatas; in altera *Zittavienses rosæ* repræsentantur, quibus heroicus tumulus glorioſisſimi Principis, JO. GEORGII III. orationibus variis encomiasticis & eucheticis sub ductu *Auctoris* consperſus fuit.

PROJET ET FRAGMENS D' VN DICTIONNAIRE CRITIQVE.

i, e.

Delineatio & fragmenta Dictionarii Critici.

Roterodami apud Regnerum Leers anno 1692 in 8.
Constant plag. 27.

PRodit tandem prodromus libri, cujus spes ante biennium in Belgicis de libris eruditorum relationibus facta est. Scopus & apparatus ejus in epistola ad *Rondellum*, humaniores literas Trajecti ad Mosam profitentem, explicatur. Autor, licet nomen reticeat, ex stylo elegantissimo variaq; eruditione, ut & ex lite cum D. Jurio divinari haud difficulter potest. Constituit errores Dictionariorum sive Lexicorum, dataq; occasione aliorum quoq; autorum omnis generis colligere; labore, ut ait, illi non absimili, quo Hercules Augiæ stabula purgasse in fabulis dicitur. Agnoscit quoque talem videri posse, qui amanuensibus potius & quibuscunque compilatoribus, quam viris conveniat, qui ex se aliquid ad rem literariam conferre possint. Tuetur tamen institutum suum, tum ex genii propensione, tum ex materiæ

materiæ amplitudine, quam tantam esse dicit, ut non pauciora volumina quam Zvingeri Theatrum impletura sit; quam se tamen uno volumine comprehensurum esse pollicetur. Quod vero etiam magnorum & illustrium scriptorum opera examinaturus sit, vitio sibi verti debere non putat, cum nemo tanto sit ingenio aut doctrina, qui non hallucinetur: id quod *Scaligeri*, *Salmasii* & *Baronii* exemplis confirmat, ex quorum lapsibus minorum gentium autores solatium petere posse monet. Neque tamen vilem & ignobilem laborem eorum esse arbitratur, qui censuram in alios exerceant; cum summa diligentia cavere debeant, ne ipsi, dum alios arguunt, censuras incurrant, quod *Casaubono* in *Baronium* notas scribenti accidisse, non dissimulat. Utilitatem porro operæ hanc commendat, quod ab erroribus innumeris, vel omittendo vel perperam sentiendo scribendoque commissis, liberari homines possint, tantoq; majus pretium emendatis libris accedat. Quod vero non integrum opus, sed specimen ejus in præsens edat, ideo a se fieri dicit, ut judicium orbis literati experiatur, judicaturus inde, continuare ne an abrumpere laborem satius fuerit. Quod leviores quoque errores, & quos doctiores facile corrigere possint, itemque eos, qui in prioribus librorum editionibus admissi, in sequentibus correcti sint, annotet, id ita excusat, quod non omnes suo judicio sphalmata deprehendant, neque recentiores & optimæ editiones in omnium manibus versentur. Odia hoc scriptionis genere incurri posse facile prævidit; mereri tamen se illa non opinatur, cum nullius scriptoris gloriæ detrahat, imo optimorum librorum autores libentius notet, quia soli emendationem lubentes ferant, & ideo alii negligendi sint, qui admonitiones respuunt, aut quorum scriptæ ejus ingenii & ponderis non sunt, per quæ lectores in errorem induci facile possint: inprimis ignoscendum esse ait lexicorum compilatoribus, ob laboris infinitam pene molem. Quod vero minutias etiam aliquando persequatur, id profuturum esse credit ad excitandam majorem scribentium industriam, illumque rigorem in suos libros vel maxime exercituram se esse profitetur. Nihil denique tam minutum esse putat, cujus investigatio viris doctis displiceat. Ideo exemplo illustris viri magnique nominis *Ezechielis Spanhemii* se se erigit, qui justo volumine de numismatibus tractaverit; neque enim omnia ex simplici necessitate aut emolumento populari, sed multa ex elegantia

& commoditate æstimanda esse, nisi forte viliorum rerum, quas vita vulgaris exigit, opifices summis artificibus præferri deceat. Porro criticis animadversionibus excitari ingenia, veritatem stabiliri, & Pyrrhonismo occurri posse non dubitat, majoremque ideo illis utilitatem adstruit, quam mathematicarum subtilitatum nimiis speculationibus. Neque vero inficiatur criticæ opellæ vanitatem, ut omnium artium & rerum. Tandem abstinere se velle testatur a controversiarum tractatione; neque enim fidei & religionis, sed facti errores a se investigari & detegi. Perstringit vastum opus *Morerii*, Dictionarium nempe Historicum, cum toties contra dissentientes circa religionem declamet, quasi sermones, excitandis ad bellum sacrum hominibus, habere debuerit. Hæc fere sunt, quæ ex Sciagraphia prodituri operis critici excerpenda nobis visa sunt. Specimina ex eo sedecim exhibet Autor ordine alphabetico. Vocabula sunt, quæ sequuntur: *Achilles. Arnaldus* (i.e. Antonius, D. Sorbonicus satis notus) *Arragonia* Johanna, illustris & docta superiori seculo matrona. *Balbus* (Lucius sc. Cornelius, Consul Romanus A. U. C. 714.) *Brutus* (intelligitur Autor, qui sub Stephani Junii Bruti nomine vindicias in tyrannos scripsit.) *Cassius* (quorum plures refert, Viscellinum, Longinos Lucium & Cajos, Heminam, & occasione Cassii Severi, cujus libros Augustus Cæsar damnavit, de natura ejusmodi libellorum & quatenus ad crimen læsæ majestatis pertineant, disputat.) *Catius*, (Philosophus Epicureus tempore Ciceronis.) *Comenius* (Johannes Amos.) *Erasmus Roterodamus. Guebriantia* (Renata du Bec, uxor Mareschalli Franciæ sub Lud. XIV, quæ sapientia sua meruit, ut inaudito exemplo Legati Gallici vicem in Polonia sustineret.) *Hippomanes. Jour* sive dies, (cujus varias definitiones & mensuras recenset.) *Loges* (Maria Bruneau, Caroli Des Loges uxor, fœmina nobilis & docta, sub initium hujus seculi in Gallia celebris.) *Seymour* (Anna, Margaretha & Johanna, sorores in Anglia, eruditæ & claræ superiori seculo.) *Toucher* (Maria, pellex Caroli IX. Galliæ Regis, mater Enraguiæ Henrico IV. adamatæ.) *Zeuxis* (pictor inclutæ famæ.) Inhorum explicatione & descriptione egregia polymathiæ exempla Autor exhibet, quæ desiderium absoluti operis proximo quoque tempore videndi lectoribus facient, & in nobis quoque excitavit. Neque enim graviter ferimus, quod ubi de Arnaldo (p. 58.) commentatur,

in Actis

in Actis noſtris A. 1689, p. 659. leve quoddam erratum, vel noſtrum, vel ejus, a quo *Joh. Claudii* liber contra Arnaldum editus eſt, annotavit. Ab erroribus enim immunes nos minime profitemur, nec exiguas gratias clariſſimo Autori debemus, quod labores noſtros inſigni elogio ſupra meritum proſecutus eſt, Lipſiamque noſtram Athenarum Germanicarum cognomento honoravit.

ANTIQVI LIBRI MISSARVM ROMANÆ ECCLESIÆ,

id eſt:

Antiphonarius S. Gregorii Papæ, Comes ab Albino ex Caroli M. præcepto emendatus, una cum aliis Lectionariis, & Capitulare Evangeliorum, ex MSS. codicibus ſive primum edita, ſive emendata, ſtudio curaque Joſephi M. Cari Presbyteri Theologi.

Romæ ex typographia Joſephi Vannacii A. C. 1691. in 4. Conſtat 3. Alphab.

DE cæteris Clariſſimi Autoris ſcriptis Actorum noſtrorum Supplementa Tom. I. p. 486. & ſequ. videri poterunt. Præſentis voluminis priori parte continetur primum Antiphonarius, quem MSC. codices Gregorio Papæ tribuunt. In eo minoribus typis expreſſa ſunt, quæ poſt octavum ſeculum addita cenſentur. Majoris claritatis cauſa celeberrimus Editor nonnulla addidit, uncinulis incluſa, quo facilius internoſci poſſet, quid ex uſu vetere imprimis in repetitionibus ſupplendum eſſet. Eidem placuit officia feriarum ab officiis feſtorum diſcernere, quæ in MSC. codic. permixtæ erant, ut hic Antiphonarius ordini, qui in modernis libris obſervari ſolet, conformis fieret. Codices autem manuſcripti, qui ad hujus Antiphonarii editionem adjumento fuerunt, ſubinde in margine notantur. Subjungitur huic Antiphonario appendix, varia excerpta ex codicibus MSC. ad Antiphonarium pertinentia complectens. Sequitur Liber Gradalis integer Gregorii Papæ, qui Modoe-

tiæ in Basilica S. Johannis asservatur, a Longobardorum Regina Theodolinda eidem ecclesiæ donatus, & duabus tabellis eburneis inclusus, quarum pars posterior effigiem Regis Davidis, anterior vero effigiem S. Gregorii exhibet, cujus capiti sequens distichon adscriptum legitur:

Gregorius Præsul meritis & nomine dignus,
Unde genus ducit, summum conscendit honorem.

Exemplum hujus codicis manu sua descriptum prædictæ Basilicæ Archipresbyter Petrus Paulus Boscha ad Carum nostrum transmisit, qui hunc codicem post Amalarii ætatem scriptum esse censet, cum feria 6. Parasceves prætermittat tractum *qui habitat*, quem solum Amalarius agnovit, ejusque loco substituat tractum *eripe me Domine*, quem Ordo Romanus ab Hittorpio vulgatus, & liber de divinis officiis sub Albini nomine editus nuperrime compilatum dicunt. Idem judicium ferendum existimat de Antiphonario ecclesiæ Carnutensis, quem cum editione Pameliana contulit Arnaldus de Loo Prior S. Petri Ord. Ben. curantibus Claudio Stephanotio Congreg. S. Mauri Procuratore generali, & Johanne Mabillonio. Cum eadem Pamelii editione contulit Antiphonarium Casinense Longobardicis literis scriptum Erasmus Gattola a Cajeta, & collationes illas Caro nostro communicavit. Claudit priorem hujus voluminis partem Litania, quam a Canonicis Basilicæ Vaticanæ S. Petri seculo circiter duodecimo usurpatam fuisse, Editor suspicatur.

In posteriori parte ex codice Carnutensi, cujus apographum Arnaldi de Loo paulo ante memorati beneficio accepit, exhibet primum Comitem ex Caroli M. Imperatoris præcepto ab Albino emendatum, una cum appendice ex eodem Carnotensis ecclesiæ codice deprompta. Hunc excipit Lectionarius seu liber lectionum, quæ ad Missas Romani ritus leguntur, ex antiquis MSC. codicibus collectus; item Indiculus antiquarum lectionum S. Pauli Apostoli ad Missas, in usum, ut videtur, ecclesiæ Mediolanensis, ex codice Reginæ Sueciæ, qui nunc ad Vaticanam bibliothecam accessit; & postremo vetustissimum Capitulare Evangelicarum lectionum ad Missam ex multis codicibus antiquis collectum, cui passim notas suas pro illustrandis ritibus liturgicis doctissimus Editor adjecit. Ne extrema

extrema pagina vacaret, subjunxit præfationem libri, qui Comes appellatur, sub Hieronymi nomine a Luca Acherio tomo 13. Spicilegii, & jam pridem una cum Polydori Vergilii excerptis de nomine & autoribus Missæ a Flacio Magdeburgi publicatam.

Præmisit Carus toti volumini disquisitionem antiquorum rituum circa cantus Missæ, in qua primum de antiphona ad introitum, cujus originem ad Cælestini tempora referendam observat, disserit, & a quibus, quo corporis & vestium habitu, & quo loco ac ordine, cantata fuerit, exponit. Deinde etiam de litania Kyrie eleison, de hymno angelico, ac imprimis de responsorio gradali tractat. Tum ad hymnum Halleluja accedit, & Sozomenum, qui Alleluja semel quotannis in festo Paschæ Romæ cantatum asserit, cum Hieronymo ita conciliat, quod etsi semel Romæ publico statoque ritu Alleluja cantatum fuerit, quisque tamen privatim, quoties libuerit, eo hymno usus fuerit. Tandem etiam de tractu & cæteris missæ cantibus nonnulla subjicit.

DV ROYAVME DE SIAM, PAR MONS. DE LA Loubere, Envoyé extraordinaire du Roy auprés du Roy de Siam en 1687 & 1688.

h. e.

Dn. de la Loubere, Ablegati Regis Galliæ extraordinarii ad Regem Siamensem in annis 1687 & 1688, Descriptio regni Siamensis. Tomi II.

Amstelodami apud Abrahamum Wolfgangum 1691, in 12.

Constat plag. 32. & multis figuris æneis.

QUamvis in relationibus de gestis Gallorum in regno *Siamensi*, quarum compendia in Actis nostris A. 1687, 1688, 1690 & 691 exhibuimus, haud pauca de situ & natura regionis, statu publico & moribus incolarum memorentur: autoribus tamen earum propositum fuit, acta Legatorum Gallicorum aut Missionariorum, quos vocant, inprimis Jesuitarum, præcipue recensere. *Loubérius* vero a Rege Galliæ Legationi Siamensi destinatus, cum *anno 1687, d. 27. Septembr.* ad oram illam appulisset, intra tres menses, quibus in

bus in regno illo commoratus est, multa observavit aut exploravit, ex quibus Descriptionem hanc in justi operis modum composuit. Complexus est *Tomi prioris libris tribus* omnia, quæ ad notitiam rerum Siamensium conducere possunt. In *Tomum secundum* tractatus & dissertationes congessit, a se aut amicis conscriptas, varii argumenti.

Lib. I. p. 21. Historiæ *Siamensis* infirma admodum fundamenta extare monet Autor, quod antiqui desint libri. Eorum æræ annus 2313 respondet anno 1688, quem a nato Christo numeramus; & ita nostrum computum annis 545 prævertit. Numerus incolarum ingenti regionis spatio non respondet; ultimo censu reperta esse ajunt hominum omnis sexus & ætatis decies novies centena millia. Minerarum copia regnum alias terras antecellere creditur: metalli fodinis vero majorem olim curam atque nunc impensam, innumera idola aliaque opera ex ære fusa Autori fidem faciunt. Et nuperus quidem Rex Europæorum ministerio in detegendis auri argentique venis non semel usus, pretium operæ tulit minime. Diversas tamen chalybis, crystalli, antimonii, quin auri detexisse nupere Autori memoratur Vincentius quidam, Medicus Gallus. Dies a vespere numerant & a planetis nominant; menses nomine carent, ab *initio* tamen anni, quod in Novembrem vel Decembrem incidit, ad finem, duodecim ex ordine computantur. Tempora anni duo tantum observant. Hyemem mensibus Decembri & Januario absolvunt, in quibus siccitatem & remissionem quandam caloris sentiunt, æque tamen intensi ac in Gallia est diebus æstatis fervidissimis. Æstatem in minorem & majorem distinguunt, quarum illa ver, hæc autumnum simul occupat. Miro divinæ providentiæ beneficio, sub Zona illa torrida calidissimis mensibus copiosæ cadunt pluviæ. Ab antiquo arborum fructibus, & piscibus, quibus plures populi oram Africæ maritimam incolentes vivunt, Siamenses sese aluisse verisimile habetur, & agriculturæ serius operam dedisse. Oryzæ maximum proventum & usum esse satis notum est; non æque aliorum frumentorum, quæ in agris aquarum illuvie superfusis corrumpuntur: soli vero humiditate peponum, cucumerum, ceparum, alliique multæ species, diversæ a nostris producuntur. Florum quorundam odorem ardor Solis nimius dissipat, & protegendis ab hoc plantis non minor cura requiritur, quam apud nos adversus frigora. Vites pro-

p. 30.

tes proveniunt quidem, ſed uvæ parum ſucci habent, & amaræ ſunt. Vinum æſtimant Siamenſes, ſi advehatur, magis tamen gaudent liquore ex oryza elicito, vino, quod *aduſtum* vocamus, ſeu ſpiritui vini ſimili. In deliciis maxime eſt ſpecies glandis grandioris, Siamenſibus *Plou*, alias *Arek* nominatæ, quam cum foliis herbæ *Betel* continuo mandunt. Herba *Thée* cultioribus tantum in urbe regia nota eſt. Dentes denigrare elegans habetur. Veſtitu utuntur ſimplicisſimo, nudi caput, pedes & maximam corporis partem: quod tamen pudori & modeſtiæ parum officere deprehenditur, nec tam caloris cauſa id fit, quam ex aſſuetudine & paupertate; ardorem enim Solis Europæi duplicatis veſtimentis arcent. In bello & venatione rubris induſiis utuntur incolæ. Equorum inops eſt regio; duo tamen millia Rex alit, deformium & indocilium. In elephantis faſtus aulæ & robur belli ponitur. Multa tamen de illorum ſolertia aliaque ſupra fidem jactari, notat Autor. Navigiorum & lintrium in regione, toto fere anno inundata, magnisque fluminibus interſecta, uſus univerſalis eſt, etiam pompa aliqua. Spectacula & theatra amant Siamenſes, ſed nihil habent exquiſiti aut ingenioſi. Aleæ ad inſaniam uſque indulgent, eaque prodigunt, quicquid habent, & tandem corpus ſuum & liberorum victori addicunt. Nuptiarum ritus legesque, ut inter barbaros, tolerabiles ſunt. Uxores plures ducere per leges licet; ſed id ſolis ditioribus in uſu eſt: harum una eſt, quam magnam vocant; cæteræ adſciſcuntur ex ſervis, & ex his geniti pro mancipiis habentur. Hæreditas patris ad uxorem legitimam liberosque ejus defertur, ignoto teſtandi jure. Puellarum pudori ſatis ut plurimum proſpicitur, vetita cum maribus converſatione. Dos (cui ſponſi bona pretio ut plurimum reſpondere debent) ſponſarum maxima eſt *thalerorum quinque millium*. In jungendis matrimoniis cognatio proxima vitatur, & permiſſio a conſobrinis incipit; ſororem vero defunctæ aut repudiatæ uxoris ducere licet. Divortia non prohibentur; eorum vero uſus in promiſcua fere plebe eſt: ditioribus uxores inviſæ juxta cum dilectis retinentur. Reges, quia nobilitatem ſanguinis ſequuntur, & barbaro more, inceſtas quoque nuptias frequentant. Proprietas omnium fundorum Regis eſt, & ideo parum plerumque appetuntur, opesque in pecunia & aliis rebus quæruntur, quæ celari poſſunt & rapi-

p. 71.
Lib. II. p. 72.
p. 118.
p. 134. ſqq.
p. 141.
p. 155.

rapinis Regum Magiſtratuumque ſubduci. Liberi ſevere educantur: magna eſt erga parentes & ſenes reverentia, cui omnes a teneris aſſueſcunt. Alia verba habent, cum ſuperiores, alia cum pa-
p.166. res & inferiores alloquuntur, idem licet ſignificantia. Fœminas honoris cauſa juvenes vocant, provectæ licet ætatis, quod & Germanis dudum in uſu fuit & adhuc eſt: alia quoque, quæ laudare vo-
p.174. lunt, juventutis epitheto ornant. Multa apud nos indecentia, non vitant; offenduntur e contrario quibusdam & contumelioſa habent, quæ talia nobis non videntur, e. g. caput alterius vel capillos tangere, vel mitellam etiam licet ſepoſitam. Literaturæ & qua-
p.179. liscunque eruditionis magiſtri ſunt ſacerdotes, quorum diſciplinæ pueri ſubduntur. Lingua ſterilis eſt, pauca habens monoſyllaba, quæ flexionem, compoſitionem & derivationem vix admittunt; unde ambiguus & difficilis ſermo oritur. Arithmeticæ præcipuum Siamenſibus eſt ſtudium, reliquæ vero Europæorum ſcientiæ fere ſunt incognitæ; dubiumque eſt Autori, an apto ad easdem ſint ingenio, culpa fervidi climatis: phantaſia tamen pollere dicuntur, & naturali quadam ad Poëſin propenſione. Orationis elegantiæ ignari ſunt; loquuntur & dictant non niſi ſumme neceſſaria, ut intelligantur. Laudatur quidem ſermo Legati Siamenſis ad RegemGalliæ, ſed, ut Autor ſuſpicatur, interpretis induſtriæ tribuendum eſt,
p.194. quod placuerit. Philoſophiam quandam moralem tractant, Theologiam nullam, cum, ut Autor ſtatuit, neque veræ neque falſæ divinitatis notitiam habeant, fabulis ſolum de idolis dediti. Jurium nullo ſtudio tenentur: nec niſi officiis admoti, de legum patriarum cognitione ſoliciti ſunt. Medicinam empiricam exercent, ſine ullo artis principio. Chymiam non intelligunt, celebrant tamen & affectant; ferturque Regis proximi parens duos *milliones* quærendo Lapidi Philoſophico impendiſſe, quæ in paupertate illius regni enormis ſumma eſt. Incertæ etiam narrationes, ut inter noſtrates, foventur, de Alchymiſtis, qui aurum produxerint, aut medicamina ad continuandam per aliquot ſecula vitam habuerint. Geographiæ non magis quam veræ Aſtronomiæ periti ſunt, nullumque mundi ſyſtema norunt aut diſcunt. Extremam ignorantiam maxima co-
p.200. mitatur ſuperſtitio & divinationum ſtudium, neque quidquam facile niſi auſpicato & conſultis vatibus aut tentatis præſagiis ineptiſſi-

mis

mis agunt; magiæ etiam ſuſpecti. Populare vitium illis eſt, ſua omnia in majus efferre. Refert Autor, Mathematicum Gallum ad delineandam urbem quandam in regno Siamenſi relictum, a Præfecto non fuiſſe admiſſum, priusquam promitteret, ſe biduum in circumeunda urbe conſumturum, licet ad id una vix hora opus haberet. Muſicam amant, ſed barbaricam & inconditam, nulla concentus lege; ſonus tantum & ſtrepitus placet. Equos domandi aut in gyros flectendi, aut corpus cum decore exercendi, nulla illis peritia eſt. Arma tractare ex more noſtræ militiæ neſciunt, nec habere quidem licet, niſi data a Rege. Opificia prope nulla callent, nec in ruditate & inopia illa ſua multis opus habent; in arte lignaria & toreutica aliquid præſtant & aurifices ſunt mediocres; tela omnis & textura rariſſima & incognita prope eſt; pictura inſulſa, nec colores oleo temperare norunt: commerciis vilioribus & piſcatione plerique occupantur. Syngraphas non debitor ſed tertius aliquis ſcribit, ejusque teſtimonio creditur. Notariorum nullæ ſunt partes; ſigillum nemo habet, niſi qui in magiſtratu eſt, & a Rege accipit. Cruce ſignant privati, non ex reliquiis ritus Chriſtiani, ſed fortuito, ut Autor putat, uſu, & ob ductus facilitatem. In contrahendo ſimpliciter verſantur, ut nec pretium nec merces numerent aut ponderent, ſed fidem ſibi invicem habeant, mirenturque exteros tam ſcrupuloſe in commerciis etiam vilioribus agere. Monetæ minutioris, ut in aliis Indiæ & Africæ oris, vicem præſtant conchylia, (*Cori* nomen eſt) quorum ſeptem aut octo vix nummuli pretium æquant. Ea metiuntur putaminibus nucum arboris *Cocos*, ac nimium temporis numerando conſumant. Ex argento maſſulas formant, ſignantq; figura ſingulari, & pecuniæ loco iis utuntur; quarum icones æri inciſas exhibet Autor. Præter ſimplicitatem illam, frugalitas quoque gentis & ſobrietas, fides etiam uxorum laudatur. Mentiendi vitium, ſevere licet prohibitum, nec leviter puniri ſolitum, vulgare tamen eſt, ut alibi, & præterea furacitas & calumniandi malitia. Servitus apud Siamenſes tolerabilis eſt, & libertas vilisſimo pretio venditur. Nobilitas unice pendet a gratia Regis in conferendis miniſteriis, quæ veteri more ad hæredes tranſire deberent, ſed nunc fere ad dominantis arbitrium revocantur, ceſſante illico cum officiis dignitate, quæ tamen reſtituitur etiam iis, qui ma-

p. 207.

p. 211. ſqq.

p. 216.

p. 218.

p. 220.

Lib. III. p. 229.

p.241. gna cum infamia & mulcta remoti fuerunt. Subditi reliqui omnes, etsi ingenui sive liberi sint, semestres tamen singulis annis operas promiscue Regi præstant, sive militando, sive agricultura aliisque laboribus, & suo sumtu: contenti sunt, si ultra tempus id non detineantur; interea uxores familiæ præsunt, & commercia exercent. Codicem legum habent tripartitum, cujus verba judices omnibus litibus applicant, sed ita interpretantur, ut affectus aut utilitas suadet. Adversus hanc tribunalium labem nemo vel mutire audet, licet Magistratus, cum tenuissima stipendia habeant, non nisi ex con-

p.249. cussionibus vivant, & præter sportulas, lege publica definitas, extorqueant, quicquid possunt. Quæstiones per tormenta crudelissima

p.264. exercentur: explorationibus quoque utuntur barbaris & superstitiosis, per aquam & ignem, ingestasque a sacerdotibus pilulas vomitorias, quibus imprecationes addunt. Ultima supplicia non nisi Re-

p.273. gis mandato speciali irrogantur. In bello nihil fere præstant, cum timido dejectoque sint plerique animo, nec corpus ad armorum usum exerceant. Simulacra itaque præliorum edunt, & tela citra vel ultra hostes emittunt, rara cæde; Machinas bellicas quasdam habent, sed nec affabre factas nec multas, ignari etiam sunt dextri usus: carent navibus bellicis, nec nisi paucos & parvos lintres habent leviter armatos. Reditus regii consistunt in censibus seu tributis, quæ agris,

p.281. hortis, navigiis & mercibus majoris pretii imponuntur, uniformi & moderata plerumque præstatione; aliquando extra ordinem & auctiora tributa imponuntur, quod exterorum exemplo videntur didicisse. Utilitas præcipua ex operis est, de quibus diximus. Redimi solent pecunia menstrua, quæ *quindecim grossis* nostris fere respondet, nec pluris æstimatur victus, quo per mensem homini opus est. Mercaturam omnium rerum alicujus pretii Reges palam exercent; libera tamen sunt commercia circa annonam & alia ad tenuem illum

p.288. victum gentis quotidie necessaria. Rex, qui nuper rerum potitus est, proventus & vectigalia in duplum fere auxisse fertur, neque tamen ultra duos librarum Gallicarum milliones percepisse, licet etiam hanc summam majorem vera jactari putet Autor. Ex ejus *libro*

p.291. sqq. hoc *tertio cap. XI, XII, XIII*, peti potest ampla descriptio palatii & familitii regii, ut & ratio deliberandi cum ministris, servilis pariter & astutæ mentis prostitutæque adulationis homuncionibus, qui nihil

hil loqui aut suadere audent, quam quod anxia conjectura placiturum esse Domino divinant. Speciem tamen quandam consultationis ille servat, & aliquando casus sive problemata ad exercendos eos fingit. Ad delationes & accusationes cives omnes & singuli obligantur, pœna mortis tacentibus proposita. In omnia delicta, non solum deprehensa & probata, sed & cum præsumtiones & suspiciones saltem adsunt, rigidissime animadvertitur, observato etiam talionis cujusdam genere. Cognati regii, ut honor familiæ servetur, fame enecantur, aut injecta veste pretiosa suffocantur, quandoque in pannum purpurei coloris prostrati, pugione ex magni pretii ligno confodiuntur. Custos Siamensis regni, ut fere vicinorum omnium, solus est metus, ignoto Regum erga populum amore, nec majori hujus erga illum. Sævitia tamen illa ministris & potioribus fere incumbit; maxima pars plebis paupertate sua satis, ut plurimum, tuta est. Legationum honor splendorque prope nullus est, nec in mittendis, nec in recipiendis. Neque enim multo majoris fiunt Legati, quam tabellarii, qui literas regias afferunt; nova & extraordinaria fuerunt, quæ Gallis exhibita sunt: & in universum advenis ex Europa aut dissitis regionibus paulo benigniores sunt Reges & ministri, non animi generositate sed spe lucri ex mercatura. Posteriori libri hujus parte, a capite XVII ad XXIV, de sacerdotibus & sacris prolixe tractat Autor. Duo memorat sacerdotum sive *Talaponum* genera, agreste nempe & urbanum. Qui ruri sunt, aut in sylvis, ita vivunt, ut exemplo careat illius vitæ duricies & austeritas, & toleratu videatur esse impossibilis. In urbibus lautius vivunt, quam plebs: arcentur tamen a nuptiis, quam diu sacerdotium retinent; abdicare enim se illo possunt pro lubitu. Veterem illam, quæ solum in sacris retinetur, linguam discere, libros-que legere, pueros instituere, jejunare, ab omnibus spectaculis & recreationibus abstinere coguntur, nisi ordine moveri, & in plebejorum conditionem ad præstandas operas redigi velint, id quod sub Rege proximo institutum inquisitione multis eorum millibus accidit; nimius enim Cleri numerus & immunitas gravis illi videbatur. Concliones frequentissime habent, quibus finitis stipem accipiunt: statotempore preces recitant, numerantque ad globulos. Ante lucem

p. 316.
p. 320.
p. 327.
p. 343.

tamen non ſurgunt, priusquam nempe venas manuum ſuarum internoſcere poſſint; verentur enim, ne animalculum aliquod perimant, vetante id religione. Jejunare dicuntur, cum prandio contenti cœna abſtinent; licita eſt tamen herbæ (*Betel*) manducatio, de qua ſupra egimus; poſt prandium mendicatum exeunt, dein pueros docent. Incedunt nudo & raſo capite. Iſthæc & alia duriora inſtituta eo pertinent, ut populi loco pii ſint & pro ejus peccatis veluti ſatisfaciant, hic vero tanto laxiori vivat diſciplina. *Talapones* collegiatim quidem ſeptis cincti vivunt, templumque habent ad ſacra, ſed ſinguli ligneas ſuas domunculas palis infixas inhabitant, nec convictu utuntur, ſed ſuo quisque cibo, quem emendicavit, veſcitur.

Prælatos ſive ſuperiores & directores ſuos collegæ eligunt, iisque
p. 356. ſtricte obediunt. Iſti vero præfecti pari omnes poteſtate ſunt, nec quisquam alteri vel Collegio vel Prælato imperat. Fœminarum quoque collegia quædam ſunt, ſed nullis fere diſciplinæ legibus, quæ ad religionem pertineant, adſtricta. Albo velamento diſtinguuntur ab aliis, & virginitatem ſervare, quamdiu in ſodalitiis illis vivunt, adiguntur; delinquentium tamen levis pœna eſt; ablegantur ad ſuos, & ab his verberantur: ſacerdotes enim in neminem *plane* ani-
p. 360. madvertunt. Inter dogmata præcipuum eſt vetus de metempſychoſi mendamentum, de qua portentoſas fabulas populo propinant, & ad ſuam experientiam provocant, pudenda mentiendi libidine referentes, in quibus corporibus, quoque more & fato animæ ſuæ vixerint, & ex uno in alterum migraverint. Hæc eſt quam venditant animarum immortalitas, quam tamen ſententiam præterea fœdant ineptis de materia & figura mentium commentis. Migrare quoque animas docent in corpora viliora aut meliora, pejusque aut commodius hoſpitari, prout merentur. Pietatis ſummam fere ponunt in veneratione defunctorum parentum & majorum, item in autochiria & in fœminarum devotione, quæ ſe in rogos maritorum præcipitantes comburunt; quod tamen a Tartaris, cum regnum Sinenſe ſubegiſſent, anno 1668 abrogatum eſſe ajunt. Pios in Angelos, malos in Dæmones, poſt longas per varia corpora divagationes, transformari tradunt, ex quibus omnibus Au-
p. 370. tor colligit, ne Sinenſibus quidem, qui cæterarum gentium veluti magiſtri in ſacris ſunt, nedum Siamenſibus, ullum Dei cultum cordi eſſe

esse, quoque doctiores sint, tanto magis omnem pietatem ex animo expellere. Pro hypocrisi habet aut calliditate, quod opulentiores omnes templa, casas nimirum ligneas idoli statuis repletas exstruant, quia asyli quoddam jus habent, & in iis recondunt, si quæ possident, pretiosa. Præcepta moralia ad quinque capita reducunt, & vitari jubent cædes, furta, abusum Veneris, mendacia & ebrietatem; neque tamen homines solum occidi prohibent, sed & animantia quævis; imo & plantis parcunt & arboribus seminibusque, quibus animas pariter tribuunt. Cœlibatum non solum extollunt, servantque, sed & peccare dicunt, qui nuptias contrahunt. Verum ad hæc præcepta se tantum vice populi obligatos esse jactant Talapones, & sic pro aliis mereri. Hoc igitur & dignitatis & opum qualiumcunque fundamentum est, & superbiendi causa; sibi enim solis perfectionis statum tribuunt, cujus præmium summum vocant *Nieurepan*, disparitionem seu annihilationem, quæ perfecte piis & purgatis demum contingat, postquam per multa annorum millia animæ eorum in varia corpora transmigraverint, & pro cujusque modo recte sese gesserint. Hanc felicitatem pauciſſimis asserunt, & licet alios etiam quosdam fingant, uni tamen Heroi suo *Sommonacodomo* cultum quendam exhibent, non tamen ut Deo; id quod Autor pluribus deducit, & Theologiam de cœli & cœlestium rerum natura & gubernatione etiam apud Sinenses ad exemplum regii dominatus excogitatam esse existimat. Fabulas de idolo illo Siamensi, qui volet, cap. XXIV legere poterit; nos eas referre piget. Indicari tamen haud abs re est, quæ Louberius de regulis quibusdam in prædicatione Evangelii apud gentes illas observandis affert, præsupponens, quod *Missionarii*, quos vocant, dono miraculorum edendorum careant. Caveri itaque jubet, ne mysteria de incarnatione Christi aut ritus invocandi sanctos ab initio proponantur, sed id potissimum curæ sit, ut existentia Dei credenda inculcetur. Satisfactionem a Christo præstitam probabiliorem barbaris visum iri putat, quia aliquid tale a sacerdotibus suis sperant & exigunt: nec Eucharistiæ Sacramentum absurdum habituros esse conjicit, quia de fictitio Heroë suo narrant, quod uxoris & liberorum suorum corporibus sacerdotes cibaverit. De Heroibus vero & Doctoribus gentis modeste loquendum, nec asserendum esse, quod majo-

p. 487.

p. 398. sqq.

ris

res ad orcum damnati sint, quia a barbaris pro sanctissimis habentur, Impegisse narrat Jesuitam, *Hieronymum Xaverium*, Lusitanum, qui edita in Persia Catecheſi, contumelioſe de Mahomete scripserit, refutatus a Persa quodam *Zin-Abedino*. Monitum itaque ex decreto Congregationis de propaganda fide fuisse *Philippum Gradagnolum* ex *Regularibus*, quos vocant, *minoribus*, ut Xaverii libellum defensurus modestius ageret. Notat tamen Autor, hunc in oppositum incidisse vitium, & in Mahometis laudes seſe effudisse. Consultum esse putat, ut errores paganorum emolliantur, & cum Christiana doctrina, quantum fieri possit, quasi concilientur: quæ methodus quam recte seſe habeat, aliis disquirendum relinquimus. Quod vero in fine subjungit, nemo non verum esse agnoscet, nihil nempe magis obstare gentium illarum conversioni, quam quod in hospitibus, qui ex orbe Christiano adveniunt, maxima vident flagitia, & inde de pietate & religione differentes minime audiendos esse censent.

p. 213. sqq. Ex *Tomo secundo* cumprimis memorandæ nobis sunt regulæ Astronomiæ Siamensis, pro motibus Solis & Lunæ subducendis: desumtæ ex manuscripto, quod *Autor* ex itinere Siamensi una cum versione retulit, quarumque explicationem & examen Clarissimus *Cassinus* operi adjecit.

Est autem methodus Siamensium in hoc argumento plane singularis: quippe nullo Tabularum subsidio fulta, & solo certorum numerorum algorithmo constans, quorum prima fronte nec ratio perspici potest, nec ulla ad alios relatio. Absconditæ vero sub iis sunt diversæ annorum Solarium, mensium Lunarium, aliæque periodi, & mutui earundem respectus; diversæ etiam species epocharum. Quorum omnium naturam usumque pluribus exponit *Cassinus*, methodum hanc ingeniosam pronuncians, & si explicetur, corrigatur & a superfluis purgetur, non inutilem; cum beneficio diversorum cyclorum, & differentiæ epocharum Siamensium, citra librorum apparatum exerceri possit. Quæ etiam solerti huic Astronomo causa extitit, ut non obstantibus difficultatibus in principio oblatis, laborem sibi sumserit, eandem e tenebris numerorum suorum

p. 115. sqq. in lucem protrahendi. Rationem, quam in investigatione ejus servarit, pluribus ostendit sagacissimus hic interpres; existimatque operam

ram hanc ſuam conducere poſſe Miſſionariis Apoſtolicis (quibus ſcilicet per Aſtronomiam aditus eſt ad magnates & literatos Orientis) intelligendæ Orientalium Aſtronomiæ: quæ facili negotio Europæanæ conformari queat, pauxilla methodi immutatione corrigendo numeros, quibus illa utitur. Nec præter rem fore credit, ſi noſtra in illius formam transmutetur, in defectu Tabularum uſui ſic futura: cum præſertim longe commodius in forma annorum Julianorum & Gregorianorum, quam LuniSolarium, quales Orientalibus celebrantur, ad praxin poſſit vocari. Contendit autem, regulas Siamenſes non eſſe deductas ex Tabulis Perſicis, a *Chryſococca* exhibitis: nec ex Ptolemaicis, ullisve aliis poſt has conditis; quippe quæ omnes Apogæum Solis mobile (ſecus ac Siamenſes regulæ volunt) conſtituunt: ſed vel inventas ab Indis, vel ex Aſtronomia Sinenſi tranſumtas. Ipſas porro regulas, cum commentationibus *Caſſini* circa determinationes epocharum Siamenſium, Aſtronomicæ & Civilis (quarum illa in 21 menſis Martii, anni a Chriſto nato 638vi; hæc in 544mum ante natum Servatorem incidit) diverſas ſpecies annorum Solarium, horumque quantitates & differentias; periodum Indicam 19 annorum; Epactas; magnam periodum LuniSolarem; cyclum Sinenſem 60 annorum, & chronologiam eorum Eclipſesque obſervatas; periodos varias LuniSolares, Lectoris induſtriæ pervolvenda relinquimus: imprimis quæ de periodis integrorum ſeculorum, & inter has illo 600 annorum (cujus mentionem Joſephum feciſſe commemorat, quæque Judæis uſitata fuerit) ejusque ad binam Siamenſium, & incarnationis Dominicæ epocham relationem; de epochis Æquinoctiorum Eccleſiaſticis; cyclo aureo vulgari; periodo Solari Gregoriana 400 annorum, & epactis Gregorianis, non inſcite diſſerit.

Sub finem diſquiſitionis hujus laudatus Aſtronomus novæ Periodi meminit 11600 annorum: quam, quod ſub auſpiciis Ludovici XIV, Galliarum Regis, opera Academiæ Scientiarum Regiæ, per exercitia in obſervatorio regio Pariſienſi habita, inventa ſit, non minori jure Ludovicianam, quam a Julio Julianam, a Gregorio Gregorianam, appellari debere affirmat. Incipit ea a conjunctione æquinoctiali incarnationis Dominicæ, & NoviLunia ad eundem diem anni Gregoriani, eandemque ſeptimanæ feriam, & prope eandem

dem diei horam sub eodem meridiano restituit: eique *Cassinus* methodum hic adjunxit facillimam, inveniendarum epocharum Gregorianarum pro quibusque seculis (citra Tabulas aliquin huic fini constructas) in diebus, horis & minutis. Commendat autem hoc loco Calendarii Gregoriani præstantiam; idque conformius motibus Luminarium reperiri affirmat, quam ipsi ejusdem autores vel supposuerint, vel crediderint. Inter elegantias etiam systematis Gregoriani, ipsis Calendarii correctoribus incognitas, vel præcipue, numerat conformitatem ejus Epactarum, cum Epactis magnæ periodi Luni-Solaris modo memoratæ, quæ pro epocha agnoscit annum, diemque, qui juxta antiquam traditionem immediate præcedit diem salutaris incarnationis, & veros epactarum dies immediate exhibet, & Novi-Lunia ad eandem anni & septimanæ diem sistit: adeo ut existimet, si quidem tempore correctionis Gregorianæ hanc periodum artificibus animadvertere contigisset, futurum fuisse, ut eadem, non tantum propter excellentiam epochæ suæ, sed & conformitatem adeo insignem cum Tabulis Alfonsinis (quas tum cæteris ii præferebant) circa quantitatem mensis (quæ, 29 dierum, 12 horarum, 44 min. 3 sec. 5 tert. 28 quart. 48 quint. 20 sextarum, Alfonsinum 2 ½ tertiis excedit, a Tychonica tribus tertiis deficit, adeoque huic illique media est) quam supponit, præ cæteris reciperetur, & ad posteritatem transmitteretur. Hanc tandem Periodum, certo numero integrorum mensium & periodorum Gregorianarum, consequenter septimanis diebusque integris constantem, regulæ instar adhiberi posse pronunciat, comparandis invicem quibusvis aliis periodis, eoque referendis temporibus, epocham Christi antecedentibus & consequentibus; quæ scilicet epocha finis sit primæ hujuscemodi periodi, & initium secundæ.

p.235. Disquisitionem hanc insequitur Problema de *Quadratis*, ut vocant, *magicis*: circa quarum Synthesin, quantum sibi quidem compertum sit, primum occupatum fuisse *Claudium Casparem Bachetum*, suis in *Diophantum Alexandrinum* commentariis illustrem, *Autor* profitetur: cujus tamen ante tempora plures alii, præcipue Germani (Vide *Acta anni 1686 pag. 391*) huic arithmesi operam navarunt. Egit vero de hoc argumento *Bachetus* peculiari libello, quem *Problemata elegantia circa numeros* inscripsit, inque eo ingenio-

genioſam methodum pandit pro Quadratis imparium numerorum: nullo pro pariter numerorum quadratis artificio indicato. Pro iisdem imparibus Quadratis *Autori* peculiarem promtamque rationem, quæ Indis Suratenſibus in uſu eſt, paulo ſupra nominatus *Vincentius* medicus oſtendit, paucis, quæ ibidem recenſentur, regulis ſubnixam; cui *Autor* (occaſione quadrati 25 cellularum, ab *Henr. Corn. Agrippa* in libris *de occulta Philoſophia* exhibiti, quod aliud eſt ab Indico) immutata paucis Indica methodo, diverſam adjungit, quæ numeros aliter diſpoſitos refert. Cumque *Bachetus* methodi ſuæ fundamenta preſſerit: *Autor* eandem non ſolum hic proponit; verum etiam beneficio methodi hujus modos oſtendit variandorum quadratorum, illiusque & horum demonſtrationem annectit; ut & aliam ejusdem methodi, inventam a Domino *Malezieu*, Ducis Maynii Præfecto. Tandem etiam *Autor* per exempla Quadratorum paris numeri, nempe 16, 36 & 64, quæ ſupra citato *Agrippæ* libro habentur, ſuſpicatur ſe methodum Indorum pro quadratis paribus reperiſſe, quam pluribus ibidem deducit. p.238. p.240. p.244. p.266. p.273.

Poſtremus hujus Tomi labor eſt diſquiſitio *Caſſini* circa Inſulam *Taprobanam* Veterum. Hanc *Ptolemæus* prope Promontorium *Cori*, hoc vero intra Indum & Gangem, ſed illi propius collocat: ab Æquinoctiali vero in partes inæquales dividi, ita ut Boream verſus ad 13 usque gradus protendatur, ad Auſtrum vero 2 ſaltem cum ſemiſſe, circumcirca vero Inſulis parvis 1378 cingi, aſſerit. Ex qua deſcriptione, & quod hodie eo loci paris cum Taprobana magnitudinis nulla Inſula reperiatur, Inſulas Maldivas memoratæ Inſulæ Taprobanæ reliquias eſſe veroſimile *Caſſino* videtur.

MEDICINAL EXPERIMENTS &c. i.e. EXPERIMENTA Medica ſive Congeſtio Remediorum ſelectorum maximam partem ſimplicium & facilem præparationem ſubeuntium.

Autore Roberto Boylæo, Armigero & Regiæ Societatis Socio.

Londini apud Samuelem Smith, 1692, in 12.

Conſtant plag. 5½.

E multis remediorum formulis, quas *Nobilissimus Autor* curiose quondam collegit, *decem* hic *Decades*, amicorum suasu, quibus nonnullas earum antehac communicaverat, una cum Tinctura quadam Stomachica divulgantur. Quemadmodum vero vires medicaminum laudatorum non æquivalentes observatæ fuerunt, ita literarum initialium una, videlicet A, B, vel C, diversimode notantur, prout efficaciam vel summam, vel mediam, vel minorem, satis tamen adhuc valentem dederunt comprobatas. Sic lapidem plumbarium transparentem in calculi doloribus, conyzam mediam pulverisatam in dysenteria aliisque diarrhœis acribus, zibethum Paracelsi occidentale sive stercus humanum exsiccatum & comminutum in oculis horumque panno detergendis, maxime valere, p. 2. 18. & 20. innuitur. Ast herbam senecionis Amuleti vice febrem tertianam fugare; & sal marinum, in aceto vini optimo dissolutum ac cum linteo plantis pedum mulieris hystericæ applicatum, paroxysmum hujus sedare, tanquam remedia classis mediæ p. 13. & 50 traduntur. Ad infimam demum sortem litera C insignitam spectat, quando rapa sub cineribus calidis tosta cataplasmatis loco pernionibus mederi, foliaque nicotianæ cum sufficienti passularum minorum recentium quantitate contusa & pedum plantis adaptata æstum febrilem mitigare, p. 53 & 79 perhibentur. Plura hic transscribere supervacaneum videtur, partim quod pleraque doctiores non fugiant, partim quod integrum quoque scriptum in vernaculam nostram jamdum verti *Gleditschius* noster curaverit.

EXPERIMENTA, OBSERVATIONES &c. CIRCA Mechanicam variarum particularium Qualitatum Originem sive Productionem &c.

Autore Roberto Boylæo Armigero, Regiæ Societatis Socio.

Londini impensis Samuelis Smith, 1692, in 8.
Constat plagulis 25.

QVantum mechanica Corpuscularium Philosophorum hypotheses sterili Scholasticorum doctrinæ prævaleat, quantumq; Chy-

Chymici etiam vulgares in Qualitatibus explicandis, vel in Acido & Alcali principiorum in locum surrogandis deficiant, præsens immortalis nominis Autoris Volumen, *duodecim e Tractatibus* consarcinatum, luculenter satis aperit, *Frigus* siquidem *& Calorem, Sapores, Odores, Volatilitatem, Fixitatem, Corrosivitatem* & *Corrosibilitatem, Præcipitationes Chymicas, Magnetismum & Electricitatem*, e principiis omnino Mechanicis resultare posse, *Tractatibus 1. 2. 3. 7 8. 9. 10. 11. & 12.* diversis confirmatur experimentis. Chymici autem vulgares an Qualitates vel physicas, vel chymicas sufficienter enodaverint, numque Acidum & Alcali pro naturalium corporum principiis venditare possint, non sine ratione *Tractatibus 4. 6. & 5.* dubitatur. Attamen quia singuli hi Tractatus eodem ordine combinati jam dum Londini A. 1675 idiomate Anglico prodierunt, neminemque eruditorum modernorum facile latent, plura de Latina hac eorum versione nunc supersedemus addere.

EXERCITATIONES DE VTILITATE PHILOsophiæ Naturalis Experimentalis Autore ROBERTO BOYLE, Armigero, Regiæ Societatis Anglicanæ Socio. Ex Anglica in Latinam linguam translata.

Lindaviæ apud Theodorum & Jo. Christoph. Hechten 1692, in 4.
Constant 3. Alphabet. & 9. plag.

INter scripta immortali laude digna, quibus illustris Boyle Philosophiam experimentalem promovit, & ad sublime fastigium extulit, neque scriptione, neque pretio postremus est hic liber, immo rectius præferendus aliis, quod philosophiæ hujus convenienter tractandæ scopum, finem, & usum expandat, & ex his ejus præstantiam commendet, amorem excitet, ac cupiditatem ita tractandi eam ingeneret. Ac sane plurimis excerptis opus commendaremus, nisi ex eo, initio quoad unam partem, deinde quoad alteram simul toto Anglice dudum edito, multa didicissent viri illi qui legerunt, atque ad alios citationibus suis transtulissent, quos proinde desiderium maximum jamdudum tenuit, librum præstantissimum intelligendi.

Quare, quisquis est Interpres, gratiam pro labore merito refert. Nobis autem sufficit indicare, Exercitationibus iis omnibus communem Autoris scopum esse, ut hominis mentem in intelligendis Dei operibus erudiat, & Creatorem admirari ac celebrare doceat. Hinc legas inter alias Dei perfectiones inprimis illustrari omnipotentiam ac sapientiam, non ex maximis solum operibus, sed etiam ex minimis, ut ex formica, ex volvoce ferifico, ex insecto minimo, quod Aristoteles acari appellat, comparato cum elephanto, ex vermiculorum aceti collatione cum Balænis. Mire placebit dissertatio ex intimis naturæ penetralibus convincens tum Epicuræos, tum alios quosdam recentiores Philosophos, qui Deum a productione universi omni ex parte amovere fategerunt. Speciatim demonstratam invenies utilitatem Philosophiæ experimentalis, quam habet in Medicina omni, sive Physiologica, sive Pathologica, sive Semeiotica, sive Diæterica, sive Therapeutica longe uberrimam, quamque habet respectu imperii hominis in creaturas inferiores. Ubi ostenditur, quibus rationibus multum juvari ac meliora fieri possint opificia artificiaque quævis, quæ ad humanæ vitæ vel necessitatem vel commoditatem faciunt. Præfixa sunt singulis sectionibus capitibusque Breviaria; ac in fine Index rerum est subjunctus.

D. DANIELIS DE NESSEL BREVIARIVM ET Supplementum Commentariorum Lambecianorum, sive Catalogus aut Recensio specialis Codicum MSCtorum Græcorum, nec non Linguarum Orientalium Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis.

Vindobonæ & Norimbergæ, typis Leopoldi Voigt & Joach. Balth. Endteri, 1690. Fol.

Continet Alphabeta circiter XII, præter ingentem figurarum æneatum numerum.

PRoxime jam a fine abest seculum alterum, ex quo auspiciis MAXIMILIANI I. Imp. Aug. prima *Bibliothecæ Vindobonensis* fundamenta jacta sunt, quibus varia dein incrementa accessere ex non unis monasteriis Austriacis, reliquiis item Bibliothecæ

thecæ Budensis *Matthiæ Corvini* Regis, nec non apparatu literario Wolfgangi *Lazii*, Joannis *Fabri* Episc. Vindobonensis, Joannis *Dernschwan de Hradiczin*; tum optimis MSctis ab Augerio Gislenio *Busbeckio* in legationibus Constantinopolitana & Amasiana coëmptis; denique ex Joannis *Sambuci*, Hugonis *Blotii*, Richardi *Streinii* Baronis Austriaci, Sebastiani *Tegnagelii*, ac Philippi Eduardi *Fuggeri* luculentis librorum bonæ notæ thesauris.

Hujus autem Bibliothecæ Cæsareæ curam post Conradum *Celtem*, Joannem *Cuspinianum*, Gasparem a *Nydbruck*, Wolfg. *Lazium*, A. G. *Busbeckium*, H. *Blotium*, Rich. *Streinium*, Seb. *Tegnagelium*, Wilhelmum *Rechbergerum*, Matthæum *Mauchterum*, Petrumque *Lambecium*, summo studio maximaque cum laude inpræsentiarum gerit Vir Nobilissimus Clarissimusque, *DANIEL a NESSEL, J. V. D. Sac. Cæs. Majestatis Consiliarius & Bibliothecarius aulicus*. Hic itaque de catalogo accurate conficiundo cogitare ab Augustissimo HERO jussus est. Extabant equidem *octo tomi*, quibus *Petrus Lambecius* de MSctis illius Bibliothecæ Græcis DCXXI, fuse non minus, quam egregie commentatus fuerat, utilissimo labori immortuus mense Aprili A. C. 1680. Quum vero grande illud ac voluminosum opus eadem methodo pertexere, nimis arduum esse perspiceret, in compendium maluit redigere, nec tantum permultas illas icones æneas, quas non temnendam catalogo suo gratiam conciliaturas putaverat Lambecius, in hoc non omittere, sed & supplementis necessariis augere studuit Nesselius, qui codices illos nova plane serie collocavit, non ut Lambecius, de argumenti convenientia, sed potius omnium maxime de æquali & concinna voluminum in hoc illove repositorio extantium altitudine solicitus.

Hinc natum est præsens opus, quod *septem* omnino *partibus* absolvitur. *Prima* exhibet codices MSC. Theologicos Græcos 337. *Altera* MSC. Juridicos 18. *Tertia* Medicos 53. Universi illi codices, sed aliis numeris prænotati, a Lambecio jamjam recensiti sunt. *Quarta* codices Philosophicos & Philologicos 347, e quibus Philosophicos solos (numero centum quadraginta sex) Lambecius enarraverat, totam autem *Philologorum* messem Successori clarissimo illibatam reliquerat. Videas heic Autores præstantissimos, &, (ut ineditos ignotioresque seligamus,) præter varios Æschyli, Aristophanis, Euripi-

Euripidis, Heſiodi, Homeri, Oppiani, Pindari, Sophoclis *Scholiaſtæ* veteres, *Joannis Zonaræ* Lexicon, cod. 32. 154. 322. *Arſenii* Lexicon, cod. 122. *Eudemi* Lexicon, c. 132. *Libanii* Sophiſtæ epiſtolas CCXXCIIX, nondum typis excuſas, cod. 72. *Ejusdem* orationes XLIII, maximam partem ἀνεκδότους, cod. 93. *Himerii* Sophiſtæ orationes III. ineditas, cod. 106. *Theodori Metochitæ*, magni logothetæ Imperatoris Andronici I. orationes XVIII. de variis materiis philoſophicis, ſed præcipue ad hiſtoriam de vitis ſanctorum & Conſtantinopolitanam ſpectantibus, cod. 95. *Theodori Potacii* monodiam in Imperatorem Andronicum Palæologum, cod. 245. *Apſinis Gadarei* ſophiſtæ artem rhetoricam, cod. 60. *Joſephi Rhacondytæ* ſynopſin rhetoricam, cod. 70. *Ulpiani* commentarios in Demoſthenem, cod. 20. pluresque alios.

Quinta pars codices 130. hiſtoricos Græcos complectitur, e quibus *ſacros* modo (h. e. 69.) indicavit olim Lambecius. *Profanos* igitur primus admiſcuit Neſſelius. Ex his notatu digniores videntur *anonymus* Dionyſii Periegetæ *paraphraſtes*, cod. 122. *Michael Choniates*, Hiſtoricus Byzantinus, cod. 26. *Joannes Scylitzes* Curopalates, qui nondum Græce integer editus eſt, cod. 35. *Johannes* magiſter, cujus commentarius in locum ſingularem libri primi Antiquitatum Romanarum Dionyſii Halicarnaſſæi de inſula Samothrace & Diis Troicis, habetur codice 117. De eo hoc Neſſelii teſtimonium excerpere juvat: *Multa certe in hoc commentario, hactenus, quod ſciam*, inedito, *obſervatu digna ſunt, quæ* Dionyſii Halicarnaſſenſis *vitæ & ſcriptis lucem non exiguam poſſunt afferre. Extat quidem illius mentio in appendice pereruditæ exercitationis doctiſſimi* Leonis Allatii *de menſura temporum Antiquorum & præcipue Græcorum, a* Bartholdo Nihuſio *Coloniæ Agripp. A. 1645. in 8. edita, ubi in catalogo* librorum Allatianorum editorum & nec dum editorum *p. 239. inter libros nondum editos, num. XLVI. memoratur* Joannes Canabutius de inſulis Samothracia & Diis Troicis; *ſed an illa editio poſtea plene abſoluta fuerit, & unde Allatius cognomen illud* Canabutii, *quod in jam memorato codice Cæſareo deeſt, deſumpſerit, id mihi prorſus eſt incognitum.* Hactenus Neſſelius, cujus forte dubio ex parte ſatisfecerit *Carolus du Freſne* in indice Auctorum Gloſſario Græcitatis ſubjuncto p. 27. ubi, in codice Regis Galliæ hunc ipſum librum

librum, qui Venetiis *A. 1569* ſcriptus ſit, hoc titulo conſpicuum reperiri, refert: Ἰωάννου Καναβούτζη Ἔ Μαγίστρου περὶ τῶν αὐθέντην τῆς Αἴνου ϗ Σαμοθρᾴκης. Unde & Neſſelii indicem chronologicum auctiorem reddere licebit. Nec ſilentio prætermittendi codices *vigeſimus quintus* & *trigeſimus*, quibus continentur ex *Polybii Megalopolitani* libris Hiſtoriarum deperditis excerpta *Conſtantini Imp. Porphyrogennetæ*, a Lib. VII. usque ad lib. XIX. *Libri VII. Excerpta* inſcribuntur & incipiunt h. m. Πολυβίου ὀκ τῶν ἱστοριῶν Ἔ ἰβδόμου λόγυ κατ' ἐπίτομήν. Ἡ μὲν τῶν Λεοντίνων πόλις, &c. *Libri* autem *XVII. Excerpta* deſinunt, ut in impreſſis editionibus Iſaaci Caſauboni & Jacobi Gronovii, his verbis: οὐκ ὀκνήσαμεν διασαφῆσαι τὰ ὠφελησάντα τοῖς ἐξουσίαις αὐτῶν ἀπρεπῆ. Hinc porro ibidem ſequuntur, quæ in jam memoratis editionibus deſunt, (adeoque in nova editione eſſent ſuccenturianda,) *excerpta libri XVIII.* ſub hoc titulo: Πολυβίου ὀκ Ἔ ιή λόγυ. Ἐγὼ δὲ κῇ τὴν ἕκτην βίβλον ὐ ἐπαγγελίαν καλλιτῶν, ὅλα λαβὼν τὰν ἁρμόζοντα καιρὸν σύγκρισιν ποιήσωμαι Ἔ καθοπλισμὸν Ῥωμαίων ϗ Μακεδόνων· ὁμοίως δὲ ϗ &c. Item *excerpta libri XIX.* h. m. Πολυβίου ὀκ Ἔ ιθ' λόγυ· περὶ τῆς Σκιπίωνος τῦ Αφρικανοῦ ἡγεμονικῆς ἐμπειρίας. Κατὰ δὲ τὸν καιρὸν τῦτον νεανίσκοι τινὲς τῶν Ῥωμαίων, ἐπιτυχόντες παρθένῳ κῇ τὴν ἀκμὴν ϗ κῇ τὸ κάλλος διαφερύσῃ τῶν ἄλλων γυναικῶν, &c. Iisdemque excerptis ſtatim annectitur *excerptum*: Περὶ Μηδίας, cujus principium: Ἔστι τοίνυν ἡ Μηδία καλά τε τὸ μέγεθος τῆς χώρας ἀξιοχρέως, &c.

Parte *ſexta* quatuor indices, alphabetici partim, partim chronologici, MSCtorum quinque partibus præcedentibus comprehenſorum, occurrunt.

Pars *ſeptima* complectitur codices MSC. linguarum orientalium 275, Hebraicos, Syriacos, Arabicos, Turcicos, Perſicos, Armeniacos, Abyſſinos, Mexicanos, Sinenſes. Sunt in his Coſmographia *Abulfedæ*, cujus parvam tantum partem edidit Joh. Gravius, codice 6. Item commentarius Arabicus *Jabiæ Nahvi* Alexandrini in primum aphoriſmum Galeni, nec non in ea, quæ ex ejusdem Galeni libro de Electuariis excerpta ſunt, cod. 9. *Emirchondius*, celebris Hiſtoricus Perſicus, cujus contenta (maximam partem, ut videtur, fabuloſa) *Texeira* & ex eo *Jo. Lud. Gothofredus* in Archontologia Co-

ſmica evulgarunt, cod 11. Porro מחברות ſive Lexicon Hebræum R. *Salomonis*, Abrahami F. Pirchonis N. conſcriptum A. J. 4921, Chriſti 1161. Extat illud codice 17, cujus etiam meminit R. *Schabbethai* Strimerus in ס שפתי ישנים p. 41. n. 125. Nec minus in lucem edi meretur ספר שורשים ſive פירוש המלות h. e. Lexicon R. *Menachem BenSeruk*, quod R. Salomo Jarchi non ſemel in commentariis Biblicis laudat, quodq; a Neſſelio cod. 135. intelligi, ex collatione ejusdem libri Siphté Jeſchenim p. LXIII. n. 83. & p. XXCI. n. 215. facile patebit.

Vidimus hactenus ſumma voluminis hujus capita; unde non admodum collectu difficile eſt, quanta adhuc laboris pars Neſſelio exantlanda ſuperſit, codicum nempe decies mille MSCtorum, & nonagies fere mille impreſſorum recenſus, cujus in dedicatione ad Imperatorem Auguſtiſſimum & præfatione ad Lectorem, non obſcuram ſpem fecit.

Ne vero moram laboris illius tantum non Herculei ægre feras, Benevole Lector, aliquot illius ſpecimina heic tibi ſiſti, non abs re erit. Familiam ea inter ducat

SCIAGRAPHIA MAGNI CORPORIS HISTORICI, quod pollicetur Daniel de Neſſel, JCtus, &c.

Vindobonæ, typis Joh. Jac. Mann, 1692. in 4.
Conſtat plagulis 5.

VAria rerum Germanicarum ſyntagmata ex hiſtoricis publicisque Actis nondum excuſis collecta orbi erudito promiſerat *Petrus Lambecius*. Sed tum alia impedimenta, tum extrema fata in cauſſa fuere, quominus fidem liberaret. Commodum ergo nobiliſſimus *Neſſelius* doctiſſimi anteceſſoris provinciam in ſe ſuſcipere pollicitus eſt, edita hac ſciagraphia, qua tomos bene multos ex Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis autographis a ſe deſcriptos & prælo paratos adſeverat. Unde nihil magis in votis eſſe debet rei literariæ ſtudioſis, quam ut Auguſtiſſimi Invictiſſimique IMPERATORIS noſtri LEOPOLDI (cujus eruditionem ſummam & inuſitatam plane in litteras earumque ſtudia profeſſos gratiam non minus, quam juſtiſſimorum armorum felices ſucceſſus ſuſpicit orbis, & omnis poſteritas venerabitur) Principumque Virorum aliorum

rum munificentia, vastissimo æque ac utilissimo operi, in publicam lucem erumpere nitenti, ad instar Deæ alicujus Lucinæ, opem ferat. Cæterum aliquot auctores a Nesselio publicis usibus communicandos speciminis loco memoraturis, e *Syntagmate historiæ ecclesiasticæ* huc producenda videtur *ANGELOMI* Monachi Lexovienſis, qui A.C. 830. floruit, *explanatio in Genesin*; porro *ANONYMI vita S. Firmini, Episcopi & Confessoris, cujus festum celebratur Uceticæ in Gallia Narbonensi d. XI. Octobr. ANONYMI vita S. Remigii Archi-Episcopi Rothomagensis*, qui filius fuit Caroli Martelli & frater Pipini Regis Franciæ. *S. GREGORII MAGNI Benedictionale*; *HERMANNI* Abbatis Altaichii inferioris *Chronicon Altaichense*; Epistolæ Paulinæ omnes cum *annotationibus* interlinearibus & marginalibus ἀνεκδότοις *MARIANI SCOTI*. Psalterium Davidis Latinum, cum *OTFRIDI*, monachi *Wizanburgensis* sive Weissenburgensis, ordinis S. Benedicti, antiqua *Theotisca* paraphrasi prosaica. *PHILIPPI*, Eystetensis Episcopi, *vita S. Walpurgis*. *Danielis a NESSEL Symbola Synodica*, ad R. P. Philippi Labbe historicam synopsin Conciliorum. *ULDARICI* BABENBERGENSIS *codex epistolaris*, continens variorum Pontificum & Impp. Romanorum, ut & S. R. E. Cardinalium & S. R. I. ecclesiasticorum secularium que Principum epistolas, A. C. 1125. collectas. *CONCILII WORMATIENSIS*, A. C. 868. habiti, *Professio Fidei* contra errores Græcorum.

In *Syntagmate historiæ Germanicæ* cum non paucis aliis locum sortiuntur *ÆNEÆ SYLVII* tractatus de potestate Cæsarea. *ERMOLDI NIGELLI* exulis ad Ludovicum I. Imp. de rebus ab eo gestis libri IV. elegiaco carmine conscripti. *HRABANI MAURI* Glossæ *Latino-Theotiscæ* in Biblia V. & N. T. Codices epistolares Impp. *RUDOLPHI I. & II.* Varia *diplomata HAMBURGENSIA, BREMENSIA, SPIRENSIA, WEISSENBURGENSIA*. Denique *VITI ARENPECHI*, Prioris monasterii Ebersbergensis, *Chronicon Bajoariæ*.

Ex Syntagmate Historiæ Austriacæ indicare placet *ALBERTI* Baronis de *BONSTETEN* historiam Austriacam, A. C. 1491. compositam. *Chronicon Maurbacense F. LEOPOLDI BRENNER*, scriptum A. C. 669. *ANONYMI* catalogum Archiepiscoporum *Laureacensium* & *Pataviensium* ab A. C. 250. usque ad A. C. 1313. Eundem

catalogum continuavit ad annum Christi 1517 NICOLAUS SCHREITWEIN.

In *Syntagmate Historiæ Hispanicæ* primas tenet *HIEREMIÆ GUNDLACHI* Hispaniæ descriptio; agmen claudit *Nobiliario de Espanna por Abecedario de LANTE CORTADO.*

In *Syntagmate Historiæ Hungaricæ* eminent *JOANNIS de ZREDNA* Protonotarii Cancellariæ Regis Hungariæ epistolæ Historicæ de rebus gestis inter Imp. *Fridericum V.* & *Regnum Hungariæ* ab A. C. 1445 ad A. C. 1457. *ANONYMI*, Regis *Belæ* notarii, historia Hungarica de VII primis Hungariæ ducibus. *WOLFG. LAZII* rerum Hungaricarum *Historia*, nec non *Archæologia* Hungariæ.

In *Syntagmate Historiæ Bohemicæ* duo tantum hactenus comparent libri; *BOHVSLAI* nempe *de LOBKOWITZ* comm. de urbe Praga, & *INCERTI* formula coronandi Reges Bohemiæ Germanice.

Ad *Syntagma rerum Polonicarum* spectant Acta publica electionis Imperatoris MAXIMILIANI II. in Regem Poloniæ, collectore *HUGONE BLOTIO*, A. C. 1576. Historiarum Poloniæ ab excessu Uladislai IV, tomi primi libri IX, autore *LAURENTIO JOANNE RVDAWSKY*, ab A. C. 1648. ad A. C. 1660.

His adjiciuntur MSCta quædam *Chinensia* & *Mexicana*, de quibus Lambecius & Nesselius in suis catalogis jam egerant, quæ tamen adhuc egent interprete. Itemque *JACOBI de STRADA* MSCta quatuor nummaria & *ANONYMI* tres antiquitatum monetariarum tomi.

Habes, curiose Lector, summam promissorum Nesselianorum, quibus ut propediem stare queat, Mæcenates ei, otium, vitamque longævam nobiscum, sodes, apprecare. Edidit is interim aliud industriæ suæ specimen, cui titulus:

SVPPLEMENTVM BRVSCHIANVM,
sive
Gasparis Bruschii Egrani, Poetæ Laur. ac Com. Pal. monasteriorum & episcopatuum Germaniæ præcipuorum ac maxime illustrium Chronicon sive CENTVRIA SECVNDA, quam ex Autoris autographo MSC. A. 1551 & 1552 collecto, publica luce primus donavit Daniel de Nessel, I. C. &c.

Vindo-

Vindobonæ, typis Joh. Jac. Mann, 1692. in 4.

Conſtat plagulis 31.

LAudaverat hoc autographum in bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi aſſervatum *P. Lambecius* lib. VIII. p. 80.

Omnium maxime heic oculos feriunt Archiepiſcopi & epiſcopi *Paſſavienſes* p. 220. *Salisburgenſes* p. 224. *Viennenſes* p. 210. Admixtæ ſunt genealogiæ *Abensberg* e Scheurenſibus, p. 198. Comitum *Pappenheim* & *Calatin* p. 186. Ducum *Suplenburgenſium* & Comitum *Querfurtenſium* p. 184. Comitum *Formbacenſium*, *Putinenſium* & *Neunburgenſium* p. 99 Comitum *Greiffenbergenſium*, *Lechsbergenſium*, *Thierhemenſium* p. 185. Comitum *Polheimenſium* p. 142. Comitum *Kirchbergenſium* p. 187. Dapiferorum a *Waldpurg* p. 189. Huic ſuccedat

PRODROMVS HISTORIÆ PACIFICATORIÆ.

Vindobonæ, typis Coſmerovianis, 1690, in Fol.

Conſtat plagulis 8.

PRodromus hic nihil aliud eſt, quam *index chronologicus in CORPVS HISTORICO-POLITICUM Publicarum Pacificationum, Confœderationum, Ligarum, Conventionum, Tranſactionum, Pactorum, Tabularum fœderis, Inſtrumentorum Pacis, Neutralitatis, Commercii, Aſſociationis, Proviſionis, Guarantiæ, Receſſuum interimiſticorum, ab A. C. 1400. uſque ad A. Chr. 1685, per totum terrarum orbem ſancitorum & concluſorum, quod brevi ſe editurum pollicetur* ſæpe nobis laudatus *Daniel a NESSEL.* Digeſſiſſe ſe ait totum hoc opus methodice ſecundum expanſorum annorum ſeriem, origines & cauſſas *bellorum* a Sereniſſimis *Auſtriaco-Hiſpanico-Gallico-Burgundicis* familiis a tribus fere ſeculis geſtorum ſynopſi hiſtorico-politica enumeraſſe, ac dein ſubſecutarum *Pacificationum* inſtrumenta, cum tabulis genealogicis & ſynopticis illuſtrium prætenſionum diagrammatibus, convenientibus locis contextus ſui inſeruiſſe. Petit inſuper, ut harum rerum gnari inſtrumenta, quæ in hoc catalogo deſiderari viderint, indicent communicentque. Nec poſſunt non heic noſtram memoriam ſubire *Articuli Pacis* A. C. 1618. inter Imperatorem *Ferdinandum II.* & *Amurathem IV.* Turcarum Sultanum concluſæ, qui Turcice extant in bibliotheca Vindobonenſi,

teſte ipſo *Neſſelio* P. VII. Catalogi, p 148. cod.10. Neque defuturos putamus, qui monumenta id genus plura ſuppeditent, ut Opus hoc perfectum omni ex parte prodeat.

Der Hälliſche Meſſer-Schlucker. &c.
i. e.
Hiſtoria Adoleſcentis, a cultro, quem improvide deglutiverat, per abſceſſum feliciter liberati: Autore D. Wolfg. Chriſtoph. Weſenero.

Halæ Saxonum, 1692. Plag. 2.

FIdem ſuperare viſum fuit, quod *Crollius* de ruſtico quodam Bohemo, & *Beckerus* de Regiomontano Boruſſo, memoriæ tradiderunt; ex eorum nempe inciſo abdomine & ventriculo cultrum eximiæ magnitudinis, quem forte deglutiverant, exemptum ſine noxa fuiſſe. Aſt dignior notatu caſus eſt, qui in adoleſcente quodam ruſtico prope Halam Saxonum non ita pridem contigit: quippe qui moleſtum ejusmodi ſtomachi onus & diutius retinuit, & denique, arte jam medelam deſperante, naturæ beneficio ejecit. *Andreæ Rudlofo* nomen ipſi eſt, qui A. 1691, d. 3. Januarii, ſedecimum annos natus, inter luſus puerilis cultrum, cujus manubrium e cornu cervi erat, ore prehenſum improviſo pronoque in terram lapſu faucibus impegit, ſociisque & vicinis, quod extrahi cultrum poſſe diffiderent, cereviſiam ac oleum ad gulam lubricandam ſuffundentibus, in ventriculum demiſit. Male inde adoleſcens ſe habuit, vomitus crebros, ſed per congrua remedia a Medico & Chirurgo propinata ſedatos, doloremque ſat gravem, inprimis in hypochondrio ſiniſtro circa coſtas ſpurias, qui & ipſe tamen ceſſavit ſubinde redditque, expertus. Menſe Januario anni præſentis, tumor quidam durus tres latos a ſcrobiculo cordis digitos prodiit, cum rubore intenſo & dolore pungitivo, quæ cuncta tamen pariter paulatim evanuere. Tandem menſe Majo tumor rubicundus denuo ſub ſcrobiculo cordis prominens abſceſſus ſuſpicionem movit, qui manu chirurgi die 24 dicti menſis apertus materiam purulentam fœtidiſſimamque fudit, donec die 18. Junii apex cultri apparuit, ac denique die 2 Auguſti culter integer, ſed hinc inde corroſus atque mole imminutus,

(quale

TAB. XII. *ad A. 1692. pag. 503.*

Fig. I

Fig. II

(quale quid num medicamenta corrosiva a Medico exhibita præstiterint, determinare haud possumus) feliciter extractus est; postquam annum unum, hebdomades triginta & dies tres in ventriculo hospitasset. Adolescens ipse satis commode & ab omnibus symptomatibus pristinis liberè vivit, & plenariam ulceris consolidationem propediem sibi a Summo Medico pollicetur. In Lectoris gratiam figuras duas exhibemus, prout a clarissimo Relationis Autore sunt delineatæ, quarum prior cultri, qualis fuit dum deglutiretur, altera ejusdem cultri qualis fuit cum eductus e corpore esset, faciem repræsentat.

LIBRI NOVI.

SAmuelis Bocharti Opera omnia. Lugd. Bat. 1692 in fol.

Ulrici Huberi Institutionum Historiæ Civilis Libri III. Franequeræ 1692. in 8.

Institutiones Juris Naturæ & Gentium, ad Methodum Hugonis Grotii conscriptæ a Philippo Reinhardo Vitriario. Lugd. Bat. 1692. in 8.

M. T. Ciceronis Orationes quædam selectæ; cum Interpretatione & Notis &c. Cantabrigiæ 1692 in 8.

Melchioris Leydekkeri Dissertatio de vulgato nuper Cl. Bekkeri volumine, & Scripturarum authoritate & veritate. Ultrajecti 1692 in 8.

Veterum aliquot Galliæ & Belgii Scriptorum Opuscula sacra, nunquam edita, jam vero e MSS. Codicibus Bibliothecarum Galliæ in lucem prodeuntia. Lugd. Bat. 1692 in 8.

Surdus Loquens, seu Methodus, qua, qui surdus natus est, loqui discere possit, studio Joh. Conr. Amman. Amstel. 1692. in 8.

Richardi Morton Exercitationes de Morbis Universalibus Acutis. Lond. 1692. in 8.

Historia Salisburgensis, h. e. Vitæ Episcoporum & Archiepiscoporum Salisburgensium; authore P. Josepho Meraget. Salisburgi 1692. fol.

Samuelis VVerenfelsii Dissertatio de Logomachiis Eruditorum. Basileæ 1692. in 4.

The Young Students Library, containing Extracts and Abridgments of the most valuable Books printed in England, and in the forreign Journals, from the Year sixty five to this Time. London 1692. fol.

A Practical Exposition on the Lord's Prayer: by Ezechiel Hopkins late Lord Bishop of London-Derry. London 1692. 4.

Synodicon in Gallia Reformata: Or, the Acts, Decisions, Decrees and Canons of those famous National Councils of the Reformed Churches in France. By John Quick. London 1692. fol.

A Trea-

A Treatise of Church-Government: by Robert Burscough. Lond. 1692. in 8.

The State of the Protestants of Ireland, under the late King James's Government. London, 1692. in 8.

The Meditations of Marcus Aurelius Antoninus concerning himself, translated out of the original Greek; with Notes: by Meric Casaubon. London 1692. 8.

An Enquiry into four remarkable Texts of the New Testament, by John Edwards. Cambridge 1692. 8.

Several Cases of Conscience resolved by Dr. Thomas Barlow Late Lord-Bishop of Lincoln. London 1692 in 8.

Mysteries in Religion vindicated: or the Filiation, Deity and Satisfaction of our Saviour asserted, against Socinians and others. By Luke Milbourne, London 1692. in 8.

An Essay of Transmigration, in defense of Pythagoras. London. 1692. in 8.

The Wisdom of God, manifested in the Works of Creation: by John Ray. The second Edition, very much enlarged. London 1692. in 8.

The Plain Mans Guide to Heaven: containing his Duty, 1. Towards God. 2. towards his Neighbour. London 1692 in 12.

Waare Ontledinge ende Oeffeninge der Planten &c. door Theodorus Schoon M. D. In's Graven Hage 1692 in 8.

Digt-Sang-en Speel-Konst, soo der Ouden, als bysonder der Hebreen: door Salomon van Til. Tot Dordrecht 1692. 4.

L'Artde se connoitre Soy-mesme, ou la Recherche des Sources de la Morale, par Jaques Abbadie. A Rotterdam 1692. in 8.

Preliminaires des Traitez faits entre les Rois de France & tous les Princes de l'Europe, depuis le Regne de Charles VII. A Paris 1692. in 12.

Ezechiel traduit en François, avec une Explication tirée des Saints Peres & des Autheurs Ecclesiastiques. A Paris 1692. in 12.

Les Larmes de l'Angleterre, ou la Source des Malheurs qui ont affligé ce Royaume sous le Regne de Jaques II. & de son Fils. A Cologne 1692. in 12.

De Boekzaal van Europe, ontsloten met de Maanden Julius en Augustus 1692. Te Rotterdam.

Onderzoek van de Beteekening der Kometen, door B. Bekker. t' Amsterdam 1692 in 4.

Pneumatica, of te Leere van de Geesten; door Henricus Groenevvegen, tegen B. Bekker. t' Enkhuyzen 1692. in 4.

Aanmerkingen op de Betooverde Weereld van D. Balthasar Bekker: door J. Verryn. t' Amstelodam 1692. in 4.

✱)o(✱

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Novembris Anno M DC XCII.

DE FONTIUM MUTINENSIUM ADMIranda Scaturigine Tractatus physico-hydrostaticus *Bernardini Ramazzini*, in Mutinensi Lyceo Medicinæ Professoris, ad Sereniſſimum FRANCISCUM II. Mutinæ, Regii &c. Ducem.

Mutinæ, typis Hæredum Suliani, 1691. 4.
Constat plag. II.

MUtina vetustissima Italiæ urbs, & a Tullio quondam splendidissimæ P. R. coloniæ titulo insignita, non aeris solum temperie salubri gaudet, & solo non fallente spem colonorum, sed magnam quoque possidet aquæ purissimæ affluentiam, quæ neque injuria temporum desinere, neque hostili astu possit unquam vitiari vel averti. Dato enim quocunque loco intra hanc urbem, vel etiam eandem circumquaque ad aliquot passuum millia, fontem aperire vivum licet, qui perennitet purissimam aquam profundat. Quæ res cum singularis plane sit, nec ab ullo satis explicata, clarissimus ac experientissimus Vir, *Bernardinus Ramazzinus*, in Mutinensi Lyceo Medicinæ Professor, rem non ingratam fecit naturalis scientiæ consultis, quod admirandæ hujus scaturiginis naturam tractatu physico-hydrostatico, quem favori illustris *Magliabechii* acceptum ferimus, erudite indagavit. Ut vero rem totam summatim referamus, sequentia præcipue in Mutinensium puteorum fossione observantur. (1) Limites hujus abditæ scaturiginis non satis cogniti sunt, longiorem tamen illius excursionem ab occasu ortum versus, (7000 nimirum passuum) putearii esse referunt, quam ab austro ad septentrionem, cum in hoc tractu ultra qua-

tuor milliaria non extent hujusmodi fontes. Intra hos autem terminos fossores, pretio plerumque 40 argenteorum conducti, quocunque in loco sibi designato, puteum, semper cum successu, effodiunt. (2) In fossione puteorum primo a soli superficie usque ad pedes 14 circiter non nisi cæmenta & antiquæ urbis vestigia comparent. Post cæmenta se terra prodit satis solida & compacta, at non multo post nigra & paludosa palustri arundine referta; & sic alternis, ad sex fere pedes, varia soli observatur mutatio, modo albi, modo nigri, donec ad planum cretaceum deveniatur. Hujus vero passim multis cochlearum testis referti moles 11 fere pedum est, finisque in profunditate 39 pedum. Hinc aliud apparet palustre stratum duorum pedum circiter, ex juncis, plantarum foliis ac ramis congestum; quo ablato, stratum aliud cretaceum, ejusdem fere molis ac superius, se offert, cujus terminus est in profunditate pedum quinquaginta & duorum: atque hoc strato effosso, rursus stratum aliud paludosum priori haut dissimile visitur, illoque denuo semoto, aliud stratum cretaceum ejusdem naturæ cum superioribus, sed minoris molis ac crassitiei, quam reliqua duo; idque superincumbit alteri strato palustri, quod tandem desinit in ultimum illud planum, in quo terebra defigitur, quodque molle est & arenosum, multaque glarea minuta permixtum, ac marinis quisquiliis refertum. (3) Incidunt fossores sæpissime in varias arborum species, quarum erectæ aliæ sunt, aliæ prostratæ jacent; lignaque a fossoribus frustillatim cæsa, satis mollia sunt, ubi autem aeri fuerunt exposita, non secus ac corallia, duritiem adsciscunt. Nunquam tamen arborum trunci in stratis cretaceis observantur, sed in palustribus tantum, vel in eo spatio, quod urbis fundamenta & cretæ principium interjacet. Reperiuntur quoque interdum in puteorum fundo ossa, carbones & ferri frustula. (4) Operarii non parum aliquando turbantur aquarum lateralium proventu, donec ad profunditatem 28 pedum circiter devenerint, ubi cretæ figularis principium adparere incipit; ac propterea ad arcendas hujusmodi aquas impuriores, puteum ampliorem muro cingunt ex calce & lateribus bene coctis, cujus superficies creta figulari recte subacta diligenter munitur; deinde vero fossionem ad imum usque deducunt, nec a cretæ adparitione vel guttulam aquæ extillantem observant. (5) In puteorum fundo nondum pertuso terebra, manifestum aquæ præterlabentis murmur

murmur ac ſtrepitus exauditur, & ſolum pede percuſſum mugit; excutit etiam nonnunquam vis aquæ terræ incumbentis pondus, cum differtur terebratio. (6) Media hyeme, quod thermometri hermetice obſignati conſtat indicio, temperies horum puteorum parum differt a calore dierum canicularium in Mutinenſi regione. Æſtivo contra tempore intenſum frigus perſentiſcunt foſſores, magna reſpirandi anguntur difficultate, & ſuffocantur pæne ab ingenti fumoſa exhalatione, quæ & lumina extinguit. (7) Ubi ad profunditatem pedum 63 circiter devenerunt foſſores, fundum in medio ingenti terebra perforant, quæ ubi ad 5 fere pedes adacta fuerit, illico tanto impetu erumpit aqua, ut temporis fere momento totus puteus repleatur ad ſummitatem usque, & aqua exinde perpetuo defluat. (8) Erumpentis aquæ vis multum arenæ & glareæ ſurſum propellit, atque ideo duo vel tres operarii, quanta poſſunt ſolicitudine, aquam ſtatim exhauriunt, ne materia illa in fundo ſubſidens foramen poſſit obſtruere. Glarea vero illa non multum illi diſſimilis eſt, quæ in proximis fluminibus viſitur, nec adeo minuta, quin ex iis nonnullæ partes uncias tres vel quatuor pendant. (9) Si plumbeus cylindrus funiculo adpenſus per foramen a terebra factum dimittatur, non abripitur ille ab aliqua præterlabente aqua, ſed manifeſte fundus percipitur, nec major obſervatur profunditas quam illa eſt, quæ a terebra ortum traxit. (10) Statim ac facta eſt terebratio ac ſubita aquæ eruptio, proximi fontes ad breve aliquod ſpatium ceſſant a fluxu, quem poſtmodum, ſed lentiori gradu reſumunt. (11) Cuncti fontes in eadem horizontali linea aquas habent, quæ proinde, ubi civitatis ſitus eſt devexior, ſupra planum ejus attolluntur, facilemque habent defluxum; in editioribus vero locis paulo infra ſoli planum ſubſiſtunt, ut ad illarum fluxum neceſſe ſit ſubterraneos ductus excavare. (12) Poſtquam ſenſim multiplicatus fuit horum fontium numerus, ut jam fere ſingulæ domus ſibi proprium habeant, damnum hinc perſenſerunt veteres, ita ut illorum editiores fiſtulæ aquam non amplius emittant. (13) Vis nulla humana ſufficit ad exhauriendos illos fontes, ſed quo plus aquæ illis detrahitur, eo vividiores fiunt, ac ſicuti humidis anni temporibus nullum ſentiunt augmentum, ita ſiccis nullum decrementum patiuntur. (14) Hyeme fontium illorum aquæ valde tepent fumoſamque exhalationem emittunt, æſtate vero inſigniter frigent.

(15) Eadem omnium fontium, simodo rite constructi fuerint, bonitas est, perstatque semper incorrupta puritas aquarum.

Hos ergo vere admirandos fontes a stagnanti aqua originem non ducere, ex *observat. 5 & 15* facile concludit Auctor clarissimus, neque tamen ad subterraneum aliquod flumen confugiendum statim esse putat, cum per *observ. 1.* tanta ejus admittenda esset amplitudo, cui nec Padus, nec Rhenus, nec Danubius possent conferri, profunditas vero nonnisi paucorum pedum per *observ. 9.* quæ non satis cohærere videntur. Accedit, quod non adpareat, quomodo fornix, quem, si daretur per *observ. 2.* ex terra paulatim aggesta compactum esse oportet, impositæ telluris pondus sustinere posset. Quod si quis plura subterranea fluenta suis intervallis distincta vocet in subsidium, huic obstat *observ. 1.* quæ nunquam fossores in talia insterstitia incidere testatur. Qui autem ex amnibus Scultenna & Gabella derivant hos fontes, per *13. observationem* refelluntur, dum scilicet nullum incrementum aut decrementum pro inæquali horum fluminum statu recipiunt. Eadem quoque confirmat pluvias, quæ illas aquas pariunt, de quibus *observ. 4.* agit, ortum fontibus Mutinensibus nequaquam dare, præcipue cum cretacea strata, quæ in *observ. 2.* describuntur, obstent, quominus se in terram altius penetrare possint. Veram autem, aut veræ saltem proximam causam ut reddat *Cl. Auctor*, ex hydrostaticis probat, aquam libere descendentem & per canalem ejusdem ubique amplitudinis effluentem, non adscendere in tubis huic canali adaptatis; quodsi tamen orificium canalis coarctetur, defluentique aquæ ponatur obex, eam plus vel minus in siphonibus illis elevari, nunquam vero ad eam altitudinem pertingere, ad quam elevaretur, si fistulæ orificium penitus esset obstructum. Deinde conjicit, totam planitiem, qua majorem Italia non habet, & quam in Galliam cisPadanam & transPadanam dirimit Padus, mare olim fuisse & Adriatici sinus continuationem; in universali vero inundatione fuisse oblimatam & vallis præ se speciem tulisse, ac postmodum diuturno seculorum cursu, ex continuo aquarum ab Apennino & Alpibus descensu aliisque particularibus eluvionibus, solum hoc paulatim, ac per multiplicia strata, (de quibus in *Observat. 2.*) ad hanc altitudinem, quæ nunc visitur, excreviisse. Id quod confirmare videntur junci palustres, carbones, ossa animalium, &c. per *observ. 3.* in profunditate pedum 63 reperta, quæ

TAB. XIII. ad A. 1692. pag. 509.

Fig: 1.



Fig: 2.



quæ non obſcure indicant, ſolum hoc ſub dio aliquando fuiſſe. Porro aſſumit, mare in hac regione cum Apennino, cui in primæva mundi origine propius fuit, occulta habuiſſe & adhuc habere commercia, ac in viſceribus illius varia dari aquarum reconditoria, quæ per continuum vaporum aſcenſum ex mari repleantur: eſſe quoque occultum tale hydrophylacium invicinis montibꝰ poſitum v.g. AB (Fig. 1.) ex quo aqua per ſubterraneos ductus ruat, donec terra ſolidam habet compagem; ubi vero illa in fabuloſam planitiem MNO late primum patentem, ſed ſenſim in arctiorem ſitum coactam, abiit, latius exſpatietur, in mare vel profundam voraginem tandem devolvenda, aut in puteis a foſſoribus elaboratis attollenda ad illam, quam exigunt leges hydroſtaticæ, altitudinem. Ex hac ergo hypotheſi doctiſſimus Auctor, quæ in *Obſervat. 5. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13.* commemorantur, phænomena, erudite explicat, ſimulque monet, aquam non ab initio ſtatim per tractus illos arenoſos fluxiſſe, ſed poſtquam ſufficiens terræ moles eisdem incubuerat, ingenti aliquo terræ motu vias, per quas aqua ex hydrophylacio in fabuloſam illam aream decurrit, fuiſſe apertas, ne forte huic hypotheſi *quinta obſervatio* objiciatur. *Obſervationis 6 & 14* cauſam ad antiperiſtaſin refert, quæ ipſi ex ſcholis non ableganda videtur, cum quæcunque ſit caloris & frigoris natura & indoles, ſatis recte poſſit explicari. Candelas vero extingui putat a vaporibus craſſis, quibus aer eſt refertus, quique eundem ad reſpirationis uſum ineptum reddunt. Quod ſpeciatim ad ſtrata attinet in *obſervat. 2.* delineata, perſuaſum habet, poſt univerſale diluvium a tribus particularibus illuvionibus, magnis tamen ac antiquiſſimis, producta fuiſſe ſtrata cretacea, ex terra e montibus in has valles deducta, ita ut ab una illuvione ad alteram multum temporis effluxerit, & hoc pacto aquis reſtagnantibus, & putreſcente ſolo, ortum habuerint ſtrata illa intermedia ex plantarum foliis & radicibus congeſta. Tandem, poſtquam de proportione, quam habet aquæ elevatio in fiſtula erecta alteri fiſtulæ horizontali inſerta ad ſui hydrophylacii altitudinem, erudite diſſeruit, phænomenique ſingularis demonſtrationem, a *D. Boccabadato* Sereniſſ. Ducis Mutinenſis Mathematico in opere, quod de *conatu mechanico* propediem eſt editurus, afferendam promiſit, ultimo agit capite de fontium Mutinenſium bonitate ac præſtantia. Ac primum quidem generatim disquirit, utrum pluvia-

TAB. XIII. Fig. 1.

les an vero fontium aquæ ſint præſtantiores, ac uti facile concedit, aliis in locis pluviales aquas, aliis fontanas aut etiam fluviales potiores eſſe, cæteris tamen notis conſentientibus fontium aquas pluvialibus ac reliquis præferendas eſſe contendit. Dos autem præcipua, quæ in aqua expetitur, eſt, judice Plinio, ut aeri quam ſimillima ſit, hoc eſt levis, perſpicua, odoris & ſaporis expers, tenuis & prona ad calorem & frigus facile ſuſcipiendum. Laudat quoque Hippocrates illos præcipue fontes, quorum aquæ e profundis terræ ſcatebris prodeunt, æſtateque frigidæ ſunt ac hyeme calidæ, & ſalubriores vulgo cenſentur illæ, quæ per ſabulum craſſum & glaream fluunt, incorruptæque in vaſis repoſitæ ad longum tempus perſtant. Vetus quoque aquæ commendatio eſt, ſi in illa celeriter coquantur legumina; cui vero non multum tribuit Cl. Auctor, quia interdum in aquis ſalibus imbutis legumina promtius coquuntur: atque ideo certius putat illud eſſe criterium, quod ex hominum circa tales aquas habitantium bono habitu depromitur. Quapropter cum ea ſit Mutinenſium fontium indoles, ut aquæ illorum omnes notas habeant, quæ in præſtantiſſimis deprehenduntur, merito concludit, nullis totius Italiæ præſtantia & bonitate illos concedere.

AQVARVM FLVENTIVM MENSVRA NOVA Methodo inquiſita. Pars altera. Autore Dominico Guilielmino *M. D. Bononienſi, in patrio Archigymnaſio Mathem. Primario Prof. & Aquarum Bononienſium Superintendente.*

Bononiæ ex typographia Piſariana, 1691, 4.
Conſtat plag. II. & Fig. æneis.

DE parte priori Operis tres libros complexa diximus in Actis A. 1691. p. 72: nunc partem alteram a præclaro Autore in communē utilitatem publicatam ſiſtimus. Continet ea *libros tres* reliquos. *Quartus* agit de canalibus inclinatis unitis; *quintus* continet propoſitiones ſelectas, inter hæc ſtudia vel alio collimanti, vel etiam inquirenti oblatas; *ſextus* propoſitiones fundamentales pro diſtributione aquarum ex conſtantibus fundamentis facienda. Et quidem *libro quarto* primum

primum eo tendit, ut oſtendat, altitudinẽ aquæ in aliqua ſectione non addere velocitatem partibus inferioribus, niſi earum velocitas minor ſit ea, quam poteſt imprimere altitudo aquæ ſupra fundum ſectionis. Atque hinc colligit, cur aquæ in canalibus horizontalibus fluant ſola velocitate nata a preſſione; in canalibus vero perpendicularibus & inclinatis ſola velocitate, quæ provenit ab inclinatione alvei. Inde per propoſitiones nonnullas præmiſſas tendit ad regulam generalem pro menſurandis aquis quorumcunque fluminum, quam ita pag. 19. & ſqq. deſcribit.

I. Ut aquæ velocitas ubique ſibi ſimilis ſit, eligatur ea fluminis ſectio, ut alveus ſupra & infra eam, quantum fieri poteſt, rectus ſit, id quod in magnis fluminibus inventu facile, in parvis vero non difficile factu.

II. Electo ſitu proportionato fluminis, ad tollendam irregularitatem, ſi adſit, ſectionis naturalis, illi aptetur ſectio artificialis, (ſeu, ut Caſtellus vocat, Regulator) ex lapide, vel lateribus, vel, quod facilius eſt, ſublicis conflata; cujus baſis AB ſit exacte horizontalis; latera vero, ſive ſpondæ AC, BD, perpendicularia, & in uno laterum v. g. BD notentur quælibet menſuræ uſuales cognitæ, v. g. pedes, ulnæ &c. & in parte ſuperiori aptetur cataracta EG, quæ ita poſſit demitti, ut ſuperficies ejus inferior EF ſemper retineatur in ſitu horizontali; & per hanc ſectionem tota fluminis aqua fluere cogatur. TAB. XIII. Fig. 2.

III. Cum flumen in eodem ſtatu permanet, id eſt cum ejus ſuperficies non attollitur, neque deprimitur, demittatur cataracta infra ſuperficiem aquæ. Itaque per propoſitionem ſecundam, & ibidem notatas, elevabitur aquæ ſuperficies uſque ad terminum ſtabilem, qui ſit ex. gr. KL.

IV. Altitudo BK ſuperficiei aquæ ſupra fundum ſectionis artificialis BA obſervetur in latere BD, quæ, ut plurimum, non multum ſuperabit præcedentem aquæ altitudinem, tum propter parvam declivitatem, quæ ſolent eſſe inclinati fluminum alvei, angulum inſenſibilem cum horizontali ſæpius efficientes; tum propter retardationem factam a pluribus impedimentis accidentalibus, cujusmodi ſunt riparum, & fundi inæqualitas, earundemque ad invicem inclinatio, tortuoſitates, & corroſiones, quæ alvei rectitudinem tollunt; reciproca ſectionum anguſtia, & laxitas &c. quæ omnia maximo ſunt impedimento accelerationi motus. At ſi ob circumſtantias metui poſſet, ne aqua ob nimiam elevationem

nem fluminis ripas aut aggeres superaret, illi muniendi erunt, & pro exigentia elevandi.

His sic factis & observatis, intelligatur axi BK descripta parabola BKH; & ordinatim applicatis BH, FI, inveniatur perpendicularis BF centrum velocitatis per prop. quintam secundi libri; facile enim ex natura parabolæ proportio FI ad BH innotescet, cognitis per experimentum KB, KF. Sit ergo centrum velocitatis M; ductaque MN semiordinata; hæc erit media velocitas perpendicularis KB.

Si alveus sit sensibiliter inclinatus, inquirenda erit inclinatio, ut ex ea per corollarium 3 propositionis 5 possit erui altitudo aquæ superincumbentis centro velocitatis: qua cognita, vel per propositionem decimam secundi libri, vel beneficio peculiaris Tabulæ inveniatur spatium debitum velocitati: Hoc per FB perpendicularem multiplicetur, & productum ducatur in latitudinem sectionis AB; & consurgens numerus indicabit quantitatem mensurarum cubicarum aquæ ejus generis, ac ea, quibus usi fuerimus in his operationibus.

Demonstratio veritatis hujus mensuræ pendet partim ex propositione antecedenti, partim ex corollario secundo propositionis 10. secundi libri; est enim mensura inventa ejus aquæ, quæ exit per sectionem BL superius obstructam; sed hæc est æqualis illi, quæ fluebat antea per sectionem non obstructam, ex demonstratis in propositione tertia hujus libri; ergo & erit mensura quantitatis aquæ, quæ prius fluxerat per sectionem non obstructam, id est per quamlibet aliam ejusdem fluminis sectionem.

Libro quinto notat, in fluminibus etiam horizontalibus superficies aquæ prope exitum esse depressiores, quia major sectionum latitudo prope exitum, alioqui ob impetum corrodet ripas. Exhibet etiam quorundam problematum huc pertinentium solutionem. Quod dein fit & *libro sexto*. Eaque omnia, cum sint cohærentia inter se, non facile excerpi possunt, sed apud Autorem sunt legenda. Subjicitur Tabula spatiorum velocitati debitorum juxta altitudinem sive descensum aquæ, durante uno horæ minuto. Ita exempli gr. si altitudo aquæ in mensura pedis Bononiensis sit pedis 1, ait spatium huic velocitati debitum (durante minuto) esse pedum 216, & 5 unciarum seu pollicum. Ait autem se noluisse hanc Tabulam dare, nisi postquam pluries repetito experimento & tabulæ fundamentum

mentum certius exploraverit, & perſpectam ejus utilitatem habuerit. Hinc autem deducit calculum menſuræ fluminis, dum area ſectionis artificialis ſeu regulatoris per ſpatium velocitati mediæ debitum multiplicatur, quod ad ſingulas uncias altitudinis ſive deſcenſus perpendicularis oſtendit Tabula, ab uncia 1. altitudinis, uſque ad pedes 30; quia raro major fluminum altitudo. Oſtendit uſum exemplis, quorum unum (pag. 87) verbis Autoris huc transferre placet:

Refert eruditiſſimus Joannes Boterus in relatione, quam habet de Mari, ipſius opuſculis inſerta; quærens quantum aquæ in Pontum Euxinum ingerat unius anni ſpatio Danubius; refert, inquam, hujus latitudinem maximam ad unum milliare, ſive, juxta Bononienſem menſuram, pedes 5000 extendi; profunditatem vero eſſe brachiorum 8, aut 10, (ponamus juxta medietatem arithmeticam brachia 9, quæ ad eandem menſuram redacta ſunt pedes 15) velocitatem vero eſſe ſaltem trium milliarium in quamlibet horam. Ex quibus concludit, unius anni curriculo in idem mare profundi priſma aquæ, cujus baſis area ſectionis, longitudo vero 26. 352 milliaria, ſeu ſi ponamus 9 brachia pro altitudine, uti ſupra, correſpondentia pedibus 15; ita ut area ſectionis ſit ped. 75. 000; quoniam longitudo prædictorum milliarium 26. 352 eſt ped. 131. 760. 000, deprehendetur tota quantitas aquæ unius anni ped. cub. 9. 882. 000. 000. 000. Videamus igitur, an reſpondeat Boteri calculus ſequenti juxta noſtram ſuperius demonſtratam methodum concinnato.

Supponamus autem, fluvium maximam latitudinem habere Danubium non longe a mari; & conſequenter ob ejus longiſſimum curſum, in ſitu, quo vel horizontalis ſit, vel quaſi; ita ut alvei declivitas, ſi quæ ſit, nihil impediat, quo minus tanquam horizontalis aſſumi queat; & ex ſupra enarratis datis - - -

I. Inveniatur centrum velocitatis, ſumendo videlicet $\frac{2}{5}$ pedum 15; eruntque ped. 6 $\frac{2}{5}$, ſive ped. 6, unc. 8; & tantundem erit demerſum centrum velocitatis infra aquæ ſuperficiem.

II. Inveniatur in Tabula Spatiorum &c. ſub altitudine ped. 6, unc. 8, ſpatium velocitati debitum, quod erit ped. 558, unc. 10.

III. Fiat area ſectionis multiplicando ped. 5. 000. in ped. 15 altitudinis, & prodibit ped. 75. 000.

IV. Hæc area ducatur in ped. 558, unc. 10, & habebitur productum 41. 912 500 pro numero pedum cubicorum fluentium in Danubio intra horæ minutum.

Si dictus numerus 41.912. 500 multiplicetur per 60 minuta, ex quibus componitur hora, fient 2.514.750.000. & si denuo hic multiplicetur per 24 horas unius diei, prodibunt ped. cub. 60.354.000.000, & si hi rursus per dies anni 366. (ut apud Boterum) multiplicentur, exurgent 22.089.564.000.000. pro totidem pedibus cubicis aquæ a Danubio in mare integro anno devolutis; supra duplum pluribus, quam Boterus ex sola velocitate superficiei considerata eliciat.

Cæterum in animo sibi fuisse ait, tres adhuc alios libros dare, quibus combinaretur canalis inclinatus cum horizontali, item cum alio similiter inclinato, ac denique cum alio dissimiliter inclinato; sed hanc tractationem ait futuram fuisse operosam, & minus utilem. Et sibi experimento longisque observationibus constare, propter multiplicata impedimenta canalium præsertim modice inclinatorū, integram velocitatem retardari, ut subinde sola pene velocitas, quam tribuit altitudo, reliqua sit. Sed per praxin libro quarto expositam non esse opus ad mensuram scire, utrum canalis sit horizontalis an inclinatus, solitarius an unitus.

DE PRIMI PECCATI INTROITV: SIVE DE Lapsu Angelorum & Hominum Tentamen, quo ratio redditur amico postulanti. Auctore Bryano Turner, *S. T. B. Rectore de Soldern Oxon.*

Londini impensis Gualteri Kettilby, 1691. in 4.
Constat plag. 10.

INter varia, quæ præsupponit Auctor, antequam ad ipsam materiæ sibi propositæ tractationem accedat, maxime prolixus est in eo, ut ostendat, primævum tam Angelorum quam hominum statum fuisse, ut ipse loqui amat, *probationarium*, adeoque *innocentem* quidem, non tamen *impeccabilem*. Quem statum, quantum quidem ad Angelos, eo ipso tempore finitum existimat, quo deficientes Angeli ex cœlo fuere deturbati, inter homines quoque mox abrogandum, modo primam illam Satanæ tentationem pro viribus concessis strenue depulissent. Ut autem statum illum *probationarium* sustinere possent rationales creaturæ, voluntas *libertate*, quam *indifferentiæ* vocant,

vocant, prædita ut esset, opus fuisse scribit, qua, si assidue recte uterentur, & infantilem ejus inconstantiam excuterent, statui confirmationis in bono immutabili adaptarentur; si vero secus facerent, ipsæ ruinam suam exorsæ, naturali quoque libertate sese exuerent. Periculo autem plena licet videretur *indifferentiæ* illa *libertas*, bonam tamen, si in se consideretur, esse non desiisse, ut pote quæ præmii capacem creaturam constituerit, & ad ultimam perfectionem deducere potuerit. Neque enim, si secus quid accideret, facultati a Deo inditæ, sed determinationi creaturæ tribuendum fuisse; præcipue cum hæc rationem, quæ libertatem istam moderaretur, ab illo inditam habuerit, cujus ope crebris actionibus bene instituis, æque ad bonum, naturalem aliquam inclinationem, eiq; adhærentem divinam confirmationem, quam ad malum, actionibus contrariis proclivitatem acquirere potuisset. Parem rationem apud hominem in statu redemtionis obtinere Auctor existimat, in quo restitutio quasi status istius *probationarii* fiat; ut proinde omnem de absoluta electione vel reprobatione opinionem abjiciendam existimet. Quibus præmissis rem ipsam aggreditur, & tribus quasi capitibus totam tractationem suam absolvit, quorum *primum* Lucifero ejusque lapsui, *alterum* Angelis cum Lucifero lapsis, *tertium* vero lapsui hominis explicando impendit.

Luciferi lapsum in fastu & superbia stetisse, præterquam quod Patrum auctoritas credere jubeat, quatuor potissimum Auctori persuadent argumenta. *Primum* ex Angelicæ naturæ consideratione desumit, quæ alteri quam huic errori prius obnoxia non fuerit, utpote qui omnium reliquorum in talem creaturam cadentium mater esse videatur. *Alterum* argumentum Scripturæ testimonium ipsi suppeditat 1. Tim. III. 6. ex quo loco colligit, κέρμα διαβόλε, h. e. ut ipse interpretatur, *crimen Diaboli* (in quod ne incidat Episcopus, eum non vult esse νεόφυτον Apostolus) τῦφον fuisse, in quem ille itidem quasi adhuc νεόφυ[illegible], i. e. ut schola loquitur, in *scientia matutina* occupatus *delectationibus morosis* adductus fuerit. Sollicitus vero inde est Auctor de actione externa, qua superbiam suam Lucifer prodiderit, statimque rejicit eorum opinionem, qui indignationem fuisse putant, quod ipse Messias constitutus haud fuerit. A Prudentio quoque dissentit, qui Hamartig. v. 169. superbiam suam eo manifestam fecisse Luciferum scribit, quod summo Numini omnipotentia & in-

dependentia par fieri affectaverit. Ipse vero ad quoddam *præsidiale* (ita enim loquitur) in universum hoc *dominium*, cujus administratio Aristocratica penes varios Archangelos sub uno Deo summipotente primitus fuerit, eum adspirasse existimat; quod ut efficeret, reliquos Angelorum ordines suæ præfecturæ subjicere opus sibi esse sentiens, vires dotesque suas ambientium more ostentare cœperit. Probat hanc sententiam suam ex Matth. IV. 9. ubi Satanas adhuc omnia mundi regna sibi parere existimans, Christo ea adorationis præmium offert. Fortius autem eandem confirmari putat ex Epist. Judæ v. 6. ubi verba illa μὴ τηρήσαντες τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ita ΦΩΦΡΑΖΕΙ: „ *Principatum proprium non servantes*, h. e. transgressi in aliorum „ pomœria insiluerunt, cæterasque mansiones Angelicas invaserunt, „ quamobrem facti sunt ἀπολιπόντες τὸ ἴδιον οἰκητήριον, h. e. statio„ nis ipsis assignatæ desertores. In verbis enim modo recitatis non pœnam malorum geniorum, seu e cœlo dejectionem, sed potius culpam describi, probat primo exinde, quod in proxime sequentibus verbis pœna indicetur, ideoque culpa prius designanda fuerit, quem ordinem in præcedentibus quoque Apostolus observet: sic enim v. 5. ait: τὸς μὴ πιςεύσαντας (en culpam!) ἀπώλεσεν (en pœnam!) Sic & in seqq. v. 7. &c. Probat hoc porro ex parallelo Apostoli Petri loco, a quo Judam mutuo accepisse verba illa, maximorum virorum est sententia. Putat itaque noster, illa apud Judam: ἀγγέλες μὴ τηρήσαντας τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ἀλλ' ἀπολιπέντας τὸ ἴδιον οἰκητήριον, apprime consentire cum istis Petrinis: ἀγγέλων ἁμαρτησάντων; sicut contra illæ Judæ: εἰς κρίσιν ἡμέρας μεγάλης &c. accuratissime cum istis Petri: σειροῖς ζόφε ταρταρώσας, conveniant. Ex eo etiam interpretationi suæ aliquod pondus accedere judicat, quod ista emphatica: τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, & τὸ ἴδιον οἰκητήριον, sua relative opposita innuere videantur, scilicet τὴν τῶν ἄλλων ἀρχὴν, & τὰ ἀλλότρια οἰκητήρια, quæ Angeli illi desertores invaserint. Denique verba illa: μὴ τηρησαντας, & ἀπολιπόντας non pati scribit, ut pœna & dejectio Angelorum ex cœlo hic indicari credatur, ut pote quæ actiones spontaneas, non coactas denotent; ac nemo de Adamo pari loquendi ratione dixerit, eum Paradisum reliquisse, ex quo invitum constet ejectum.

Ad secundum inde Caput pergit Auctor, in quo ex Scriptura crimen

men Luciferi & Angelorum ejus *superbiam* fuisse ostendere satagit. Hos vero illius suasionibus ad istud allectos ait (unde illi etiam παρά-ζοντ@· nomen in Scripturis natum fuerit) quibus spe universalis, cujus ipsi quoque participes futuri essent, dominii, & Ducis Principisque sui excellentia excœcati faciles aures præbentes, in sceleratum fœdus consenserint; ita quidem, ut alii omni studio hoc fœdus promoventes antesignanos quoque se præstiterint, alii vero ut inclinatiores in Luciferi partes, tanquam minorum gentium milites eum secuti saltem fuerint. Et inde natum discrimen, quod inter malos Dæmones Porphyrius, Jamblichus, Psellus aliique agnoverunt, ipsis quoque Scripturis non dissentientibus, Marc. IX. 29. Ephes. VI. 12. Matth. XII. 45. Luc. XI. 26. cujus discriminis rationem ex epithetis illis adscriptis aliqua ex parte liquere Auctor arbitratur, cum tetrici alii, surdi ac muti dicantur, Marc. IX. 25: lascivi alii & impuri, Luc. IV. 33: plerique ut fanatici, visiones & enthusiasmos pollicentes describantur, 2. Chron. XIIX. 21. quibus egregiis scilicet eorum donis Princeps ipsorum commode uti, &, secundum ea, ministeria illorum apte disponere optime noverit. Dubium cuidam subnasci posset, invidiam potius malorum Angelorum fuisse vitium, quod ex ea profectæ videantur Protoplastis intentatæ machinationes. Sed præterquam quod filiæ superbiæ sint livor atque invidia, probabilius est, Satanam ingens cœptum istud, quod in cœlis moliri inceperat, in terris prosecutum esse, & hominem quoque universali, quod affectabat, imperio subjicere illarum ope voluisse. Quod secundum Luciferi & Angelorum ejus facinus illi δ πονηρὸς, his vero πονηρῶν πνευμάτων nomen fecerit, quippe quod insanabile prorsus ejus ingenium arguebat, eumque ab omni *probationis* secundæ beneficio excludebat; cum contra eam homini misero, æquissimis his rationibus inductus, concesserit summus Judex, quod & alterius insidiis ipsum circumventum peccasse videret, & quod animi post peccatum consternati verecundia Genes. III. 7. eum non, ut Satanam secundi criminis scelus, plane insanabilem esse argueret. Adstructa ita ex Scripturis sua de Lapsu Angelorum opinione, Auctor *tertio* quoque argumento eam confirmat, quod ex consideratione morum, quibus post lapsum adsuevit Diabolus, ipsi subnascitur. Præcipue autem urget summum ejus Polytheismi in mundum inducendi studium, quo honores Deo

debitos per idola & creaturas in se derivare suæque superbiæ satisfacere conatus fuerit, utpote quos ab ipso quoque Servatore efflagitare non erubuerit. Et hoc esse ait, quod Apostolus Rom. VIII. 20. Satanam vocet τὸν ὑποτάξαντα τὴν κτίσιν τῇ ματαιότητι: ματαιότητα enim in veteri fœdere semper fere idololatriam notare, satis notum esse, nec obstare sequentia verba, ἐπ' ἐλπίδι, ut pote quæ ad versum sequentem antiquorum codicum & Hammondi auctoritate rejicienda putat. *Quartum* denique suæ opinionis argumentum desumit a Christi Filii Dei manifestatione ad solvenda opera Diaboli facta, eum emicans in eo præcipue humilitatis virtus, Satanici vitii, homini quoque inspirati, cui medelam afferre debebat Servator, naturam satis indicare videatur.

Hæc de lapsu Luciferi & Angelorum ejus Auctor noster, qui clarioribus adhuc Scripturæ monumentis suas de Lapsu hominum cogitationes inniti sibi persuadet, ad quas jam denique accedimus. Hominis itaque statum primævum, quamvis, quod a plerisque fit, non undiquaque perfectum ac consummatum ipse statuat, utpote quem non qualis fuerit, sed qualis fieri potuerit, considerandum existimat; a Viro docto tamen dissentit, qui in nupero *de intellectu humano* tractatu, homini integro, præter facultatem a sensu notitiam haurientem, ejusque ope in cognitionem boni veræque nitentem, vix quicquam reliquit. Statum itaque hominis *probationarium* hic iterum fuisse inculcat, probationis examen extitisse contendens præceptum: *ne attingeret homo scientiæ boni & mali arborem.* Cujusnominis ratio hæc ipsi videtur esse, quod Creatoris de ea latæ legi obtemperantes bonum, transgressores vero malum sint experturi. Prohibebatur illius arboris contactus, non quod vel fructui vel ipsi actui *mali moralis* aliquid adhæserit (physicas enim fructus vires noxa non caruisse, eo facilius forte quis credat, quo magis clarum est, primum gustati fructus effectum lascivientes ac prius incognitos membrorum motus, qui nuditatis scientiam pariebant, fuisse, quorum pudore etiam tacti primi parentes, illa præcipue membra ficulneis foliis texisse dicantur) sed quod experimentum obedientiæ humanæ inde capere sapientiæ divinæ placuerit, ut ex illa sciri posset, bene uti viribus concessis, & arbitrii præcipue libertate hominem, dum normæ recte volendi, h. e. divinæ voluntati adhæreret. Neutiquam vero credendum, insidias

strut-

ſtruxiſſe homini hoc præcepto Deum, utpote quod & obſervatu facile, & minis inſuper promiſſisque (his licet occultis) munitum fuerit, imo quo id plane Deus intendiſſe videatur, ut cautum hominem redderet ab inſidiis, quas Angeli lapſi ei eſſent ſtructuri. Tentationem porro a Satana ſerpente revera induto (quem animal fuiſſe perastutum & semierectum ut credat, verbis Scripturæ Genes. III. 14. ſe cogi exiſtimat) peractam putat, & ſimul Juliano Apoſtatæ obviam it, qui Scripturam in hac narratione inepte mendacium prodere blaſphemavit: ſuſpectam enim ſtatim fœminæ, territæ etiam, beſtiam loquentem ait futuram fuiſſe, ut finem ſuum inepta adeo fraude Satanas obtinere non potuiſſet. Cui ſatisfeciſſe ſe putat Auctor ipſi objiciens, omnium animalium naturas ita perſpectas nondum habuiſſe Evam, ut ſermone deſtitui ſerpentem noverit. Multa enim, quæ ſciri poterant, ignoraſſe Protoplaſtos, vel ex eo ſatis liquere, quod avido hoc fructus vetiti eſu ad majorem ſcientiam adſpiraverint. Et hac quidem occaſione penitius conſiderandam divinæ imaginis rationem Auctor ducit, quam in juſtitia & ſanctitate recte quidem poni non abnuit, ſed, num alia illa ſit ab innocentia, quærit, & hanc perfectionem mere negativam eſſe, concedi ſibi poſtulat, adeo, ut plurimum quidem homo potuerit, nec ad ulteriorem perfectionis metam contendere difficilé ipſi fuerit, ſed tamen adhuc (ut ipſe loquitur) in carceribus ſteterit. Juſtitiam enim originalem in ſanctitatis habitu poſt creationem infuſo ponere, ſcholarum eſſe inſomnium dicit, quod lapſus heu! nimium facilis jamdudum confutaverit. Scientiam & ſapientiam e facultatum exercitio in homine integro oriri debuiſſe putat. Licet enim impreſſas (uti loquitur) ſeminales aliquas ideas habuerit, radiosque intellectus lucidiores, illos tamen integumento corporis non parum obſcuratos fuiſſe ſcribit. Integrum denique hominem vult idem eſſe ac innocentem, & cui nil pravi aut in pejus proni inhæſerit, imo qui potius in partem meliorem inclinatum ſe ſenſerit, ita tamen, ut errori, minus recte facultatibus utens, obnoxius extiterit. Quæ omnia ſufficere putat, ut homo ad imaginem Dei dicatur conditus. Quam vere, quam orthodoxe, Theologorum ulteriori diſcuſſioni relinquimus. Pergit inde Auctor diſcurſum de ipſa tentatione, quem hac de Imagine divina digreſſione interruperat, pertexere, & tam Diabolum tentante m, ejusque artificioſas machinationes,

nes, ex sermonibus cum fœmina habitis peraphrastica interpretatione explicatis, ob oculos ponere nititur, quam fœminam quoq; tentatam, quæ & serpentini sermonis suada, & propriæ imaginationis vi, qua fructum tanquam pulcherrimum & maxime expetendum adspexerat, incitata tandem in peccatū consenserit, postquam scilicet phantasia ex adspectu perculsa in effrenem gustandi cupiditatem exarserat, cujus vestigium hodie quoque in parturientibus picam relinqui Auctor arbitratur. Ex quibus omnibus prolixius expensis, superbiam hominis quoque crimen fuisse colligit, cum nihil a serpente dictum invenire se dicat, quod huic accendendæ unice non inserviat, qui nimirum maximum scientiæ gradum, sapientiam divinæ æmulam, unico temporis momento impetrandam, ambitiose promittebat, ita tamen ut omnia simul coacervaret, quæ in mundo sunt, non ex Patre, concupiscentiam nimirum carnis *(bonum ad vescendum)* concupiscentiam oculorum *(pulchrum oculis)* præcipue vero fastum vitæ *(concupiscibile, quod intelligentes faceret)*. Adeo ut omnium humani generis corruptelarum lineamenta hic posita fuerint, quæ in immaculatis istis naturis constantissimæ durationis esse, facile liqueat, utpote coloris instar, quem primum imbiberint, ac proinde a fontibus illis profundissime tinctis ad omnes rivos derivati, sese habentia. Et hinc propagationis peccati illius rationem cognosci posse judicat. Imo cum in primis parentibus peccatum corporis appetitus prius infecerit, qui postmodum animæ quoque facultates secum traxerunt, personalium quoque vitiorum ratio facile reddi posse Auctori videtur. Cum enim omnibus eorum posteris temperies corporis, peccati primævi culpa corrupta, parentum vitio adhæreat, ea tamen in omnibus æqualis non reperiatur, diversas quoque inclinationes in anima ab ea produci, necesse esse dicit, ita ut ad hoc peccatum alius, alius ad istud magis propendere se sentiat. Redit inde Auctor ad textum Scripturæ, ejusque verba historicam seductionis Adami, ab Eva jam lapsa factæ, narrationem continentia, parr, ac superiora, paraphrasi exponit. Dissentit vero hic ab Hieronymo & Augustino, qui ex 1. Tim. II. 14. Adamum non seductum esse, eoque gravius eum peccasse colligunt, quod contra conscientiam etiam (cum fœmina persuaderi se passa conscientia repugnante nihil admiserit) amori & gratiæ fœminæ id dederit, ut ejusdem criminis reum se faceret, quam rejectam contristari noluisset.

Nam

Nam amorem fœminæ ſolam, quæ Adamum ſeduxerit, cauſam fuiſſe (acceſſiſſe quidem illam cæteris, quibus Eva perſuaſa fuerat, rationibus, præcipue cum etiam illam nihil mali poſt fructum deguſtatum pati videret, facile largitur) textum Apoſtolicum velle haud putat: in illo enim τὸ πρῶτ☉ ſolum repetendum eſſe, ſtylo Scripturæ familiari, & tunc nihil prorſus, quod Patres iſtos juvet, comparere. Ita locum illum interpretatur, quaſi legat: Ἀδὰμ γὰρ πρῶτ☉ ἐπλάσθη, εἶτα Εὔα. Καὶ Ἀδὰμ οὐκ ἠπατήθη (πρῶτ☉) ἡ δὲ γυνὴ ἀπατηθεῖσα (πρώτη) ἐν παραβάσει γέγονε. Interim tamen, ut diximus, non leve momentum Adamo fuiſſe fœminæ amorem, concedit, cujus rei ipſe quoque veſtigium in filiis ſuis reliquerit, miram ſcilicet illam virorum, qua uxorum ſollicitationibus cedunt, facilitatem: pariter ut ſupra, picam gravidarum veſtigium concupiſcentiæ matris Evæ in ejus filiabus eſſe, annotaverat. Tandem Auctor repetitione facta ſummorum capitum, & nonnullis, de quibus in ipſa tractatione ſatis ſe dixiſſe haud putabat, contra Arianos potiſſimum ac Socinianos diſputatis, contra quos non minus ac Pontificios & Fanaticos paſſim data occaſione calamum ſtrinxerat, finem huic tractationi imponit.

DISSERTATIO DE JUDICIIS CRITICORUM & nuperi Interpretis Gallici, ſuper loco S. Chryſoſtomi Homilia III. in Epiſt. ad Hebræos.

Lutetiæ Pariſiorum apud viduam Sim. Benard, 1691. 4.
Conſtat plag. 7.

Quod iis, qui vel Græca Latio dant, vel Latina alio idiomate reddunt, accidere videmus paſſim, ut a mente ſcriptoris discedatur aliquando: idem interpreti Gallico Homiliarum S. Chryſoſtomi in Epiſtolam ad Hebræos, eveniſſe nuper deprehenſum eſt. Dixerat Chryſoſtomus ſub initium Homiliæ tertiæ ad verba Pauli cap. I. comm. 7, 8, 9: Ἐνταῦθα καὶ Ἰουδαίους, καὶ τὸν Παῦλον καὶ Σαμοσατέως, καὶ Ἀρειανὸς, καὶ Μαρκελλον, καὶ Σαβέλλιον ἔβαλε, καὶ Μανιχαῖον. πῶς; Ἰουδαίους μὲν, δύο τὸν αὐτὸν δεικνὺς, καὶ θεὸν, καὶ ἄνθρωπον (vel ut habet Veronenſis editio, δύο πρόσωπα δεικνὺς, καὶ

θεὸν, ἢ ἄνθρωπον.) Et post alia: πρὸς δὲ Μάρκελλον ἢ τὰς ἄλλας, ἓν δύο ἐστὶ ταῦτα πεφσωπα διηρημένα κ' τὴν ὑπόστασιν. Ex his duæ natæ sunt propositiones & in controversiam deductæ. Prima: *percutit Paulus Judæos, ostendens duas personas, & Deum & hominem.* Altera: *Marcellum vero & alios, quod duæ sint illæ personæ distinctæ secundum hypostasin.* Duas has propositiones cum sic intellexisset interpres, quem diximus, Gallicus, ut utramque ad Christum putaret pertinere, nomen etiam *Christi*, quod tamen in Græco & Latino contextu deerat, in Gallico adhibuit: *en leur montrant, qu'il y a deux personnes en Jesus-Christ. en monstrant, que les deux personnes qui sont en J. C. sont subsistantes par elles-mêmes*, &c. Hic quum error Nestorii recoqui videretur & sanctissimo præsuli denuo imputari, vindicias illius hac dissertatione complecti voluit Autor anony-
p. 8. sqq. mus. Atque in ea ita se gessit, ut primum quidem quatuor solidis argumentis, ac deinde testimoniis uno pluribus evinceret, Chrysostomum a mente & modis loquendi Nestorii omnino fuisse alienum, & apud Ecclesiæ patres nunquam de Christo propositiones illas duas, prout
p. 15. sqq. jacent, fuisse intellectas. Nec defuisse tamen Criticos quosdam, puta Italos duos, Flaminium Nobilium, & Sixtum Senensem, pariterque duos Anglos, Halesium & Dounæum, qui circa genuinum sensum illius loci quodammodo hæsitarint. Et Flaminium quidem non dubitasse, voces istas πεφσώπε ἢ ὑποστάσεως de Christo hic usurpatas Chrysostomo impropriæ, idemque valere atque οὐσίαν ἢ φύσιν. Cæterum & erudite respondet Anonymus ad ista, & digressione quadam instituta, autoritatem Symboli Athanasiani, quoad fidem incarnationis, ex genuinis Athanasii textibus aliis adstruit; sed & Sixti Senensis conjecturam, pro θεὸν ἢ ἄνθρωπον legendum putantis θεὸν ἢ θεὸν, diluit: quumque Halesii lectionem, δύο πεφσωπα δεικνὺς, ἀλλ' ἕνα θεὸν, itemque Dounæi, δύο πεφσωπα δεικνὺς, ἢ τὸν αὐτὸν θεὸν ἢ ἄνθρωπον. recensuisset; eo descendit denique, ut liquido
p. 35. sqq. ostendat, Chrysostomum in duabus illis propositionibus non de solo Filio, sed de Patre æterno ejusque Verbo, tanquam duabus personis in Divinitate, esse locutum, & quamcumque lectionem sequaris, duas in Christo personas non omnino admittere. Geminum enim fuisse Judæorum errorem, quem ille hic oppugnet: quod Deus una esset non natura solum, sed etiam persona, non plures personæ; &,

(quod

(quod inde sequitur) Jesus esset merus homo, non Deus. Ideoque verba illa sive Prophetæ sive Apostoli semper tanquam argumentum palmare fuisse adhibita a Patribus, tum Græcis tum Latinis, ad convincendos Judæos. Perinde igitur esse ac si dixisset Chrysostomus, *ostendit Paulus Judæis duas personas (in divinitate) & simul (ostendit) Deum & hominem (in Christo.)* Quantum ad contextum ipsum Chrysostomi attinet, arbitratur ex variis istis, quas adduxerat, præferendam Mutiani, qui has Homilias Latinas fecit, lectionem, δύο πρόσωπα δεικνὺς, ἓν ἕνα θεὸν, *duas personas Judæis ostendens, & unum Deum*; vixisse enim hunc Mutianum seculo sexto, & a Chrysostomi ævo fuisse non longe dissitum. Habuisse etiam multos codices Græcos ab æquali & amico suo Cassiodoro, optimæ sine dubio notæ, & ut credere par est, a Græcis transcriptos, nec dum librariorum & amanuensium Latinorum incuria aut-inscitia corruptos. Imo Homilias illas Latine translatas a Mutiano ἐκ τῶν σημείων, *ex notis Constantini presbyteri*, hoc est, ex scribendi compendiis, quibus verba concionantis Chrysostomi Constantinus prosecutus sit, discipulus illius, qui opus etiam ejus in epistolam ad Hebræos statim ab ejus morte vulgaverit. p. 45. p. 49.

JO. GVILIELMI PFENNIGK DE REI NVMMARIÆ Mutatione & Augmento TRACTATIO tribus Libris absoluta.

Lipsiæ sumptibus Jo. Friderici Gleditschii, A. 1692. Constat plagulis 20. in 8.

HAudquaquam propositum fuit *Auctori* libri hujus *consultissimo*, rem omnem monetariam, quæ latissime patet, quæque exquisitam multorum egregiorum virorum industriam jam dudum experta est, hac una opera exhaurire; quin imo neque antiquioris monetæ scrutinium aut exterarum gentium nunc quidem suscipere voluit, ea contentus imprimis attulisse, quæ ævum nostrum, atque Imperium Romano-Germanicum propius attingere videbantur, quanquam data occasione & eo excursus sæpenumero instituat. Cum enim observasset, ut ista, quibus vivimus, sunt tempora, numi augmentum magis magisque imminere, cum aliqua reipublicæ uti-

litate conjunctum fore arbitratus est, si de *Numi*, qualis nunc usu jactatur, *Mutatione* & *Augmento* prolixius commentaretur, ea tractationis methodo usus, quæ aliis in eodem argumento versatis, Francisco puta Hotomanno, & Caspari Anthonio Thesauro, quos ipse laudat, familiaris fuit. Dispescuit igitur totum *opusculum in tres libros*, quorum *primus* paulo generaliora persequitur, & de Numi definitione, origine, materia, forma, pondere, & valore; item de jure numum cudendi, de officina numaria, & denique de numismatibus in specie sic dictis agit. *Secundus* liber, paulo proximius ad argumentum operis & scopum accedens, de officio Principis circa rem numariam, *de mutatione* numi in genere, de mutatione circa materiam, formam, pondus, & valorem in specie; item de auri ad argentum, sicuti & numi moderni ad antiquos proportione; de probationibus numorum, generibus, eorumque diversis appellationibus: & denique de æstimatione numi in solutionibus tractat. Et ultimo demum libro, de *augmento* Numi in genere, postea sigillatim de augmento circa materiam, formam, pondus & valorem; de solutionibus aucto numo præstandis, de pretio rerum, ac denique de usuris differit; eam operam sollicite præstans, ne Imperatoris invictissimi, aut augusti Electorum collegii majestati, vel alicui in Imperio Statuum præjudicium creetur; & ut de cætero ipse eruditionis elegantis in antiquitate & jure publico laudem auferat.

HISTOIRE DE LA CONQVETE DV MEXIQVE, ou de la Nouvelle Espagne, par Fernand Cortez. Traduit de l' Espagnol de Don Antoine de Solis, par l' Auteur du Triumvirat.

id est:

Historia Mexicanæ seu Novæ Hispaniæ, bello ab Hispanis, Duce Ferdinando Cortesio partæ. Ex Hispanico Antonii de Solis in Gallicum versa ab Autore libri de Triumviratu.

Hagæ Comitum apud Adrian. Moetjens A. 1692. *in* 8. Constat plagul. 33. figuris æneis 12.

Cum

CUm regiones vastissimæ, quas in America hodienum possident Hispani, nec uno duce, nec uno ictu subjugatæ sint, Autor Historiam hujus subactionis in *tres periodos* distinguit. *Primam* adscribit CHRISTOPHORO COLUMBO, quo monstrante viam, amplissima hæc orbis pars primum ab Europæis conspecta fuit. *Alteram* tribuit FERDINANDO CORTESIO, cujus sub auspiciis ea Americæ septentrionalis pars in potestatem Hispanorum redacta est, quam Mexicanam communiter sive Novam Hispaniam vocamus. *Tertiam* relinquit FRANCISCO PIZARRO, cui Americæ Meridionalis subjugatæ gloriam debent Hispani.

Triplicem hanc Historiæ Americanæ partem uno filo pertexere, absurdum videtur Autori, quod res in diversis regionibus diversorum ducum auspiciis gestæ nullo modo cohæreant, adeoque fine fastidiosa annorum & rerum disjunctione recenseri nequeant. Missa igitur parte *Prima*, utpote satis accurate dudum ab Antonio d' Herrera illustrata; missa etiam *Tertia*, cui jam ex asse satisfecit L' Inca Garcillasso; *Mediam* tantum aggressus est, quæ Novam Hispaniam concernit, quamque hactenus nec Antonius d' Herrera, nec Franciscus Lopez de Gomara, nec Bartholomæo Leonhardus d' Argensola, nec Bernhardus Diaz del Castillo, quorum singuli Historiam Mexicanæ scripserunt, satis accurate (ita censet Autor p. 6.) pertractarunt. Cæterum opus ipsum *quinque* Libris absolvitur, quorum summa capita paucis indicabimus.

Lib. I. exponit Autor, quæ causa fuerit, cur se ad scribendam hanc Historiam accinxerit: quæ provinciarum tam Hispanicarum, quam Americanarum tum temporis fuerit conditio: quomodo Johannes Grijalva Mexicanam exploraverit: quomodo Ferdinando Cortesio occupandæ Mexicanæ negotium fuerit demandatum. Referuntur denique, quæ Cortesio acciderunt, ubi primum in Mexicana pedem posuit.

Lib. II. enarrantur acta Cortesii cum Legatis Motezumæ Imperatoris Mexicani: Motezuma ejusque imperium describitur: prodigia porro futuræ Mexicanorum calamitatis, urbis *Veræ Crucis* fundatio, Cortesii in militum seditione comprimenda studium, & Regulorum nonnullorum, quos *Caciques* vocant Mexicani, a Motezuma crudeliter imperante ad Hispanos defectio recensentur.

Lib. III. exponitur, ut Corteſius occupatis paſſim urbibus & provinciis, viam ſibi paulatim ſtraverit ad Mexicum, præcipuum totius Mexicanæ oppidum: ut Motezuma artibus magicis Hiſpanos detinere, ſed fruſtra, fuerit conatus: ut Corteſius Mexicum ingreſſus, multa cum Motezuma de religione disputaverit. Mexicum inde, & Viztziliputzli præcipuum Mexicanorum idolum, palatia, ſplendor aulæ, divitiæ, mores, conſuetudines & ceremoniæ Mexicanorum deſcribuntur.

Lib. IV. recenſetur, quomodo Corteſius pretioſiſſimis muneribus mitigatus Mexico deceſſerit, ſed paulo poſt fuerit reverſus: quomodo incolæ obſederint Hiſpanos: quomodo Motezuma, qui in Hiſpanorum poteſtate erat, dum ſupra mœnia elevatus tumultuantes ſua præſentia in ordinem redigere conatur, telis undique petitus, ſaucius tandem, ſpreto oblati baptismatis beneficio exſpiraverit: quomodo, non ceſſante tumultu, Hiſpani ſeſe ex urbe denique ſubduxerint.

Lib. V. exponitur, quomodo Corteſius novis copiis auctus, vi armata tandem, capto Guatimozino Mexicanorum poſt Motezumam Imperatore, & Mexicum & totam ſimul Mexicanam in poteſtatem Hiſpanorum die 13. Aug. A. 1521. tertio poſt ſuſceptam expeditionem anno, redegerit.

Hæc ſunt contenta hujus operis. Quemadmodum vero ex eo laudandus eſt Autor, quod minutiſſimas quasque rerum geſtarum circumſtantias attingat: ita negandum non eſt, quod amore patriæ ductus, quædam vel diſſimulet, vel mollius interpretetur, quæ, ſi conſulamus alios hujus Hiſtoriæ ſcriptores, Corteſio & crudelitatis & avaritiæ non levem maculam aſpergunt. Id quod ipſe Gallicæ verſionis Autor in præfatione, inter alia ad Corteſii vitam ſpectantia, haud obſcure innuere videtur.

AN ENQVIRY INTO THE CONSTITVTION, Diſciplin &c.

Conſtitutio, Diſciplina, Unitas & Cultus Eccleſiæ primitivæ intra priora a Chriſto nato ſecula, fideliter inveſtigata.

Lon-

Londini apud Jonathanem Robinſon, A. 1691. in 8.
Conſtat plag. 16.

NOmen, quod ne Bibliopolæ quidem innoteſcere voluit Autor, modeſtiæ cauſa celaſſe ſe, in præfatione aſſerit. Juvenem enim ſe, tum ut alios, tum ut ſeipſum informaret, non vero ut partem alterutram defenderet, conſcripſiſſe hunc tractatum ait; ab omni autem vanæ gloriæ aucupio & contentionis ardore adeo alienum ſe profitetur, ut malit non modo libellum hunc, verum etiam quicquid poſſidet, deplorandis patriæ ſuæ controverſiis litare, quam ejusmodi ſcripto oleum igni affundere. Et quoniam agnoſcit, ætatem ſuam erroribus obnoxiam eſſe, candide precatur, ut quicunque nævos deprehenderit aliquos, eam ſibi gratiam faciat, & vel publice vel privatim, literis ad bibliopolam directis, de iisdem ſe admoneat.

Autores (Patres vulgo vocamus) quibus in hac inveſtigatione rerum Eccleſiaſticarum uſus eſt Noſter, ad calcem præfationis recenſet, eorumque editiones indicat, quo facilius lectores allegata loca (non contenti ea margini inſcripta legere) evolvere & candorem ejus deprehendere queant. Licet autem in principio propoſitum ipſi fuerit, ſingula in Rubrica indicata plene pertractare, abſtinuit tamen ab ultimo, ſcilicet cultu eccleſiæ, & cum aliis, qualia ſunt Lectio, Pſalmodia, Concio, Baptiſmus, Confirmatio & S. Cœna, in alium reſervavit tractatum.

Interea nos ex præſenti libello ſequentia promimus. Poſt varias, capite primo, Eccleſiæ ſignificationes evolutas, partes ejus eſſentiales ſeu conſtitutivas facit duas, *Clerum* ſcilicet & *Populum*. Illum, ut vulgo fieri ſolet, in Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos diſpeſcens, de Episcopis capite ſecundo affirmat, *unum tantum Epiſcopum Eccleſiæ præfectum fuiſſe, & unam ſolummodo Eccleſiam ſeu Cœtum Epiſcopo fuiſſe conceſſum.* Aſſertionem hanc tum ex voce *Parochia*, quam de Epiſcopi Eccleſia veteres uſurparunt, tum ex unico altari, baptiſmo item & eleemoſynis per ipſum Epiſcopum diſpenſatis, tum ex dictis illis Patrum, quibus univerſam plebem ad conciones, orationes, ordinationes, & cenſuras eccleſiaſticas conveniſſe (quod fieri neutiquam potuiſſet, ſi ampliſſimæ fuiſſent Diœceſes) perhibent, probat. p. 20.

Presby-

p. 73. Presbyterum, capite quarto, dicit esse *Personam, quæ sacris ordinibus initiata, eo ipso consecuta est jus inhærens, ut omnia possit obire munia, quæ Episcopo alias competunt; nullam tamen Parochiam vel cœtum habens concreditum, actu non exercet functiones sacras, nisi permittente & consentiente loci Episcopo.* Ex hac definitione putat Autor innotescere, Presbyterum non differre ab Episcopo *ordine*, sed saltem *gradu*, h. e. eosdem susceptisse ordines sacros, & eandem ad sacras functiones accepisse facultatem, quibus Episcopus gaudet; in eo solum illo inferiorem esse, quod ejus curæ nondum commissa fuerit Ecclesia, sed quasi *Adjunctus, Curator* vel *Vicarius* Episcopi extiterit, ad eum modum, quo in Anglia Vicarios habent vel Curatores, quibus plures quam una Parochia cesserunt, inde *Rectores* appellati. Ne vero quispiam dubitet, Presbyterum parem cum Episcopo habuisse facultatem, sigillatim ostendit, dictisque Patrum probare nititur, licuisse illi permittente Episcopo *concionari, baptizare, præsidere* in Consistoriis Ecclesiasticis, *excommunicare* peccantes, *recipere* pœnitentes, credentes *confirmare*, & denique *ordinare*, quod alias μέρος λίαν αὔταρκες, facilius probari posse dicit, quam quod Presbyteris licuerit administrare S. Cœnam. Adducit igitur eum in finem

p. 83. præter Pauli dictum 1. Tim. 4. 14. *Cypriani* verba Ep. 75. secundum Pamelii numeros, scribentis: *Omnis potestas & gratia in ecclesia constituta est, ubi præsident majores natu, qui & baptizandi, & manum imponendi possident potestatem* (per Majores natu Presbyteros intelligens;) ut etiam in illo *Tertulliani* fieri solet: *Probati præsident Seniores*, Apolog. c. 39. Deinde etiam in illis *Cypriani* verbis præsidium opinioni suæ quærit, quibus S. Martyr in secessu constitutus a Clero Carthaginiensi petit, *ut suis quoque partibus fungantur in Ecclesia, & vice sua gerant ea, quæ administratio religiosa deposcit.* Vide Ep. 5. & 6. edit. Pamelian. His enim verbis, omnia Episcopalia munia Presbyteris demandata fuisse arbitratur. Nec omittendum est, quod ex *Clemente Alexandrino* adducit. Is enim Stromat. 6. p. 481. ed. Lugd. de processibus Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum locutus, videtur Autori innuere Episcopos non dignitate *ordinis* eminuisse, sed tantum *honoratos fuisse prioritate sedis.* Hinc etiam putat facile innotescere rationem, cur Ignatius in epistolis sæpissime prohibeat, ne Presbyteri quicquam citra voluntatem Episcopi faciant: videlicet,

delicet, quoniam in eodem Cœtu vel Ecclesia cum Episcopo vixerunt, ipsi assistentes, & in spem successionis, persecutionum præsertim tempore, alebantur, vel juventutis informandæ curam gerebant, ea disciplina fuisse coercitos, ne quicquam citra Episcopi voluntatem auderent, nisi vellent aut schismatis notam incurrere, aut ἀλλοτριοεπισκοπίας crimen committere.

Caput sextum de Laicis tractans, ipsis non solum electionem, sed etiam depositionem Episcopi sui, ex Autoribus illorum seculorum vindicat; ita tamen, ut in ejusmodi negotiis suffragia vicinorum Episcoporum necessaria fuisse fateatur.

Capite octavo docet, Ecclesiarum nullam ab alia dependisse, sed unicuique cœtui licuisse in sua animadvertere membra: Synodos quoque provinciales in exterarum regionum Ecclesias jus nullum exercuisse, sed consilia tantum dedisse in rebus arduis: nihilominus amorem & mutuam curam invicem fuisse exercitam, agnoscit ex Cypriani Ep. 29 & 30. De unitate quam ultimo capite pertractat, statuit 1. eam non constitisse in rituum conformitate; neque 2. in consensu dogmatum non-fundamentalium; sed 3. in consensu dogmatum fundamentalium in Ecclesia universali, & mutuo amore in Ecclesia particulari, ita ut populus firmiter Episcopo suo adhæserit, nec ab ipso se separaverit, excepto, si Episcopus apostasiæ, hæreseos, vel aliorum magnorum criminum reus fuisset. Eam ergo solam separationem, qua in particulari Ecclesia ab Episcopo, extra tres illos casus & causas, discessum & contra ipsum altare erectum est, veteribus schisma fuisse, ostendit ex Cypriani & Ignatii testimoniis, & denique exemplis Felicissimi & Novatiani, ita tamen ut hujus schisma alias quoq; infeciisse Ecclesias, hæresinque induxisse largiatur.

EMENDATIONES ET NOTÆ IN TRIA LOca vitiose edita in Textu vulgato Naturalis Historiæ C. Plinii, per *E. Halley*.

Transcriptæ ex Transactionibus seu Actis Philosophicis Anglicanis A. 1691, Num. 194, Pag. 535 sqq.

LOca hæc sunt:

1. Defectus *(Solis & Luna)* ducentis viginti duobus mensi-

bus redire in suos orbes certum est. Plin. Lib. 2. cap. 13. *Sic apud omnes libros impressos legitur, sic apud* Harduinum, *cum tamen vera non detur talis Periodus motuum Lunarium, quocunque sensu menses hi capiantur. Nam si menses sint Solares, quorum duodecim Annum conficiunt, 222 menses fiunt anni octodecim cum dimidio, quibus exactis Luna non revolvitur nec ad Solem, nec ad Nodos suos. Deinde si menses hi sint Lunares Synodici, sive revolutiones Lunæ ad Solem, quorum singuli sunt* $29^{d}.12^{h}.44'.3''$, *tum menses 222 constituent annos XIIX, sublatis totidem diebus; emensoque hoc temporis spatio post Eclipsin aliquam, Luna nunquam deficit, sed Umbram Terræ illibatam præterit. Egregia autem motuum Lunarium Periodus absolvitur mensibus 223, nempe qua Luna & ad Solem & ad Nodum eundem satis accurate revolvatur, ac parum absit ab eodem ad Apogæum suum respectu, atque insuper paucis tantum gradibus ab eodem Cæli puncto distet. Ita ut post intervallum hoc, Eclipses revera redeant in orbem, ac repetito ordine invicem sequute, tam quantitate, tam cæteris circumstantiis per omnia similes sint; nec dubium, quin de hac periodo locutus fuerit* Plinius, *ac legendum esse* Ducentis viginti tribus mensibus.

Hac emendatione coram Societate Regia proposita, Vir undiquaque doctus ac nuper Societatis Præses ac decus eximium, D. J. Hoskyns *Eques Baronettus, solita sua sagacitate, suspicatus est olim scriptum fuisse numeralibus Romanis CCXXIII, sed in Codice aliquo potiori, unde forsan transcriberentur cæteri, vetustate vel casu periisse ultimum I, quod quidem ita se habere deinde compertum est, cum tam in Codice MS. Chiffletiano, teste Dalecampio, tam in MS. Regiæ Societatis e Bibliotheca Norfolciana satis vetusto, scriptum reperiatur CCXXIII.*

Periodus autem ista egregios præstat usus in prædicendo Lunæ motu, tam in Eclipsibus quam alias: Quicquid enim erratum est in calculo aliquo loci Lunæ, etiam post absolutos ducentos viginti tres menses Lunares, denuo errabitur. Atque ex observatione aliqua cum calculo comparata, tuto concludere licet Lunæ locum futurum, post exactum hoc intervallum, etiam ubi Numeri Astronomici præstantissimi ultra quadrantem gradus a Cælo aberrant; id quod multoties expertus sum cum accurato consensu. Sed Astronomicis immisceri non

ex

ex inſtituto præſenti eſt, præſertim cum argumentum hoc peculiarem tractatum jure optimo ſibi vindicet, cuique etiam ſcribendo allaborare, ſi modo vacaverit, mihi in animo eſt.

Duo vero ſunt quæ hac occaſione prætermittenda non cenſeo. Primo, Sphalma illud notabile, quod in Notis ſuis ad hunc locum admiſit R. P. Harduinus *Tom. I. Pag. 159, his verbis:* Sunt autem menſes 222 Lunares, anni fere Solares octodecim, cum ſeptem menſibus & ſemiſſe. Totidemque menſibus ad eandem Cæli partem regreditur unde digreſſa eſt *(Luna,)* cum Solem interpoſitu ſuo terris occultavit. *Etenim 222 menſes Lunares non conficiunt XIIX annos Solares integros, ut dictum eſt, multo minus cum ſeptem menſibus & ſemiſſe adjunctis; deinde perperam dicitur Lunam regredi ad eandem Cæli partem unde digreſſa eſt, poſt completam periodum, quam ſupponit; etenim ipſe exemplis, quæ citat, ſatis comprobavit in oppoſita Cæli parte contingere Eclipſes ſuas, nempe* Octobri *&* Aprili, *ad ſigna Tauri & Scorpionis. Denique, ex iisdem exemplis conſtat, intervallum iſtud Eclipſium ſibi reſpondentium non 7 ½ menſibus, ſed 6¼ tantum annos XIIX ſuperare. Eſt autem prædicta periodus non 222 menſium Lunarium ſed 229, eaque completa certis conditionibus Luminaria defectum patiuntur, ſæpius vero absque Eclipſi prætervehitur Luna. Unde ſubeſt mirari, quo pacto vir alias literatus tam pauca verbis tot abſurda ac ſecum pugnantia ſimul conglomerare potuerit.*

Secundo loco annotare libet, hanc Periodum Chaldæis olim Aſtronomiæ repertoribus Saron *dici, qua voce utitur* Diodorus Siculus *ad deſignanda veterum Regum tempora. Vox vero iſta ſcriptoribus antiquis æque ac modernis parum cognita ac varie expoſita eſt.* Suidas *vero, in loco apud Libros impreſſos vitiato, (quemque nuper ex MS. Vaticano reſtituit Vir admodum Reverendus* Pearſonius Epiſcopus Ceſtrienſis *in doctiſſima ſua Symboli Apoſtolici Expoſitione) rectius, ſaltem probabilius cæteris rem tradit his verbis,* Σάρος, μέτρον ἐνιαυτῶν παρὰ χαλδαίοις. οἱ γὰρ αὐτοὶ ποιοῦσιν ἐνιαυτὸς βσκβ΄ κατὰ τὴν χαλδαίων ψῆφον. ἔστιν ὁ σάρος ποιεῖ μῆνας σελινιακοὺς σκβ΄, οἷοι γίνονται ἐν ἐνιαυτοῖ ἐν μῆνες ἕξ. *hoc eſt,* Sari, menſura & numerus apud Chaldæos, etenim 120 Sari conſtituunt annos 2222 juxta Chaldæorum calculum: nempe *Saros* conſtat ex 222

mensibus Lunaribus, qui sunt 18 Anni cum sex mensibus. *Desunt autem in impressis Codicibus verba* ἓξ τοῦ χαλδαίων ψῆφον. ἐπεὶ δὲ σάρος ποιεῖ μῆνας σελληνιακοὺς σκβ. *Unde turbato sensu locus iste inexplicatus mansit. Vide* Pearsonii *Expos. Symb. Apost. Edit.* Lond. 1683, *Fol. 59. Quod vero hic scribatur* σκβ *pro* σκγ *fortassis ex eo fluxit, quod ex Plinio, etiam Suida vivente corrupto, desumi poterat iste numerus. A Chaldaica vero voce* שרי *significante* cœpit, inchoavit, *vox ista* Saros *derivari videtur; quasi sit principium renovatæ periodi Eclipsium. Sed hac Linguarum Orientalium peritioribus relinquo.*

II. Jecur maxime vetustatis patiens centenis durare annis obsidionum exempla prodidere, *Plin. lib. 11. cap. 37, ubi de visceribus tractatur: sic legitur in impressis, sic in MS. Lugdunensi, idque manifesta menda: nullo enim modo concipi potest, jecoris per centum annos durationem ex obsidionibus probari posse. Sed locus hic collatis plurium MSS. lectionibus variis, apud omnes vitiatus reperitur, teste* Harduino, *qui præter Lugdunensem hæc citat.*

In Vaticanis No. 1950, 1952, legitur hoc syrio tum exempla prodidere.

In Reg. 1. Colb. 1, 2, & Parisino, hoc sirion cum explenda prodidere.

In Reg. 2. obsidione cum explenda prodidere.

In Colb. 3. obsidione cum exempla prodidere.

His adde MS. Norfolcianum *prædictum, ubi invenitur* hoc sirion cum exempla prodidere.

Ex quibus omnibus sensus non liquet, ac post plurima conamina irrita, etiam Harduinus *vulgatas editiones sequitur, cum illi non constaret, quo pacto emendari deberent.*

Ad hujus tamen obscuri loci illustrationem nos operam dedisse non pœnitet, cum scilicet intra duorum verborum ambiguitatem rem claudisse videamur. Primo autem considerandum venit, quæ de Jecoris duratione dicta hic sunt, vel ad Jecur humanum vivens; vel ad Jecur aliquo modo coctum vel conditum, ac in usum ventris per longum tempus repositum pertinere: neque tertium excogitari posse. Itaque si de Jecore vivente sermo sit, non nisi ex valde Senibus exempla Jecorum post centum annos integrorum adduci possunt, ac si hoc modo

suma-

ſumatur, legendum eſſe, hoc ſeniorum exempla prodidere. *At ſi de Jecore cocto & exiccato dicatur, non niſi ex Jecore in Conditoriis poſt centum annos reperto probari poteſt: cumque Conditoria ſubterranea & operta, frugibus aliisque rebus per longum tempus conſervandis idonea, a Varrone, Columella & Curtio, ac quod magis eſt, a Plinio ipſo lib. 18. cap. 30,* Siri *appellentur, legi oportet:* Hoc ſirorum exempla prodidere. *Utroque modo integer & probabilis eſt ſenſus; at juxta MSS. plurimos habetur* hoc ſiriotum *vel* ſirioncum, *quod quidem multo propius ad verba* hoc ſeniorum, *vel* hoc ſirorum *accedere videtur, quam vulgatum iſtud* obſidionum, *procul dubio ex iisdem literis, in Codice quodam primario, vel male ſcriptis vel vetuſtate obtritis corruptum.*

Hic vero obiter notare licet, hos decem MSS. ab eodem primario Codice olim tranſcriptos fuiſſe, vel mediate vel immediate, cujus in hoc loco vitium, quocunque modo ortum, in prolem ſuam, ut ita dicam, promanavit. Unde patet quali & quam ſevero examini, ne dicam internecioni, libri omnes ſubjecti fuerint, cum nec Plinius *ipſe per orbem Romanum celeberrimus ac toties tranſcriptus, niſi unico exemplari caſu conſervato, Barbarorum vel ipſis Barbaris aſtutius literaturæ infeſtorum manus effugeret.*

III. Syriation & vomicas vulvæ curavit illa. *Plin. lib. 20. cap. 14, quo de Herbarum quarundam virtutibus agitur: hoc vero in loco de Menthæ viribus medicinalibus tractatur: ac enarrato ejus uſu ad ſiſtendam Lactis coagulationem, deinde* Hippocratis *verba refert, quod Semen genitale denſari vel increaſſeſcere cohibeat, vel etiam diſſolvat; quo dicto, ſtatim ſequuntur hæc Verba,* Syriation &c. Hippocrates *autem, quem hic ſequitur* Plinius, *quique in Catalogo Authorum pro Libro XX reperitur, hæc habet,* Μίνθη θερμαίνει καὶ ἐρέθει τοῦ, καὶ ἐμέτους ἴσησι· καὶ ἢν πολλάκις ἐσθίηται, τὸ σπέρμον αὖθι πήγει ὥστε ῥέειν, καὶ ἐντίνειν κωλύει. *de Diæta lib. 2. cap. 26.* Mentha calfacit & urinam ciet & vomitus ſiſtit; ac ſi quis ſæpe comedat, ſemen genitale ejus colliquefacit ut diffluat, & arrigere prohibet. *Quæcunque vero arrigere prohibent, ad compeſcendum Satyriaſin morbum proprie adhibentur: itaque legendum videtur* Satyriaſin & vomicas vulvæ curavit illa. *Atque hac noſtra ſuſpicio duplici modo confirmari videtur, primo quod* Syriation

& Satyriasin *iisdem fere literis scribantur neque multum transpositis: deinde quod particula ista & Copulativa potius videatur, ac* Syriation *morbi nomen in Accusandi casu innuat; quam quod pro* etiam *Intendendi Adverbium ponatur, ac* Syriation *sit nomen Medici cujusdam obscuri. Voce vero* Vomica *hic peculiariter utitur Plinius, non pro Apostemate, sed pro fluore quodam Uteri, id quod ex alio Plinii dicto patet.* Est lapis in venis, cujus Vomica liquoris æterni Argentum vivum dicitur, venenum rerum omnium, *Lib. 33. cap. 6. Ubi* Vomica *pro fluore e Lapide manante dicitur. Quod autem Mentha has etiam vires habeat, audiamus* Raium *nostrum Botanicorum præstantissimum, Hist. Plant. pag. 532.* Mentha Menses & album Mulierum profluvium efficaciter compescit. *An vero de alio quodam Mulierum affectu hæc* Plinii *verba capienda sint, ad Medicos referendum est.*

OBSERVATIONES ALIQVOT RARIORES de morboso Liene, a Spectatissimo Domino D. *Nehemia Grew*, M. D. ac R. S. Socio cum eadem Societate communicatæ.

Ex iisdem Actis Philos. pag. 543.

Domini Thomæ Sedgwick *Mercatoris* Londinensis *Filia, decimo quarto suæ ætatis anno, ad operum acupictorum Magistram se erudiendam contulit. In quibus adeo mire fuit indolis, ut iis solis totos dies, eosque fere continuos, per biennium insumeret. Hinc Melancholicum Temperamentum connatum in morbosum transiit: cui Pallor, Inappetentia, Mensium defectus, atque Tussis comitabantur, & post tres annos, gravativus Dolor, in sinistro infimoque Latere, qui ad extremum usque diem perstitit. Anno autem ætatis vicesimo ineunte, ex Febre obiit.*

In aperto cadavere, Pulmones, Jecur, reliquaque Viscera, excepto solo Liene, sana inveni. Hoc vero mirum in modum auctum & tumefactum; nempe crassum supra duos digitos; quatuor latum; longum prope decem. Ita ut, cum Lien Humanum, quotics se recte habet, vix quinque uncias pendat, in hac Virgine, quinque & viginti

ginti superaret. Et cum hoc Visus, sicubi agrotet, Tumoribus schirrosis & subnigris plerumque indurescat; hic e contra, tota ejus substantia putrescens, quendam emittebat fœtorem; mollisque adeo fuit ac digitis palpantibus dissolubilis, ut videretur quasi grumosus sanguis; atque altera pars apprehensa altera, etiam suo pondere disrumperetur. Nihilominus, tam exterius quam intus, rubicundo floruit colore, neque ullo Apostemate, aut materia vere purulenta inficiebatur.

Ex solitariis Instantiis non est Sapientis δογματίζειν. Liceat tamen ut paulisper inquirendo philosophemur.

In hoc Casu ista tria sunt consideranda, viz. Vitæ genus, Ætas, Ætatisque Periodus.

Primo enim a tam diuturna exercendi desuetudine, vix potuit non evenire inæqualis Alimenti distributio. Quemadmodum itaque Ossa, & sæpe Viscera, ex inepta Nutritione supra modum augentur in Rhachitide: pariter & hic Lien, ex eodem Nutritionis vitio, videtur ampliorem molem accepisse.

Præcipue, cum secundo, hac vitæ consuetudine usa est illa Virgo, non in provectiori ætate, sed florente adhuc adolescentia. Exercisia enim necessaria sunt, etiam ad debitam nutritionem: multo magis ad Partium æquale Incrementum.

Tertio, & in illa ipsa ætatis periodo, qua Menses primo effluere solent. Quibus inde suppressis, vel multum imminutis, iste sanguis, quem desidiosa Natura omisit eliminare per consuetas vias, ex parte in Lienem, quasi quoddam diverticulum, rejiciebatur.

Corollarium. *Virginibus, nimia Exercitiorum intermissio, inprimis circa finem secundi, aut principium tertii ætatis Septenarii, pessima.*

VETERVM ALIQVOT GALLIÆ ET BELGII Scriptorum Opuscula Sacra nunquam edita, jam vero ex MSC. bibliothecarum Galliæ in lucem prodeuntia.

Lugd. Batav. ex officina Petri vander Meersche, 1692. Alph. I. in 8.

Opuscu-

Opuscula inter, quæ volumine hoc continentur, primo loco comparet *Hincmari Remensis* carmen de fonte vitæ ad Audradum Episcopum, cum ejusdem *Audradi* epistola metrica ad Hincmarum ex MSC. codice Abbatiæ Floreffiensis. Hunc Hincmari tractatum sequitur *Fulberti Carnotensis* commentarius ad Act. XII. ex MSC. Abbatiæ Longipontis. Hunc excipit *Hermanni Abbatis S. Martini Tornacensis* Ord. S. Benedicti opusculum de incarnatione Domini, ex MSC. Abbatiæ Viconiensis. Huic subjunguntur Ernaldi vel Arnaldi seu *Arnoldi Abbatis Bonæ Vallis* commentarius in Psal. 132 seu juxta Hebræos 133, & ejusdem tractatus de donis Spiritus S. e codicibus MSC Abbatiarum Longipontis & Cistercii. Extremum locum occupant *Gulielmi Abbatis primum S. Theodorici* prope Remos, & postea Signiacensis Monachi Ord. Cisterc. commentarius in Cantica Canticorum ex Gregorio Papa excerptus, ex MSC. autographo Abbatiæ Signiacensis, & *Gualtheri de Castellione* Tornacensium Canonicorum Præpositi libri tres contra Judæos, ex MSC. codice Abbatiæ S. Evodii de Brana.

Singulis opusculis, præter Autorum istorum effigies, præmissa sunt nonnulla de eorundem vita atque scriptis. *Hincmari* opusculum circa annum 854. conscriptum fuisse conjicitur ex ætate Audradi, de quo nonnulla ex Cellotii historia Gotteschalciana afferuntur. Quæ de *Fulberti Carnotensis* vita disseruntur, quoad maximam partem expressa sunt ex Gallia Christiana Fratrum Sammarthanorum. De Scriptis ejus additur, quod præter ea, quæ a Bellarmino & Labbeo recensentur, Fulbertum autorem agnoscat epistola de rebus ecclesiæ religiose & caute custodiendis tom. 2. Spicilegii Dacheriani edita, & sermo de assumtione B. Virginis Mariæ, qui est inter sermones Augustino suppositos 208, juxta editionem novissimam a Benedictinis Parisiensibus procuratam. De *Hermanno* ex continuatore Chronici abbatiæ S. Martini Tornacensis refertur, quod A. 1127 Segardo in Abbatiæ Tornacensis regimine successerit, sed A. 1136, vel sub initium 1137, munere hoc ultro se abdicaverit, cum in gravissimum morbum incidisset. De scriptis ejus additur, quod libros 3. de miraculis Mariæ Laudunensis ad calcem operum Guiberti ediderit Lucas Dacherius, qui etiam tomo 12. Spicilegii sui vulgavit historiam Abbatiæ S. Martini Tornacensis ab eodem Hermanno

manno Romæ conſcriptam. *Ernardi* opera paucis abhinc annis ab Oxonienſi Epiſcopo una cum Cypriani operibus conjunctim edita dum recenſentur, erroris arguitur Henricus Gandavenſis, quod quatuor libros de vita Bernardi ab Ernaldo ſcriptos aſſerat, cum inter plures libros de vita Bernardi unus tantum Arnoldum autorem agnoſcat; item quod Arnoldum hunc vel Ernaldum Ciſtercienſi ordini adſcribat, cum juxta Editoris ſententiam, inter Benedictinos potius numerari debuiſſet. Notantur & illi, qui opuſculum de 7. verbis Domini in cruce Arnaldo Bonævallis apud Veſuntiones Abbati tribuunt, cum tamen opuſculi illius autor in codice Ciſtercienſi inſcribatur Abbas de Bonavalle in Francia, & Franciæ nomine Bonavallis in agro Carnotenſi ab aliis ejusdem nominis monaſteriis abunde diſtinguatur. Adducuntur variæ rationes, quibus oſtenditur, tractatum de cardinalibus Chriſti operibus a Cypriano, inter cujus opera ſæpe vulgatus eſt, ſcribi minime potuiſſe. Librum Arnaldi de operibus ſex dierum, in codice quodam Colbertinæ bibliothecæ de paradiſo inſcribi animadvertitur. Quantum autem ad duo, quæ nunc primum prodeunt, Arnaldi opuſcula attinet, de commentario in Pſ. 132. obſervatur, quod ingenium Arnaldi & dictionis ſuavitatem ubique ſpiret, ejusdemque pietatem oleat, etiam ubi ab argumento operis aberrat, quod in homilia 4. & 5. factum eſt, in quibus argumentum a propoſito ſuo alienum relicto textu aggreſſus deprehenditur. At opuſculum de donis Spiritus S. quamvis & illud in optimæ notæ codice Arnaldo tribuatur, eoque non indignum videatur, non diſſimulatur tamen, dictionem haut ſemper accedere ad elegantiam, quæ in aliis ejusdem tractatibus occurrit. De *Gulielmi* ſcriptis inter alia notatur, quod Johannes Mabillonius in editione operum Bernardi A. C. 1667. Pariſiis procurata, ſub nomine S. Bernardi ediderit commentarium ad duo priora capita Cantici canticorum, cum tamen commentarius ille Gulielmo potius adſcribi debeat. Qua in re Mabillonius difficilis non erit. Nam in poſtrema operum Bernardi editione, A. C. 1690 Pariſiis vulgata, illum commentarium inter opera Bernardo ſuppoſita retulit, & in præmiſſa admonitione ſe non repugnaturum profitetur, ſi quis Gulielmo iſtam commentationem tribuere velit. Adduntur nonnulla de Gulielmi commentario ad Canticum ex Ambroſii verbis excer-

pto, & a Benedictinis ad calcem Tomi I. operum Ambrosii edito, necnon de sententiis ex Augustino collectis, quas novæ Augustini operum editioni se inserturos Fratres Benedictini promiserunt. De *Gualthero* præter alia observatur, quod in bibliothecis Gallicis non pauca opuscula rhythmica serventur, quibus Autor iste Ecclesiasticos sui temporis perstrinxit.

Debemus hæc opuscula & præfationes singulis præmissas *Casimiro Oudino*, cujus Supplementum de scriptoribus ecclesiasticis a Bellarmino omissis alibi in Actis nostris recensuimus. Is enim in præfationibus ad Hermanni tractatum de incarnatione, ad Ernaldi opuscula duo, ad Gulielmi commentarium, & ad Gualtheri tractatum adversus Judæos, a se hæc opuscula collecta & edita fuisse indicat. Quod etiam facit in epistola ad Johannem Fridericum Mayerum, Jacobeæ apud Hamburgenses ecclesiæ Pastorem celeberrimum, hoc ipso anno Lugduni Batavorum apud Abrahamum Elzevirium emissa, in qua præterea Eucherii Lugdunensis, Hilarii Arelatensis, Fausti Regiensis, & Cæsarii Arelatensis opera aucta & a plurimis mendis expurgata, nec non commentarium de scriptoribus ecclesiæ & scriptis antiquis, tam impressis quam manuscriptis, abs se expectari jubet.

L. ANNAEI FLORI EPITOME RERVM ROmanarum, cum Notis integris Claudii Salmasii & Jo. Georgii Grævii, & selectis Variorum.

Amstelædami, apud Henr. Wetstenium 1692. in 8. Constat 2. Alph. 10. plag. multis præterea tabulis æri incisis, veteres nummos exhibentibus.

ANnis ab hinc duodecim, Flori hanc epitomen, post editores alios qui in ea emendanda operam posuerant, studium quoque suum, quod privatim exercuerat, publici juris faciens, emisit in lucem celeberrimus Vir & auctorum veterum felicissimus restitutor *Jo. Georgius Grævius*. Nec solum de integritate Scriptoris hujus, quem concisas & abruptas sententias declamatorum more sectatum, rudes librarii fœde corruperant, ut veram lectionem constitue-

ſtitueret, fuit ſollicitus; verum etiam cultui & elegantiæ ejus optime conſulens, nummis & antiquis monumentis aliis ad illuſtrationem ejus facientibus diligenter collectis & inſertis, ut ex iis memorato-rum in eo virorum inſignium vultus cognoſci, & antiquitatis Romanæ apparatus ipſis oculis conſpici poſſit, allaboravit. Igitur iconiſmos ipſis Flori verbis, quæ iſti illuſtrant, intexuit; animadverſiones autem ſuas, quibus emendationes earumque rationes diſerte expo-nuntur, operi ſubjecit. Iſthæc editio Ultrajectina æque, ac altera Amſtelodamenſis, cum ſelectis variorum Notis ab Elzeviriis profe-cta, cum eſſent diſtractæ; doctiſſimus Bibliopola Amſtelodamenſis nitidioribus typis binas has ſategit conjungere, novamque & perfe-ctiorem dare. Igitur iconismos e Græviana aſſumſit, integrasque ipſius Animadverſiones *p. 561. & ſeqq.* exhibuit; Salmaſii autem omnes, & Freinshemii plerasque, ut & Camertii, Stadii, Vineti, Gru-teri, & aliorum ſelectas, Flori verbis, recepto more in editionibus quæ ſub *Variorum* nomine feruntur, ſubſtravit. Præterea Epito-men ſive argumenta librorum Livii, qui interciderunt, cujus Auctor vulgo Florus creditur *p. 460. ſqq*; Excerptiones item chronologi-cas ad ſcriptorem hunc pertinentes *p. 560. ſeqq.* & Indicem ex Freins-hemiana editione huc tranſtulit; Variantes quoque ex Græviana edi-tione lectiones, quas in ipſo Flori contextu typographus non ſecu-tus eſt, Ultrajectinus autem anno 1680 expreſſerat, ſingulari ſtudio Wetſtenius in hac nova ſua peculiari loco *p. 669. 570. 671. 672. 673. 647.* annotavit; Indicem Freinshemianum abſolutiorem, & Ampe-lium ex Salmaſii recenſione ſubjecit; adeoque omnibus numeris abſolutam editionem, quæ priorum omnes dotes una in ſe comple-ctitur, exhibuit.

WILHELMI ERNESTI TENZELII EXercitationes Selectæ &c.

Lipſiæ apud Gleditſchium anno 1692, in 4, Alph. 4. plag. 12.

SEptimus annus labitur, quod Apologiæ Schelſtratianæ adver-ſus clariſſimum Tenzelium mentionem fecimus; & cum is bi-ennio poſt ſumma reſponſionis ſuæ capita epiſtola comprehen-deret, illam quoque recenſuimus Supplementorum *Tomo I. Sect. I.*

pag. 15. Hoc demum anno totum Opus prodiit, alteramque harum Exercitationum partem conſtituit, cujus breviarium denuo dare haud videtur operæ pretium. Priorem itaque partem perluſtrabimus, quæ *decem Exercitationibus* abſolvitur, maximam partem in Academia quondam Wittenbergenſi publice propoſitis, ſed nunc plurimum auctis & emendatis. Tempus occaſionemque ſingularum & reliquarum, quas vel edidit, vel affectas in ſcriniis ſervat Auctor, præfatione comprehendit. *Prima* eſt *de Symbolo Apoſtolico*, qua Natalis Alexandri pro recepta opinione argumenta ex propriis ejus hypotheſibus refellit, & Symbola veteris Orientalis atque Occidentalis Eccleſiæ ſollicite inquirens tandem ſtatuit, hodiernum Symbolum Apoſtolicum & originem & perfectionem ſuam debere Eccleſiæ Romanæ, inque ea ſæculo ſexto plene exſtitiſſe. Num. XII. nonnulla de fatis Laurentii Vallæ, Theophilique Raynaudi, ac Num. XVII. de Jacobi Liturgia inſperſit, ſcitu haud injucunda. *Secundam* de *Phœnice apud Jobum & Clementem Romanum* Johanni Fello, celeberrimo non ita pridem apud Oxonienſes Epiſcopo, oppoſuit, argumenta ejus ſingula ſub examen revocans, ipſamque Clementis ad Romanos epiſtolam, prout hodie exſtat, ſuſpectam reddere laborans. *Tertiæ* de *Apophthegmate Ignatii: ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται*, Synopſin vitæ ac judiciorum de epiſtolis Ignatii præmiſit, illumque Noræ in Sardinia natum obſervavit, has autem nedum ex Mediceo codice illibatas prodiiſſe oſtendit, novam deinceps dicti illius explicationem de amore mundano impugnans, veteremque de Chriſto variis argumentis ſtabiliens. *Quartæ* de *Polycarpo Epiſcopo & Martyre Smyrnenſi* omnium eſt prolixiſſima, quam Proavi ſui, Polycarpi Leyſeri, ſummi quondam in Saxonia Theologi, memoriæ conſecravit, & utriusque Polycarpi collatione in præfatione inſtituta, vitam Smyrnenſis ex Bollandi Actis ſanctorum (quorum Breviarium edi, eoque exhiberi optat, quæ genuinam primamque antiquitatem ſapiunt,) integram inſeruit, ac Pionio falſo tribui monſtravit, licet ab Halloixio & Stephano le Moyne in teſtimonium adhibeatur. Quare ex certioribus, Irenæi potiſſimum, monumentis, Polycarpi vitam eruit, & a Dodvvelli placitis ſæpe receſſit, & quomodo Anicetus Polycarpo Romæ *τὴν εὐχαριστίαν παρεχώρησεν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ*, ex more illius ævi de conſecratione Euchariſtiæ Polycarpo

conceſ-


image
not
available

Ecclesiæ hymnis in genere exorsus, & in specie de matutino vespertinoq; præfatus, nostrum, *Te Deum*, ex matutino illo expressum magisque auctum probavit, sicut Latini Christiani alia etiam Græcorum carmina imitati sunt. Varias posthæc de auctore sententias producit, ac vulgata de Ambrosio prorsus rejecta, in Nicetium Lugdunensem conjectura fertur, ipsum vero Canticum sæculo jam tum sexto extitisse, & a Benedicto Cæsarioque Monachis præscriptum monet. In *Addendis* epitheton *Catholicæ* jam Polycarpi tempore Orthodoxæ Ecclesiæ datum ex epistola Smyrnensi probavit, opinionesque Lupi, Garnerii, Witsii, Basnagii & aliorum de Symbolo Apostolico cum sua contulit: mox integrum Polycarpi Leyseri commercium literarium, quod is cum eruditissimis sui temporis in Germania viris exercuit, Wittenbergæ nuper repertum indicavit, & reliqua omnia in Supplementum Exercitationis de Justino Martyre cæterisque Scriptoribus ita subjecit, ut quæ novissimis præsertim Historiæ Ecclesiasticæ Doctoribus, Dodvvello, Cavio, Pagio, du Pin &c. placent, ad veritatis trutinentur lancem, multaque hactenus ignota vel dubia ex tenebris eruantur. Per nos autem rogat benevolos Lectores, ne tot vitiis typographicis, quæ ipso peregre agente irrepserunt, offendantur, sed ea potius æquo animo ferant ac pro lubitu corrigant.

MELCHIORIS LEYDEKKERI SS. THEOL. D. & Prof. Dissertatio Historico-Theologica, de vulgato nuper Cl. Bekkeri volumine, & Scripturarum autoritate ac veritate, pro Christiana Religione Apologetica.

Ultrajecti apud Viduam Guilielmi Clerck, A. 1692 in 8. Constat plagul. 34. cum dimid.

CL. Bekkeri librum, quem mense Januario hujus anni p. 19. seqq. recensuimus, confutaturus celeberrimus Leydekkerus, in Prologo de controversiis, ab ipsis Reformatæ religionis doctoribus, in præjudicium receptæ hactenus fidei, agitatis admodum conqueritur, & ex novorum dogmatum dissemination multum detrimenti in Rempublicam Christianam redundaturum esse ominatur, Theologosque non minus, quam Magistratus, ut antiquam fidem Christia-

Christianorum serio propugnent ac tueantur, amice admonet, ac tandem ad ipsum Bekkerum sese convertit, & in eo omnibus Christianis obloquendi aliisque illudendi studium, methodi in disputando observari debitæ neglectum, cum Spinosa in non paucis consensum, circa rationem pro veritate religionis Christianæ ex miraculis depromi solitam Sociniſmum, ejusque in oppugnanda veritate pertinaciam atro carbone notat, ipsumque ignorantiam suam de Angelorum in corpora operationibus non minus, quam de actione animæ in membra corporis, fateri debuisse judicat, Cartesiumque in explicanda animæ ac corporis conjunctione, & in se invicem agendi potentia, cæcutire docet. In ipsa dissertatione primum occasionem conscribendi eandem sibi a Cl. D. Bekkero, qui spissum satis volumen de Dæmone inde a primis seculis in orcum relegato ediderit, suppeditatam fuisse monet: dein ejusdem dogmata recenset, eademque a Synodo West-Frisica fuisse condemnata ex Actis probat, atque hanc censuram Gelro-Zütphanicæ atque Ultrajectensi Synodis sese approbasse refert. Bekkeri librum ab iis, qui novam philosophandi rationem inter Reformatos sectantur, vel maxime refutandum esse censet. Hinc ipse argumentorum fontes assignare instituit, & qua ratione D. Bekkeri erroribus occurrendum esse autumet, aperit. Ante omnia itaque sententiam Theologorum de statu & operationibus diaboli exponit, & communem Christianismi maxime Reformati fidem a Viri calumniis, quasi Atheismo faveat, Dei monarchiam impetat, ditheismum tantum non inferat, atque omnia argumenta, quibus deitas Christi hactenus probatur ex Scripturis, enervet, vindicat. In erroris inde Beckeriani originem, quæ sit nova philosophandi methodus, inquirit. Ostendit porro, Deum O. M. causam causarum, suis creaturis uti posse, ut per eas sua decreta exsequatur, suumque scopum obtineat. Demonstrat e Scripturis, Deum pro sua potestate, diabolo ceu instrumento suæ justitiæ & providentiæ admirandæ uti voluisse. Observat, Deum in suo verbo negotium redemtionis, unaque œconomiam sui fœderis & regni Christi sic descripsisse, ut nostram ac communem hactenus Christianismi fidem supposuerit. Proponit considerandum, an Deus, vigente D. Bekkeri sententia, de diabolis eorumque operationibus in suis Scripturis sic loqui potuerit, prout ibi experimur.

Sect. I.

Sect. II.

Sect. III.

Sect. IV.

Sect. V. mur. Asserit veritatem historiarum V. T. earumque fidem, & quidem primo illam, quæ de causa mali & corruptionis in genere humano *Gen. III, 1.* agit, vindicat. Addit vindicias historiæ de Magis Ægyptiacis & percusso per Satanam Hiobo, ubi D. Bekkerus se talem gerat, ut ostendat se desperatam causam agere, etiam commissa in Hebraicum textum culpa, dum verba apud *Jobum Cap. II. vers. 7.* sic vertit: *& exivit Satana facie Jehovæ, & hic (Jehova) percussit Jobum;* vindicias item divinarum legum contra Magos & Pythones scriptarum. Subjungit quædam de oraculis Satanæ inter gentes, dum ipsi liberum fuerit per Dei providentiam eas suo regno subdere. Pergit inde ad historiam Evangelicam N. T. illiusque veritatem tuetur, ubi inprimis ad tentationem Jesu Christi per Satanam attendit. Adjicit Historiæ Evangelicæ, in qua de Energumenis ac diabolicis operationibus plena sit omnis pagina, vindicias. Frustra ait fingi cum Hobbesio, energumenos & a diabolo actos, gravioribus solum morbis, rabie aut furore mentis laborasse; Judæos autem, non prout res erat, sentientes, illos Satanæ adscripsisse ut causæ; Christum vero, meliora scientem, neutiquam diabolum ejecisse, sed istos solum incurabiles morbos sanasse, eo tamen modo ipsum loqui *voluisse*, quo solebant Judæi, quando hæc miracula faceret, nec in animo tum habuisse, erroneam illorum mentem de diabolis corrigere. Respondet enim Autor, Christum in mundum venisse, ut veritati testimonium perhiberet, ut honorem Patris tueretur, ut regno suo consuleret, ut Judæorum superstitiones in cultu argueret, ut opera Satanæ confringeret. Quod autem error non interceserit, satis edocere ait ipsius Christi miracula & eorum patrandorum modum: etenim diabolum alloeutus est, non phantasma, non morbum, quando eum ejiceret, illumque audivit respondentem, quin etiam eum corripiens jussit, ut vel invitus egrederetur. Quid quod etiam auditæ voces de Christo ex dæmoniacis, quæ hominum furentium & plane Christum non cognoscentium esse non potuerint, verum alicujus spiritus, intus operantis, cui indictum protinus silentium, mirantibus qui aderant testes oculati, quod Christo impuri spiritus obedirent *Marc. I. 23. Luc. IV. 33.* Roborari ait hoc argumentum amplius, si attendatur, quod miracula palam ab omnibus sint visa, uti auditæ egredientis dæmonis voces; neque credendum esse, Judæos, Sadducæos & Pharisæos quid aliud vidisse aut audivisse, quam verum esset, objecto infideli-

fidelitatis crimine illis, qui Christo de Dæmoniis a se ejectis testanti non crederent, aut ipsum agi impuro spiritu blasphemarent; imo Jesum Christum non eo tantum modo, qui D. Bekkero invisus est, ad Judæos fuisse locutum, verum etiam iisdem sermonibus esse usum, quando discipulos delegaret instrueretque. Confirmat istud argumentum amplius hoc ratiocinio: Jesum Christum non tantum hac ratione locutum esse cum discipulis ante passionem suam, verum etiam post resurrectionem, dum illos in iis, quæ ad regnum cœlorum pertinent, instrueret; imo Salvatorem, jam exaltatum in cœlos, voluisse Evangelistas suos per Spiritum veritatis perennibus tabulis ea consignare, quæcunque antea super Dæmoniis ejiciendis cum discipulis & Judæis errabundis locutus est; saltim jam tempus fuisse, ut Judæorum errorem, quem in diebus carnis suæ pertulerat, suo Spiritu in Evangelica historia corrigeret. Progreditur postea ad acta, gesta doctrinamque Apostolorum, atque supponit initio, eos Ecclesiam Christianam fundasse, ex Judæis & Gentibus evocandam, ut Dei Monarchiam & Regnum Christi in omnia assererent; id vero facere nequivisse, si inolitum, inveteratum, blasphemum & communem in orbe ipsaque plebe Judaica errorem non corrigerent: non correxisse autem eundem, sed receptam de Dæmonibus opinionem confirmasse, ex *Actorum Cap. V. 3. VIII. 7. X. 38. XIII. 8. XVI. 16. & XIX. 12. sqq.* satis elucescere. Annotat porro, D. Bekkerum suæ causæ maximum creasse præjudicium, quando omnes operationes in Regno Dei etiam bonis Angelis denegavit: nec prætermittit justum & grande adversus sententiam Bekkeri præjudicium, quod ubique Scripturas haud satis Christiane vel Theologice, sed absq; Divinæ Majestatis reverentia tractarit, atque ad libidinem philosophandi torserit. Sect. VII.

A Scripturis ad Ecclesiæ veteris historiam & religionem progreditur, contra Bekkeri opinionem urgens, tum veterum Christianorum haud vanam de silentibus Oraculis gloriationem, tum vigens in primitiva Ecclesia donum expellendorum Dæmonum ab illustri sanationum dono distinctum. Ut autem Bekkerum eo magis stringeret, locis, quæ e Patribus ad illustrandum hoc insigne donum allegaverat, observationes quasdam subjungit, monens, antiquos Doctores, expulsione Dæmonum, quæ per Christianos fieret, religionis Christianæ veritatem demonstrasse; Ecclesiæ de Diabolis fidem non esse Sect. VIII.

Gentilissimi in Christianissimum intrusi accusandam, sed potius ea, quæ de Dæmonibus Gentiles docuere, ex antiqua Hebræorum religione esse hausta; Patrum de Diabolis a se ejectis sententiam, Christianismo non fuisse dedecori, sed gloriæ; Patrum nævos de Angelis vel Spiritibus etiam bonis, in præjudicium trahi non debere, quasi facile a Gentibus seduci potuerint in opiniones de malorum Dæmonum in-

Sect. X. hisce terris operationibus. Hinc ad Reformationis initia provocat, & Reformatorum non minus, quam antiquorum Christianorum sa-

Sect. XI. nam circa Dæmones semper fuisse fidem edocet: ostenditque Bekkero tres insignes impostores, Davidem Georgium, Maledictum de Spi-

Sect. XII. nosa, & Hobbesium præluisse; nec non Daillonium, Ecclesiæ Castro-Eraldensis in Xantonensi Gallorum provincia ante Ministrum, nunc vero religionis ergo inter Londinenses exulem, ipsi Bekkero opinionem de uno Diabolo vel ingessisse, vel confirmasse, ac Bidellum Anglum, hominem ad furorem usque Socinianum, ei socium jungi

Sect. XIII. posse. Porro demonstrat, Bekkerum sese doctrinæ omnis Christia-

Sect. XIV. nismi opposuisse; ac consensum omnium Gentium ac Nationum

Sect. XV. deseruisse. Quibus præmissis, ipsam errorum Bekkerianorum arcem invadit, & in illorum incunabula ac principia inquirit, observans primariam Bekkeri rationem, in qua tanquam basi exstruatur omnis error, esse novam, philosophandi methodum, quæ omnes spirituum in corpora operationes neget, Spiritum S. secundum erroneas vulgi opiniones loqui asserat, ac spiritum cum corpore nullam prorsus

Sect. XVI. habere communionem propugnet. Post hæc D. Bekkeri principia, & inter ea primum, *quod spiritus ac corpus nihil inter se commune habeant, adeoque in se invicem operari nequeant*, sub examen revocat, idque falsitatis arguit, allegando nonnulla, e quibus spiritui cum corpore aliquid communionis intercedere pateſcat. Scilicet, spiritumque ac corpus esse substantiam, rem per se existentem & quidem finitam: spiritum creatum corpori non tantum coexistere, cum ad universum perinde ut corpus pertineat, verum etiam corpori præsentem dici posse: spiritum ideam corporis in se invenire, vel formare ac concipere: spiritum cum corpore adeo uniri, ut ex arctissima utriusque conjunctione fiat una persona. Instat ulterius, se jure quidem cogi non posse, ut modum operandi spirituum in corpora distincte exponat, cum ipse Bekkerus mentis suæ cum corpore unionem

nem, ac operationes illius per quælibet membra explicare neſciat, easdem autem in dubium vocare non audeat; nihilo tamen ſecius, quo uſque hic progredi liceat, pluribus deinde exponit. Inde principium illud, quod *ab immenſo inter Deum & creaturas diſcrimine* deſumſit, atque ex eo Angelos ab operationibus in regno Dei excludendos eſſe collegit Bekkerus, ſibi refutandum ſumit, ac oſtendit, ipſum non adeo gloriari poſſe, quod immenſum inter Deum & creaturam diſcrimen defendat, ſi Philoſophorum recentiorum, quos paſſim ſequatur, dogmata de poſſibili mundi æternitate ejusdemque infinitate, ac ſimplicitate Spirituum communi cum Deo, ſua quoq; faciat. Eundem ad Spinoſiſmum viam ſternere, ac per nova principia, cauſarum ſecundarum operationes cum quibusdam Scholaſticis prorſus tollere; nec periculo carere illud, quod Angeli non alio ſenſu poſſint dici operari, niſi quod poſita hac vel illa eorundem voluntate aliud quid ſequatur in creaturis, quod tamen totum quoad omnem ſuam realitatem Deus efficiat. *Objectiunculam, quod Deus ſit autor omnis realitatis, & opus cujuslibet cauſæ ſecundæ non tantum remote, verum etiam proxime & immediate a Deo dependeat,* ſolvi poſſe, ſi diſtinguatur inter cauſæ primæ & ſecundæ munus, illarumque in operando ordinem & modum. Ex eo principio, *quod Deus efficiat omnia ſolus, ignorata virtute cauſarum ſecundarum*, hoc tempore dogmata oriri, quæ reformatæ fidei labem haud facile eluendam, nec abſimilem Enthuſiaſmo & Libertiniſmo adſpergant. Sect. XVII.

Diſcuſſis argumentis philoſophicis, ad *pratextus*, contra receptam Sect. XVIII. de Diabolis opinionem a Bekkero allatos refellendos procedit, negatque *Monarchiam Dei ab ea everti*, cum Satanam creaturam Deo judici ſubjiciat adeo, ut nihil ſine ipſius providentia poſſit: & indicat, tum Bekkeri convitio locum fore, ſi quandam realitatem producere, aut novum motum, foret creatio; ſi quis Diabolum in ſuis operibus independentem a Deo crederet, & non ejus regno ſubditum, velut inſtrumentum, quo uti ſanctiſſime & juſtiſſime placeret; ſi quis Diabolo operationes adſcriberet, quæ non niſi divinæ eſſe queant: at hic caute veteres pariter ac recentiores Theologos egiſſe, oſtendiſſeque malos ſpiritus mira quidem, ſed non vera miracula edere poſſe; item negaſſe, Angelos bonos ſeu malos immediate illabi in animam poſſe, aut mentem afficere, quanquam fateantur eos diverſarum rerum ſpe-

cies & phantaſmata animo poſſe objicere, cogitationum occaſiones ſuggerere, ſpirituum in cerebro motum peragere, aliave facere, quæ longe ab operationibus Dei, queis mentem potenter colluſtrat, & voluntatem, quo vult, ducit & inflectit, ſint diverſa; nec non ſoli Deo καρδιογνωσίαν vendicaſſe, atque Angelis cognitionem cordis & cogitationum a poſteriore ſolum vel ex effectis concesſiſſe. In enervando altero prætextu, *quaſi ſolita de Dæmonibus doctrina Scripturæ S. divinitas & religionis Chriſtianæ veritas tollerentur, nec per miracula probari poſſent*, quod juxta communem ſententiam Diaboli virtute magus majora faciat, quam unquam Moſes, aut Prophetæ, aut Chriſtus, ſummus Dominus; primum monet, Bekkerum ſic diſputare, quaſi ex ſolis ſignis & miraculis verbi divinitas & veritas Chriſtianiſmi conſtaret, ac veritatem religionis Chriſtianæ ex levi nimis paxillo ſuſpendere; dein oſtendit id eum agere, ut ipſi Judæi & Gentiles antiquis ſeculis non fuerint ἀναπολόγητοι. Etenim ſi communi opinione tollatur veritas verbi ac religionis, non admodum ſuccenſeri poſſe iſtis infidelibus, quod Chriſti & Apoſtolorum verbis ad viſa ipſorum miracula non crediderint: item ſi vis quædam ipſius argumento ineſſe debet, illum ſupponere, quod poſitis Diabolis eorumque operationibus, aut magicis artibus, Chriſti & Apoſtolorum opera malis ſpiritibus adſcribi queant, utique minora longe quam magi efficere dicantur: tandem eum ad Theologos remittit docentes, inter vera Dei miracula & admirandos magorum aut dæmonum effectus immenſum, quoad ſubſtantiam operis, modum finemq; operandi, eſſe diſcrimen. Porro antiquam Chriſtianorum fidem ac religionem ex miraculis vindicat, ac veterum Patrum de miraculis Theologiam contra infideles exponit, ante omnia obſervans, quod antiqui, licet conceſſerint in Gentiliſmo mirandas Satanæ operationes eſſe viſas; nec negarint, ſua ætate paria apud idola vel per magos & magicas artes facinora contigiſſe; nec inficias iverint, non fieri meras modo ſenſibus illuſiones, ſed re ipſa præſtari, quod videretur; nec abnuerint, per Judæos æqualia fuiſſe patrata, ac per hæreticos mirabilia producta eſſe: nihilominus tamen argumento a miraculis deſumto pro ſuæ religionis veritate propugnanda rite uſi fuerint. Eos ſiquidem, cum miracula attenderent, non ſola conſideraſſe, ſed juncta ſimul cum aliis extraordinariis Spiritus S. donis, quæ Jeſus Chriſtus

Sect. XIX.

Sect. XX.

Chriſtus poſt ſuam adſcenſionem, ad Eccleſiæ ſuæ decus & ornamentum conceſſerat; imo neque tum de miraculis gloriatos eſſe ſolis, aut connexis Spiritus S. donis, verum etiam ea conſideraſſe, uti ſigna & ſigilla veritatis, quæ alias ſeipſam ſufficienter demonſtret, ſed miracula requirat, ut ſuperbæ incredulitatis pervicacia & faſtus frangatur: Hæreticos igitur non auditos fuiſſe ab iis, cum ſuas opiniones ex Scripturis probare nequirent, allegato loco *Gal. I. 8.* Addidiſſe illos præmonitiones Jeſu Chriſti contra falſos Prophetas, qui δυνάμεις ederent, δαιμόνια ejicerent, aliaque patrarent, *Matth. VII. & XXIV.* Eosdem veteres cenſuiſſe, ne Chriſtum quidem ex ſolis miraculis pro Meſſia haberi voluiſſe. Patres itaque ſummum Religionis Chriſtianæ argumentum in ipſa propagatione Evangelii, qua mundus verbo, patientia, demonſtratione veritatis cito & totus fuit converſus, poſuiſſe, nec miracula ad Chriſtianiſmi ἀπόδειξιν requiſiviſſe. Interea hanc fuiſſe Veterum juſtam demonſtrationem: iſte, de quo tanta Prophetæ prædixerunt; qui id præſtitit, quod polliciti ſunt; qui doctrinam docuit ſanctiſſimam, Deo dignam, adverſam malis Geniis; qui orbem ab impietatibus liberavit; qui oculos mentis aperuit; qui virtutes fidemque ſummo Numini convenientem, correptis vitiis & oſtenſis erroribus, revelavit; & ſuam doctrinam tantis ipſe mirabilibus confirmavit, etiam poſt mortem per Chriſtianos; ille non eſt magus aut impoſtor: atqui Chriſtus id fecit: ergo magus vel impoſtor non eſt, aut ope mali alicujus Spiritus hæc non effecit. Eosdem Veteres hoc ſuum argumentum ea ratione corroboraſſe, quod palam eſſet, eos etiam curari a Chriſtianis, quos immedicabiles in templis Deorum relinquerent Hierophantæ. Poſtremo cum infideles admodum extollerent, quæ ſua Numina facerent, Chriſtianos celebraſſe ſui Jeſu opera, ut videre liceat apud Origenem, Tertullianum, Auguſtinum ac præcipue Arnobium. Ad novum poſtea Sect. XXI. prætextum, quaſi *communis opinio Chriſti ac Spiritus S. divinitati repugnet, ac illius reſurrectionem & regnum in omnia tollat*, refutandum ſeſe accingit, monens, Satanam ſenſu diminuto, nuncupativo, catechreſtico, abuſivo ex ſubjectione mundi ad ejus opera, ſub Dei providentia, Deum hujus ſeculi appellari: qualemcunque Evangelici myſterii cognitionem, vel notitiam rerum naturalium multo uſu a Satana acquiſitam, non eſſe ipſam omniſcientiam: neutiquam aſſeri,

majora miracula a Dæmone quam a Christo facta, sed hanc esse veterem adversus Christi miracula calumniam millies repulsam: nullum inter Reformatos Theologos aut Patres nominari posse, qui resuscitationem mortuorum Satanæ adscripserit: ex eo, quod Angeli in corporibus assumtis apparuerint, non sequi, potuisse fieri, ut Christi mortui corpus aliquis Spiritus animaverit & ex sepulchro erexerit, aut istud corpus, quod apparuit, ipsius non fuerit, sed aliud, quod simile foret; bonos etenim Angelos corpus Christi assumere non potuisse, cum peccare, mentiri, fallere nequeant, ipsique ante in sepulchro de ipsius resurrectione testimonium perhibuerint; nec a malo genio Apostolos ac discipulos delusos fuisse, cum ipsi veri testes resurrectionis esse debuerint, Christus suam resurrectionem antea prædixerit, non una apparitione demonstrarit, ac e Scripturis eandem probarit, resurrectione pro Christo Deus litem definiverit, Angeli in sepulchro de suscitato Christo testati fuerint: Christi regno per Satanam nihil decedere, sed illum liberrime satis inter hostes, uti ante inter gentilium Imperatorum furores, sævitiem Arianorum, Anti-
Sect. XXII. Christi persecutiones, regnare. Quibus prætextibus amotis, reliquos paucis amoliri suscipit, & quidem circa illum, quod *liberandi fuerint Christianorum animi a vanis terriculamentis, ut Deum solum, procul vano Diaboli metu, vero animi timore colerent*; eleganter docet, non recentem esse expellendi metus Diabolorum simulque inferni prætextum; fuisse antiquum, sed eorum, quos Christianos minime conveniat imitari: debuisse Bekkerum inter pios & impios distinxisse, nec metum ineptum & superstitionis plenissimum confudisse cum timore, qui prudentia & fide regitur; omnem inferni & Diaboli metum impiorum animis expellere, Theologum non oportere, qui novit, quam sæpe illi sint servandi per metum judiciorum Dei: nec fideles velle sibi eripi timorem, qui ortus ex infirmitate, & hostium spiritualium astutia & potentia, eos doceat vigilare, armaturam induere spiritualem, a Deo ejusque auxilio dependere, quo in timore & tremore suam salutem peragant, *Phil. II. 12. 1. Petr. V. 9.* De eo autem prætextu, *ut quivis peccatum agnoscat suum, nec temere, ut fit, in Satanam transscribat*, observat, jam antehac Practicorum Theologorum curam fuisse, ut hanc hominum carnalium, jam lapsæ Evæ vestigia sequentium, stultitiam corrigerent; neque opus habuisse Bekkerum,

kerum, ut evitata Charybdi in Scyllam incideret, parumque decuisse Doctorem, calumnia ex trivio petita Ecclesiæ fidem prostituere, aut deserere. Denique circa id, quod prætendit Bekkerus, *se Satanæ regnum destruere, Reformatis impacto hoc crimine, quod malo Genio faveant, imo ipsius sint acturi causam, si obmutire ausint*; notat eum Libertinorum, inprimis Davidis Georgii, consilia esse secutum, ipsumque perspecturum sero, se regnum Satanæ suo scripto admodum promovisse: Reformatos non pro Diabolo, sed pro Scripturis, pro fide Christiana, pro pietate, pro symbolis disputare, quæ omnia, si novus error obtineat, cadant; pessimum quemcunque errorem se tuitum semper fuisse religionis velamine & pietatis. Refutato sic omni prætextu, Sect. XXIII.
tandem introducit Bekkerum sic ratiocinantem: *Nullum esse locum, qui magis lapsis Angelis conveniat, quam Orcum; non posse cogitari, quod malis Spiritibus sint dilata Dei judicia; Scripturam non dicere, quod ipsis hæc facta fuerit gratia, vel ad conversionem, vel ad moderationem supplicii; malis Genius, qui Mediatorem non habent, nullam spem salutis esse; cur justissimus Deus eos non confestim post lapsum orco damnasset?* atque ad hæc breviter reponit, Bekkerum non posse negare, Satanam mox a lapsu punitum esse, quando projectus est a facie Dei in hunc statum, ut vel de Deo cogitans contremiscat *Jac. II, 19.* non solum orcum facere Diaboli supplicium; & si faciat, fuisse eum in orco semper, quando divinæ justitiæ conscientiam sensit, si recentiori philosophemati credamus; juxta illud enim spiritus non esse in ubi, sed ipsorum cogitationes vel beatas vel miseras cœlum ipsis vel infernum efficere: Dæmonem, si mox a peccato in orcum debuit relegari, tentationis autorem in Paradiso esse haud potuisse, aut si permissum illi fuit, non obstante Dei justitia, Paradisum ingredi, sanctosque homines tentare, ac vincere, atque adeo peccatum mortemque in mundum vel genus humanum inducere, quidni credamus, adhuc Deo suas constare rationes, quare in orbe Satanam inter impios, a se victos, dominari concedat, eo gravius puniendum, quo plura in genere humano scelera Sect. XXIV.
sit operatus? *Rom. IX, 22.* Postquam hæc omnia exegisset celeberrimus Autor, S. Scripturæ autoritatem & veritatem contra Spinosam, aliosq; Anti-Scripturarios ipsumque Bekkerum, summa religione, tenendam, nec juxta principia rationis Dei verbum exponendum esse, optime demonstrat. In conclusione operis optat, ut Bekkerus tandem ad se Sect. XXV.

reversus

reverſo intelligat, qui verum a falſo diſtet, & in quod periculum Eccleſiam ac fidem Chriſtianam conjecerit; ſimulque de Bekkeri libro tum aliorum, aſſeverantium in viri ratiociniis nihil theologici vel philoſophici acuminis reperiri, tum ſuum judicium adjicit, conteſtatus, ſe nihil inveniſſe, quod Minervam ſapiat: ubique repetitam ex Hobbeſio aliisque Libertinis recoctam crambem, convitia in orthodoxos Fratres, ac perpetuam ignorantiam Theologiæ veteris & hodiernæ de miraculis, atque argumentorum ex iis pro religionis veritate deſumendorum. Toti opuſculo Index ſectionum ſubjicitur.

NOVA LITERARIA.

IN Anglia *I. C. De la Croſe* Acta Eruditorum (The Works of the Learned) Anglico ſermone publicare cœperat: ſed eo labore nuper objecto, totus nunc una cum aliis eſt in Lexico Moreriano in linguam Anglicam transfundendo ac expoliendo. Unde editionem noviſſimæ Belgica, quam Joh. Clericus adornavit, longe ampliorem & emendatiorem expectare jubemur. *Thomas Hyde* opus de Ludis Schachii aliisque Sinenſium prælo commiſit. *Adrianus Beverlandus*, qui in Anglia hoc tempore commoratur, Locos Communes Philoſophicos cum præfatione de Methodo ſtudiorum, nec non libellum, cui titulus: *Batavus in Anglia hoſpes*, editurus dicitur. Inter ſchedas *Pauli Colomeſii*, repertæ perhibentur quingentæ circiter *Iſaaci Voſſii* epiſtolæ, quas cum tempore luci publicæ expoſitum iri ſpes eſt. D. *Smithus* in Patricii Junii Epiſtolis edendis nunc occupatur. Bibliotheca Bodlejana ingens nuper incrementum cepit acceſſione Manuſcriptorum Orientalium, quæ ab *Eduardi Pocockii* hæredibus magno ære Curatores ejus redemerunt. Ex MSS. ejusdem Bibliothecæ Bodlejanæ, Chronicon Saxonicum cum Indice Chronologico & Gloſſario Saxonico proxime in lucem prodibit.

In Belgio typis propediem committetur amplum de re nummaria antiqua, Hebræorum, Ægyptiorum, Perſarum, Græcorum, Romanorum, Germanorum, Francorum, Gothorum &c. Opus, autore *D. Hinſen* JCto, Conſule Veſaliensi & Statuum Ducatus Cliviæ Syndico. Quod cum tempore ſequetur Opus aliud ejusdem Autoris Genealogicum, quo nobiliores Ducatus Cliveniſis & Comitatus Marcani Familiæ recenſebuntur.

✱)o(✱

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Decembris Anno M DC XCII.

OSSERVAZIONI ALLA SCRITTVRA VSCITA per la primogenitura de' Signori di Forli nella famiglia Carafa della Spina, &c.

hoc est:

Obſervationes ad Scriptum evulgatum pro primogenitura Dominorum de Forulis e Gente Carafæa, de Spina; quibus demonſtratur, Principes de Roccella primogenitos eſſe univerſæ familiæ Carafææ.

Autore Hyacintho Falleti Arcadi, Patricio Rhegienſi. Anno 1691.

Conſtant plagulis 19. in 4.

INſigne Viri Nobiliſſimi *Blaſii Altimari* opus, de originibus Illuſtriſſimæ Gentis CARAFÆÆ, ſupra p. 401. fuſe ſatis deſcripſimus, nec, quod heic retractemus, ſuccurrit, niſi quod pag. 403. lin. 1. & pag. 407. lin. 25. 26. voces *Fori Livii* in *Forulorum* vocem a benevolo Lectore mutari cupimus. Nam in hiſtoria Carafarum, *FORLI* non ſolenni illa ſignificatione accipiendum eſt pro *Foro Livii*, urbe Romandiolæ, ſed pro caſtello in *Aprutio citeriore*, quod *Forulos* Latine vocant, ad ſimilitudinem oppidi dudum exciſi in *Aprutio ulteriori* inter *Cutiliam* & *Amiternum*, de quo Virgilius l. VII. Æneidos:

Qui Tetricæ horrentes rupes, montemque Severum,
Caſperiamque colunt Forulosque & flumen Himella.

Diximus autem *p. 402. lin. antepenult.* quod ex Bartholomæo II. Carafa, mortuo A.D. 1362, quotquot ſuperſunt hodienum, Carafæ genus ſuum repetant. Hinc enim derivantur lineæ duæ, *Senior*,

cognomento DE SPINA, & *junior*, DE STATERA cognominata. De priori nobis sermo erit. Hujus autor fuit *Andreas I.* Bartholomæi modo dicti filius, Dominus *Forulorum*. Ei e *Maria de Cornai* nati sunt septem filii, & in his JACOBUTIUS sive *Jacobus*, ac CAROLUTIUS sive *Carolus*. A *Jacobo* originem habent *Principes Roccellæ*, quos inter hodie eminet CAROLUS MARIA CARAFA, Buteræ Princeps, de quo vid. supra p. 406. lin. 6. *Carolum* autem satorem stirpis suæ agnoscunt Domini *Forulorum*, e quibus hac tempestate vigent ADRIANUS VII. CARAFA, & hujus frater ANTONIUS CARAFA Augustissimi Cæsaris Plenipotentiarius in Italia, prout diximus p. 407. lin. 25-33. Cæteri Andreæ liberi absque dubio fuere *Galeottus* secundogenitus, *Bartholomæus* quartogenitus, *Petrus* quintogenitus, *Nicolaus* sextogenitus, & *Laurentius* septimogenitus. At quis *primogenitus*, quisve *tertiogenitus* fuerit, de eo in hoc libello, (quem illustris *Magliabechius* benevole nobis transmisit,) disquiritur, &, quod clarissimus Altimarus quoque fecerat, JACOBO *primogenitura* tribuitur.

Hanc itaque sententiam superiori anno confutare, & primogeniti titulum CAROLO vindicare annisus est *J. F. D. G.* edito scripto peculiari, quod *Falletus* noster (cujus stylus Altimariano perquam similis est,) integrum sine mora recudi curavit, adjunctis e regione *strictiuris* perpetuis, quibus pro *Jacobo* contra *Carolum* summo studio decertavit.

p. 19. Provocat *I. F. D. G.* (1) ad *Diploma* Caroli III. Regis Neapolitani, datum A. D. 1383. d. 22. Febr. ac (si apographo d. 10. Oct. 1608. a Jo. Baptista de Juliis exarato fides habenda,) asservatum *in regio archivio magnæ regiæ curiæ Siclæ*. In hoc enim legitur: *Sane Andreas Carafa de Neapoli, Miles, Consiliarius & fidelis noster dilectus, Majestati nostræ nuper exposuit, quod ipse liberos habet Carlutium Carafam militem, primogenitum suum, & alios secundo, tertio & quarto genitos post eum*, &c.

p. 33. Provocat (2) ad *Testamentum* Andreæ I. cujus *ἀχέιρογραφον* membraneum adservetur apud *Adrianum VII. Carafam* supra laudatum, incipiatque: *In nomine Domini Jesu Christi. Amen. Anno a nativitate ipsius millesimo trecentesimo septuagesimo primo, regnante serenissima Domina nostra Joanna, Dei gratia, Regina Hierusalem*

ſalem & Siciliæ, Ducatus Apuleæ, &c. Ibi enim aliquot periodis interjectis legi: *Item dictus teſtator habens filios ſuos legitimos & naturales ex nobili muliere Domina Maria de Cornay uxore ſua ſuſceptos, vz. Dominum Carlutium primogenitum, militem, Galioccium, Bartholomæum, Petrum, Nicolaum, Jacobum & Laurentium*, &c. Et paulo poſt: *In quibus præfatis bonis feudalibus dictus Dominus Carlucius eſt poſt ejusdem Dominæ Mariæ ſuæ matris obitum tanquam filius primogenitus & jure primogenituræ legitime ſucceſſurus*, &c. vz. id eſt *videlicet*.

Provocat (3) ad *conſenſum* Scipionis *Ammirati*, Sylveſtri *Petraſanctæ*, Ducis *Guardiæ in Foſſa caca*, Philiberti *Campanilis*, Joh. Franc. *Paſqualini*, aliorumque.

Reſpondet *Falletus:* (1) anno 1382 Andream Carafam & Mariam de Cornai ſupplici libello petiiſſe a Rege Carolo III, ut liceret ſibi dividere feuda inter liberos, contra *jus Francorum*, in præjudicium filii primogeniti; ac hinc obtinuiſſe anno eodem 1382. privilegium, quod in *Archivo Sicla*, (ſive ædis monetariæ, Italice *la Zecca* dictæ,) in *Reg. R. Caroli III. 1381. 1382. fol. 155.* aſſervetur. In eo autem ita legi: *Sane Andreas Caraſa de Neapoli, miles & conſiliarius & fidelis noſter dilectus, & Maria de Cornai ejus uxor, Majeſtati noſtræ nuper expoſuerunt, quod ipſi liberos habent Jacobutium Carafam militem primogenitum; Galeottum, Carolum, Bartholomeum, Petrum, Nicolaum & Laurentium ſecundogenitos.* p. 16.

Et quia privilegium iſtud, (quo *Andreæ* poteſtas facta, inter alia feuda *caſtrum Forulorum*, debitum e *jure Francorum* Jacobutio, transferendi in *Carolutium*,) in præjudicium *Jacobutii* vergebat, Rex ei conceſſit uncias auri centum annuas, durante ejus vita accipiendas, prout conſtat ex regio privilegio in ſupra dicto Archivo, *A. 1382. fol. 372. a tergo*, ubi legitur: *Attendentes igitur grata, grandia & accepta ſervitia, præſtita nobis fideliter per virum nobilem Jacobutium Carafam de Neapoli militem, familiarem & fidelem noſtrum, filium primogenitum Viri nobilis Andreæ Caraczoli Caraſa: attendentesque, quod, ad exauditionis gratiam dicti Andreæ Caraſa, ejus feuda ad ipſum Jacobutium, ut primogenitum poſt mortem ſui patris ſpectantia, noſtro indulto derogantes primogenituræ ordini, ad Virum nobilem, Galeottum, aut Carolum, vel alterum ex ſuis ſecundogenitis forſan perveneriut*, &c. Sic *Joannam II.* Reginam in remuneratione *Onufrii*

Carafa Jacobo iſthoc nati, data A. 1419. ac regiſtrata *faſc. 92. il 2. fol. 218.* dicere: *Vel ad Jacobutium præfati Honufrii patrem & Andreæ primogenitum filium*, &c. Allegat etiam Falletus decreta duo ſupremi Senatus Neapolitani, promulgata die 19. Junii 1557. & die 11. Auguſti 1605, quibus Jacobutii progeniem ac ſigillatim Principes Roccellæ primogenitos eſſe e primogenitis in Gente Carafæa, declaratur. Varias quoque, easque magni momenti, rationes adducit, quapropter *privilegium* illud, (quod *22. Febr. 1383.* datum fer-
p. 133-145. tur) ſit ſubleſtæ fidei, æque ac *Teſtamenti* ſupra memoratum *apographum*; cujus loco producit apographum illud, quod ipſi Domini Carafæ A. 1579, in cauſa Galeotti Carafæ de Spina & Federici Carafæ de Statera, Sacro Conſilio obtulerint. Incipit hunc in modum: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Amen. Anno a nativitate ejusdem milleſimo trecenteſimo octuageſimo tertio. Regnante Sereniſſimo Domino noſtro Carolo, Dei gratia, Rege Hieruſalem & Sicilia, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ, Provinciæ & Forcalquerii, ac Pedemontis Comite. Regnorum vero anno ſecundo, feliciter. Amen. Die trigeſima Januarii, 6. indictionis Neap.* Et poſt aliquot periodos: *Idem dictus Teſtator habens filios ſuos legitimos & naturales ex nobili muliere Domina Maria de Cornay uxore ſua ſuſceptos, v3. Dominum Jacobutium primogenitum militem, Galeoccium, Carlutium, Bartholomæum, Petrum, Nicolaum & Laurentium*, &c. Et porro: *In quibus præfatis bonis feudalibus dictus Dominus Jacobutius eſſet poſt ejusdem Dominæ Mariæ ſuæ matris obitum tanquam filius primogenitus & jure primogenituræ legitimæ ſucceſſurus* &c. Ac poſt alia: *In omnibus bonis feudalibus hæredem inſtituit dictum Dominum Car-*
p. 30. *lutium tertio genitum.* Præcipue facere videtur contra *J. F. D. G.* quod Andreas *aſſenſum regium* diſponendi circa feuda in præjudicium primogeniti, obtinuerit, non a *Joanna* R.na, ſed demum a *Carolo III.* Rege; unde non jam *A. 1371*, ſed demum *A. 1383.* potuit teſtamentum condere in præjudicium Jacobutii.

Ad *teſtimonia Genealogorum* Falletus reſpondet, tum non deeſſe alios, Jacobutio primogenituram tribuentes; tum ex allegatis autoribus quosdam Carolum quidem facere primogenitum, ſed improlem; adeoque nihil juvare Forulorum Dominos; denique eorum autoritatem non tanti eſſe, ac diplomata e *Sicla regia* producta.

Appro-

Approbat autem ſine dubio *Hiſtoriam* adverſarii de Dominis Forulorum, ad ipſius ANTONII Cæſarei Plenipotentiarii & Generalis Campi-Mareſchalli recentiora geſta pertextam, quia ad eam nihil ſtructurarum adjicit, niſi quando hos Forulorum Dominos primogenitos Carafæ Domus eſſe adverſarius aſſeverat.

M. CHRISTIANI JUNCKERI DRESDENSIS Schediaſma hiſtoricum de Ephemeridibus ſive Diariis Eruditorum in nobilioribus Europæ partibus hactenus publicatis.

Lipſiæ, ſumtibus Joh. Frid. Gleditſch, 1692. in 12.
Conſtat plagulis 20.

CUm varia extent Diaria, quibus Theologi, Jureconſulti, Medici, Philoſophi, aut obſervationes ſuas, aut excerpta ex aliorum libris recens editis per menſium intervalla congeſſerunt ac cum orbe literato communicarunt, hiſtoriam eorum omnium hoc ſchediaſmate condere aggreſſus eſt doctiſſimus Autor, bonis quibusvis de meliori nota commendandus. Opuſculum ſane nec lectu injucundum, nec inutile eſt, etſi non nullis heic illic ſupplementis egeat. Apponemus aliqua ſpeciminis loco, quum ea ratione & Actis, quæ colligimus, Eruditorum facem accendere liceat. Anno 1684. menſibus Januario ac Februario apud Belgas prodiere duæ ſectiones hiſtoriæ criticæ novorum librorum, ſub titulo: *Mercure ſçavant*, quod eſt, *Mercurius eruditus*. Autor latuit Noſtrum, quod non vidiſſet editionem alteram *Novorum* Reipublicæ Literariæ Bælianorum, ubi in monito præfixo menſi Majo A. 1684. famam percrebuiſſe dicitur, quod opus illud in acceptis ferendum ſit *Nicolao de Blegny*, chirurgo Ducis Aurelianenſis, & *Galterio* (Gautier) Medico Niortenſi. Vel eo autem nomine memorabilis videtur Mercurius iſte, quod menſe ſequenti Martio anſam hinc arripuerit Vir Clariſſimus *Petrus Bælius*, elegantiſſima illa Nova Literaria Roterodamenſia edendi, de quibus egimus A. 1685. p. 510. 511. & A. 1687. p. 32. Loco poſteriori de *Bibliotheca univerſali hiſtorica* ſimul diſſeruimus, A. 1686 Amſtelodami edi cœpta, nec vane conjecimus *Johannem Clericum*, Genevenſem, Profeſſorem Amſtelodamenſem, autorem ejus eſſe. Ignorabamus eo tempo-

re, laboris istius ingenioſi partem vindicare ſibi *Joannem Cornandum de la Croſe*, Gallum, cujus & in Novis literariis menſe Nov. A. 1692. nuperrime mentionem injecimus. Uti vero *Cornandum* ab operis ſocietate excluſerit vertente tempore clariſſimus Clericus, ipſemet fuſe memorat in præfamine tomi XXI. Bibliothecæ ſuæ. *Baſnagius* ille, cognomento Belloyallius, (De Beauval) Jureconſultus quondam Rotomagenſis, nunc Roterodamenſis, autor Hiſtoriæ Actorum Eruditorum *(hiſtoire des ouvrages des Sçavans)* alius omnino eſt a *Jacobo Baſnage*, Eccleſiaſte Roterodamenſi, fratre ſuo, (cujus cum Andrea Arnoldo & Jacobo Benigno Boſſueto controverſias vidimus A. 1685. p. 511. A. 1690. p. 392. 472. 517. A. 1691. p. 571.) & a *Samuele Baſnagio Flottemanvillæo*, eccleſiaſte Zutphanienſi, eorum agnato, cujus in Cæſarem Baronium animadverſiones hoc anno 1692. recenſuimus.

Schediaſmati ſubjungitur *appendix, centuriam fœminarum eruditione & ſcriptis illuſtrium exhibens, collectam ab eodem Junckero.* Equidem, quæ p. 43. n. 33. extat, *monialis Gandersheimenſis*, eadem eſt cum *Hroſvita*, de qua p. 45. n. 45. At, ut hunc defectum ſarciret, aliquot ſupernumerarias Autor adjecit, e quibus eſt etiam *Catharina Senenſis, aut Genuenſis*, ſive, ut accuratius loquendum, *Catharina, tum Senenſis*, ſeculo XIV. clara, *tum Genuenſis*, quæ anno 1510. obiit, de qua videſis libellum Coloniæ, (aut potius, ni fallimur, Amſtelodami) A. 1691. in 12. impreſſum: *La Theologie de l' amour, ou la vie & les oeuvres de S. Catherine de Genes*, id eſt, Theologia amoris, ſive vita & opera Catharinæ Genuenſis.

PETRI APOLLONII COLLATINI PRESBYteri Novarienſis Heroicum carmen de Duello Davidis & Goliæ, Elegiæ, & Epigrammata.

Mediolani, 1692. plag. 4. ~~in 8.~~

SCriptoris hujus vix ulla ad nos antea pervenerat notitia, præter eam, quæ debetur editioni poematis *de excidio Hieroſolymorum*, quod Adrianus vander Burch Antverpiæ A. 1586 recudi fecit, excuſum antehac Mediolani A. 1481, & Pariſiis 1540 opera Jo. Gagnæi. Sane ipſum & ætatem ejus non ſatis exploratam habuiſſe Collectores Biblio-

Bibliothecæ Patrum, ut & Ricciolum, inde patet, quod in ſeptimum, aut octavum ſeculum ab iis rejectus is fuerit, cum decimo quinto eum vixiſſe conſtet e Voſſio. Ut autem magis innoteſcat omnibus, pro ſuo in Scriptores cujusvis ætatis ſtudio jam effecit doctiſſimus Ant. Magliabecus, qui Andreæ Puſterlæ, Ambroſianæ Bibliothecæ præfecto Poëma Apollonii hujus de pugna Davidis cum Goliatho, eique ſubjectum carmen epicum *Chriſti crucifixi querelam* ad Judæos complexum, & *elegiam* ruris & agriculturæ amœnitatem decantantem, nec non pluſcula *epigrammata*, ſuppeditavit; ex Bibliotheca farraginem hanc depromens, cui præeſſe ipſum & eruditi paſſim gaudent, quos officioſitate ſua demeretur, & Sereniſſimus Hetruriæ Princeps juſſit; ad cujus majorum quendam, Laurentium de Medicis, civem adhuc Florentinum, poëmata hæc Apollonius miſit. Faſciculum hunc poematum, quæ enumeravimus, Puſterla Lazaro Auguſtino Cattæ Jureconſulto Novarienſi commiſit, qui ea typis ſubjecit, & effecit, ut ab omnibus legi poſſint, quorum deſiderium moverat Jo. Mabillonius in *Tomo I. Muſei Italici p. 144.* ſibi ab illuſtri Magliabeco conceſſa hæc Apollonii carmina memorans. Neque tamen ea epigrammata in collectione hac comparent, quæ doctiſſimus monachus ἀπόδημος in Pauli II & Sixti IV ſepulchra ab Apollonio ſcripta indicat. Ex editis autem, ut Lector qualemcumque guſtum eorum habeat, iſthoc epigramma decerptum huc ponere viſum eſt, quod in mala Cydonia ſcriptum *p. 32.* exhibetur:

Prima genas veſtit nobis lanugo: nec ullo
Aſperior poſthac tempore barba venit.

L' HISTOIRE D' EMMANVEL PHILIBERT Duc de Savoie. i. e.

Hiſtoria Emanuelis Philiberti Ducis Sabaudiæ, Gubernatoris Belgicarum provinciarum generalis.

Amſtelodami apud Jacobum le Noir, 1692. in 8.
Conſtat plag. 17.

AUtor, qui dedicationi ad Sereniſſimum & Potentiſſimum *Electorem Bavariæ*, hodiernum Belgii Gubernatorem, nomen ſubſcri-

ſubſcripſit *Demonpleinchamp*, hiſtoriam hanc Principis, ſuperiori ſeculo celeberrimi, ob magnitudinem rerum geſtarum & jucundam pariter ac ſtupendam varietatem eventuum in præfatione mirifice commendat; deinde titulum Ducum Sabaudiæ explicat, brevi quadam provinciarum, unde petitus eſt, deſcriptione; ſummaria quoque librorum quinque, quos tractatus hic complectitur, ſubjungit. Incipit narrationem ab anno 1528. quo natus eſt Princeps, & continuat ad annum 1580. quo idem denatus eſt. Materteram habuit Dux *Eliſabetham Luſitanicam*, Caroli V. Imperatoris conjugem. Tam arcta cognatio acceſſum ei in prima juventa ad aulam Cæſaream armorumque exercitium peperit, in quo quid præſtiterit, ex hiſtoricis illius temporis ſatis intelligitur. Nec indiligenter illos evolvit & enucleavit Autor, eos tamen plerumque ſecutus, qui Proteſtantibus ſunt infenſiſimi, quapropter nec ab erroribus, quos illi errarunt, immunis. Poſt finitam, ut diximus, quam cœperat, hiſtoriam, *Libro quinto* de habitu corporis & animi morumque Herois ſui commentatur, & notabilia quædam ejus dicta & facta ſingulariter recenſet; inter alia etiam nuptias cum *Margareta Franciſci I.* Galliæ Regis filia, hujusque laudes. Ex hac unicum ſuſcepit *filium Carolum Emanuelem*: ex pellicibus liberos plures, quorum nomina & poſteri deſcribuntur. Additur denique compendium rerum a nepotibus & pronepotibus geſtarum, usque ad eum, qui nunc rerum potitur, Sereniſſimum nempe Sabaudiæ Ducem, *Victorem Amadeum*, cujus Celſitudini, clientelæ & fœderis nexu Auguſtiſſimo Imperatori noſtro, magnisque aliis belli adverſus communes hoſtes Gallos Sociis junctæ, fauſta omnia apprecari fas eſt.

LA POETIQVE D' ARISTOTE.

hoc eſt:

Poëtica Ariſtotelis, Gallice reddita, & Annotationibus in totum opus illuſtrata a Dacerio.

Pariſiis apud Claudium Barbinum 1692. 12.

Conſtat plag. 24.

Quemadmodum in univerſum bonæ literæ multum *Ariſtoteli* debent induſtriæ, nec illis quidem diffitentibus, qui ab ipſius

ipsius scitis diversum & olim tenuerunt, & nunc sentiunt: ita de *Arte Poetica* mirifice imprimis meritus est, ut pote quam, hucusque in exemplis tantum conspicuam, solidissimis regulis incluserit: qua quidem in re eo magis commendandus & admirandus ejus labor est, quia, cum in expoliendis reliquis disciplinis, imprimis Rhetoricis, haberet fere, quos sequeretur, hic primus viam ab aliis intentatam iniverit, & felicissimo ingenio adjutus singula quam accuratissime pervestigata tradiderit, ut per totum vitæ spatium in hoc unico studio elaborasse videri queat. Testari illud luculenter possunt perfectissimi operis æstimatæ ab eruditis admodum de Poetica, quas possidemus, reliquiæ. Multa enim in eadem desiderari temporis injuria nobis subducta, fidem facit, quod alibi de affectuum purgatione, & de variis ridiculorum generibus, in Arte Poetica se docuisse meminerit, quæ nuspiam in eadem hodie conspiciuntur: cumque in frontispicio promittat, se & de Poësi in genere, & de singulis ejus partibus dicturum esse, hic solum de *Tragœdia* & *Epopœia* eum egisse appareat. Equidem quod ejusdem hujus fœtus natales Aristoteli sint adscribendi, subdubitavit olim *Joachimus Camerarius* noster, existimans, ista quæ de hoc argumento circumferuntur, vel Poëtices Aristotelicæ compendium esse, vel cujuspiam alterius ignoti partum, Stagiritæ cognominis. Sed præterquam, quod hunc librum pro genuina Aristotelis sobole agnoverint ex antiquioribus Philosophi præstantissimi; ipsa verborum concisa brevitas dictionisque castitas, ac tota libri structura, quæ omnia in reliquis Aristotelis alias observantur, suo eum auctori satis vindicant. Cæterum quum plurimi fuerint, qui vel hoc argumentum de *Tragœdia* & *Epica* separatim persecuti sint, ut jamdiu *Danielis Heinsii de Tragœdiæ constitutione* liber, & *P. Bossu de Poemate Epico* tractatio inter cæteros orbi erudito innotuerunt; vel vertendæ in sermonem Latinum huic Poëticæ aut commentariis etiam illustrandæ manum admoverint, ut inter commentatores Latinos *Victorius*, inter Italos *Castelvetro* suum hanc in rem adhibuere ingenium; vel eam in synopsin miserint, quod fecit, dum apud nos Poësin profiteretur, magni nominis postea Theologus, *Fridericus Rappoltus*, cujus nunc opera Theologica sub prelis nostris sudant, propediem in publicum proditura: nondum tamen ista ad genuinum ejus intellectum sufficere visa sunt

clarissimo *Dacerio*. Quapropter, quod in aliis antiquitatis monumentis egit, librum hunc Aristotelis & in linguam Gallicam fideliter ac perspicue transtulit, & quæ obscuritate in textu laborare videbantur, doctis animadversionibus clariora efficere studuit; ea maxime, quæ ad rem Scenicam & Tragœdiam veterem referuntur; præmisso toti libro eleganti eaque prolixa satis præfatione, in qua multa ad institutum pertinentia delibat. Cum enim adversus disciplinarum regulas aliqui paulo iniquiores sint, naturalem ingenii bonitatem & impetum animi secuti, existimavit Dacerius, necessitatem sibi afferri, ut genuinis ex rationibus demonstraret, & Poëticam artem esse, & artem illam esse inventam, & artis hujus regulas tam certo ab Aristotele suppeditari, ut nulla alia via ad poematis scribendi gloriam procedere aliquis possit. Id ut præstet, primum altius Poëseos repetita origine, inventam eam esse docet, ut & religioni & bonis moribus formandis inserviret; unde colligi, quod cum certum scopum habeat, artibus utique ipsa sit accensenda. Deinde regulas artis, & ab Aristotele quidem adinventas esse, neminem addubitaturum, qui & auctorem regularum, & tempus quo scriptæ sunt, & rationem secundum quam extructæ, & quem apud diversas gentes variis temporibus effectum habuerint, consideraverit. Ex his duo sequi affirmat, nimirum regulas, & quod jucundum est ac placet, non posse res esse sibi repugnantes; cum regulæ ex nullo alio fonte profluxerint, quam ex eo, quod placet, ac in nullum alium finem ipsæ adhibeantur, quam ut suaviter aliquis reliquorum in animos influat: & ipsam Poësin ad homines instruendos ac in utilitatem hominum introductam, quorsum inprimis faciat Tragœdia, ut tamen usus ejus ab abusu sollicite discernatur, quod Auctor ipse pluribus hic præstitit. Post hæc rationem versionis & instituti reddit, commemorans insimul, quos potissimum Commentatores præ oculis habuerit; respondens etiam ipsorum objectioni, qui Commentatores Grammaticorum & Philosophorum in morem Aristotelem interpretari inquiant, qui quidem, cum eruditionis multum, experientiæ theatralis parum possideant, doctiores lectores reddere, arti vero ipsi exiguum lumen conciliare possint. Inde aliqua de vita Aristotelis commentatur, & ex temporum rationibus annotat, ut Aristotelis ævo mirum quantum Tragœdia floruerit; ut postea flaccescere inceperit; ut tempore Augusti refloruerit; postmodum

modum per tot seculorum decursum iterum quasi sepulta: usque dum nostris temporibus opera *Cornelii* & *Racini*, Gallorum (addere poterat, Andreæ Gryphii & Caspari Lohensteinii, Germanorum, quorum eximia opera magna in admiratione apud nos sunt,) resuscitata veluti fuerit. De Annotationibus ipsis ut aliquid dicamus, prolixitatis evitandæ studium prohibet.

SEVERAL CASES OF CONSCIENCE, RESOLved by Dr. Thomas Barlou. i. e.

VARII CASUS CONSCIENTIÆ EXPLIcati per Thomam Barloum S. Th. D. nuperque Lincolnienſem Epiſcopum.

Londini apud Davisium, 1692. in 8. Constant plag. circiter 26.

VT *Roberti Sanderſoni* olim in eadem Epiſcopali ſede conſtituti memoria, eruditiſsimo de obligatione conſcientiæ & juramenti opere, nec non variis caſibus conſcientiæ ſolutis, ad poſteros defertur: ita hujus quoque Præſulis nomine præſentium Caſuum publicationem non indignam fore, arbitratus eſt editor. Quamvis enim pauciſſimi ſint, diverſis temporibus ab amicis Autori propoſiti, eo tamen judicio ventilati & definiti ſunt, ut non immerito collecti & publica luce donati videantur. Sunt autem ſequentes: *An tolerandi diſſidentes a fide? An Rex capitis pœnam dimittere poſſit homicidii reo? An diſſolvi queat matrimonium timore contractum? An Judæi tolerandi? An imagines in templis exigenda? An Dominium ſuadetur in Gratia?* De ſingulis quæ ſit Autoris ſententia, breviter trademus.

A *tolerantia diverſarum religionum*, quam dicit eſſe Magiſtratus politici, non vero eccleſiaſtici opus, excludit 1. Atheos. 2. Anabaptiſtas, Quakeros, & omnes Magiſtratui infenſos, aut cum Bellarmino de Rom. Pont. lib. V. cap. 6. aſſerentes: *non poſſe quidem Papam ut Papam ordinarie Principes deponere; poſſe tamen mutare regna, & uni auferre, & alteri conferre, tanquam ſummum Principem ſpiritualem, ſi id neceſſarium ſit ad animarum ſalutem.* Tales enim indignos eſſe, qui tolerentur, cenſet, ob pericula ab ipſis Magiſtratui imminentia. Non tamen omnes vult excludi Pontificios, opina-

tur enim multos esse, qui non quidem ex religionis suæ principiis, sed naturæ suæ benignitate, ab ejusmodi abhorreant dogmatibus. 3. Excludit etiam Adamitas, promiscuum fœminarum usum exercentes, omnesque alios contra naturæ legem peccantes. Tolerandos autem censet, qui vel doctrina, vel disciplina, ab illa religione dissident, quæ legibus regni stabilita est, & quiete vivunt: liberum quoque iis religionis suæ exercitium permittendum esse, nec ad aliam amplectendam cogendos. Hanc sententiam suam ut defendat, variis respondet objectionibus, illi præprimis ex Luc. XIV. 23. petitæ. Vocem ἀνάγκασον cum Grotio de instantia vocantis explicat, & ex Theophylacto refert: Spiritum S. usum voce hac, *ut scianus magnæ virtutis Dei esse, gentes credidisse*; & denuo: *admirabilem translationem significare voleus, necessitatem nominavit.* Observat deinde, apud Gratianum cap. de Jud. 5. Dist. 45. violentum convertendi modum improbari; nec profecisse eo Reformatores quicquam ait: *crevit enim adversis fides, & Martyrum sangvis, non hæreticorum, semen est Ecclesiæ.* Unde opinatur, Parisiensem lanienam plures in una nocte fecisse Protestantes, quam omnia Calvini opera, ex eo, quo prodierunt, tempore. In eundem finem Erasmi de Monacho Carmelitano, hæreticæ pravitatis (ut inquiunt) Inquisitore, dictum allegat tale: *Ubicunque sævitiam exercuit Carmelita, ibi diceres factam fuisse hæreseon sementem.* Tolerantiam hæreticorum econtra felicius esse medium ad ipsos convertendos, quam persecutionem, judicat. Quæ hic interserit, ad extenuandam hæreticorum impietatem, qualia sunt: ignorari, quatenus peccaminosa sit hæresis; peccatum non esse peccatum, nisi sit voluntarium; item, veniam habebunt propter infidelitatem (gentes puta) damnabuntur propter peccata contra naturam; aliis examinanda relinquimus. Illud tamen ut adscribamus, indignum non est, vocem αὐτοκατάκριτος Tit. III. 10. etiam reddi posse *a se ipso separatus*, neque solum *a se ipso condemnatum* significare; simplex enim κρίνω a Stephano etiam per *secerno* explicari. Unde Hieronymus in h. l. *Hæretici in semet ipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesia recedentes.* Concludit tandem, posse diversos a religione compelli a summo Magistratu ad illa media, per quæ veritatem illius cognoscere queant, e. g. ut conciones, disputationes audiant, iisque ad examen veræ falsæque fidei adducantur, secundum

cundum illud Apostoli: *Omnia probate, & quod bonum est, tenete.* Ulterius vero procedere nulli licere statuit: *Hoc enim ad irreligiositatis elogium concurrit, ut non liceat mihi colere quem velim, sed cogar credere quem nolim;* ut loquitur Tertullianus.

Alterum conscientiæ Casum: *An Rex homicidam impunitum dimittere, vel etiam mortis supplicium prorogare possit?* affirmative definit Autor, idque in honorem Regiæ Majestatis, cujus potestatem aliquos immerito extenuasse queritur. Rationes palmariæ sunt, quoniam neque humanum neque divinum jus alteruttum prohibuerit; lex vero Mosaica Num. XXXV. 31. aut Judæos tantum spectet, aut minores tantum Magistratus, non vero summam in regno potestatem: unde nec Davidi vitio verti dilationem pœnæ Joabo debitæ, nec veniam Absoloni concessam. Ait etiam posse dari tales temporum personarumque circumstantias, quæ dilationem sententiæ tristis non solum licitam, sed & necessariam faciant; & pariter posse dari casus ejusmodi, in quibus dimissio pœnæ capitalis eundem bonum finem consequi valeat, ac ejusdem irrogatio. Ad objectionem ex Gen. 9. 6. de fundendo sanguine ejus, qui sanguinem effuderit, respondet, non magis hoc præceptum omnes obligare, quam illud de sanguine non edendo.

Tertius Casus ita se habet. Gallina nubit Patrimoniali anno 1664, cohabitat ipsi menses octodecim sine protestatione aut querela, paritque, ex ipso gravida, filiam. Anno 1666 coram Archiepiscopo Turinensi queritur Gallina, se a patre suo ad hoc cum Patrimoniali connubium coactam fuisse; petit igitur divortium & impetrat. Anno 1671, Patrimoniali adhuc vivente, nubit Cottingtonio, eundemque in Curia de Arcubus pro marito suo venditat. Fertur hic sententia, teneri Cottingtonium ipsi cohabitare. Jam quæritur, an divortium, ab Archiepiscopo concessum, sit pro legitimo habendum, & num salva conscientia Cottingtonius cum Gallina tanquam uxore sua vivere queat? Negat Autor (1) quia metus reverentialis sive obsequium reverentiæ paternæ debitum, matrimonium non dirimit. (2) quia metus hic per subsequentem tranquillam cohabitationem fuit purgatus. Quæritur porro: an hæc divortii sententia Archiepiscopi Turinensis, in Anglia rescindi possit? Resp. affirmando. (1) quia Gallina & Cottington nunc in Anglia vivant.

(2) hæc ſententia ipſo jure nulla ſit. (3) in cauſa Henrici VIII. non tantum Archiepiſcoporum, ſed ipſius Pontificis ſententia, in Anglia fuerit examinata & rejecta. (4) leges Anglicanæ omnem Roma petitam diſpenſationem irritam declarent. Statut. 24. Henric. VIII. cap. 12. Huic Barloi ſententiæ ſubjunguntur aliorum Theologorum Jctorumque, ipſius etiam Sorbonnæ judicia, idem divortium improbantia, & Cottingtonio ſuadentia, ut deſerat Gallinam, nec ſecundum ſententiam Curiæ de Arcubus, quæ Archiepiſcopi Turinenſis diſpenſationem non examinaverit, ipſi cohabitet.

Ad quæſtionem *de Judæis tolerandis* affirmative reſpondet, argumentis variis innixus. Urget tolerationis commodum. Ex Cooki enim Inſtit. part. 2. p. 502 refert, intra ſeptem annos, a quinquageſimo Heinrici III. ad ſecundum Eduardi I. annum, de Exitibus Judæorum collecta fuiſſe 420000 libr. ſ. 6. d. quæ ſumma nunc efficeret 1260000 libras. Monet, Judæos olim expulſos admodum inhumaniter & barbare fuiſſe habitos; poſſe igitur a Republica, quæ nunquam moritur, ſatisfactionem & reſtitutionem exigere, tenerique illorum, qui Judæos olim ejecerunt, nepotes amica receptione damna tunc ipſis illata reſarcire. Addit, ipſos Judæos in republica ſua bene conſtituta gentes toleraſſe, nec niſi ad Noæ præcepta adegiſſe. Quod autem aſſerit, in nullis hiſtoriis legi, ſedulos unquam fuiſſe Judæos in acquirendis Proſelytis, excidit eruditiſſimo viro, non perpendenti, quod Chriſtus hoc ipſum Judæorum ſtudium notaverit, Matth. XXIII. 15. ad quem locum vide ante alios Schikardi Jus regium p. 324. & Carpzovium in notis. Illud fortaſſis etiam cenſuram merebitur, quod infidelitatem Judæorum extenuans, Deo ferme omnem ejus culpam intentet, quaſi corda ipſorum aperire nolit. Conditiones receptionis ipſorum ex Imperatorum Pontificumque Decretis ſequentes proponit, locis, unde depromptæ ſunt, in margine citatis. 1. Ut contra legem naturæ quicquam facere illis non permittatur. 2. Chriſtum non blaſphement, nec Evangelium ejus. 3. infantes Chriſtianos non circumcidant; exerceant, non propagent religionem ſuam. 4. ad dignitates admittantur nullas. 5. Judæus actor vel reus forum ſequatur Chriſtianum. 6. matrimonia cum Chriſtianis non contrahant. 7. divortia non permittantur. 8. neque polygamia. 9. Judæus converſus ab ipſis nulla afficiatur injuria. 10. reparent

parent synagogas veteres, non extruant novas. 11. servos, ancillas aut obstetrices ex Christianis non habeant. 12. festo passionis Christi in publicum non prodeant. 13. non incedant tali vestitu, qualem Christiani gerunt. 14. medicinam non exerceant. 15. nec militiam. 16. usuras secundum regni leges exerceant. 17. ad amica colloquia & disputationes de fide admittantur, spe ipsos convertendi. Specialis Angliæ lex est inter Eduardi Confessoris 29, ad Judæorum usque expulsionem, quæ anno 18. Eduardi I. accidisse dicitur, observata, *quod omnes Judæi, ubicunque in regno sunt, sub tutela & defensione Regis ligea debeant esse; nec quivis eorum alicui Diviti possit se subdere, sine Regis licentia. Judæi enim & omnia sua Regis sunt. Quod si quisquis detinuerit eos, vel pecuniam eorum, perquirat Rex, si vult, tanquam suum proprium.* Memoratu quoque digna Lutheri vox Autori citata: *Se propter unum Judæum crucifixum, omnibus favere Judæis.*

Casus *de Imaginibus* talis est. Ex plebe quidam in Parochia Multoniensi, sub prætextu adornandi templi, 1. eraserunt Scripturæ dicta parietibus inscripta. 2. sine Superiorum approbatione, quinque vel sex Apostolorum imagines erexerunt, & ne, qui opere hoc offendebantur, quicquam auderent contra ipsos, a Cancellarii Lincolniensis Vicario, post factum, petierunt confirmationem ejus quod fecerant, & impetrarunt. 3. Vice-Cancellarii autoritate fulti, tredecim Apostolorum (Paulum adjunxerant) imagines erigunt, Petrum supra Decalogi præcepta, Paulum super Regis insignia collocantes, & Spiritum sanctum in columbæ specie iis supereminentem, Mosen cum cornibus &c. 4. ab Episcopo tandem totius actionis suæ approbationem petunt, qui denegat. 5. Cancellarius irritam declarat Vicarii sui confirmationem. Illi igitur, qui erexerant imagines, ad Curiam de Arcubus appellant, coram qua, ut narrat Editor, Autor noster tum Lincolniensis Episcopus causam dixit, hacque Dissertatione prolata se defendit. Sunt autem rationes ejus, contra imaginum erectionem productæ, ut plurimum Ecclesiæ Anglicanæ Statuta, reperienda in Corpore Homiliarum autoritate Elisabethæ Reginæ collectarum, parte III Homiliæ contra idololatriæ pericula. Quoniam enim Homiliæ istæ variis Jacobi I. statutis, Parlamenti etiam & Congregationum variarum decretis confirmatæ sunt; omnes denique Ecclesiæ Angli-

Anglicanæ Clerici, & in Academiis honorum titulos ſuſcipientes, Cancellarii, Commiſſarii & Officiales tenentur iis ex animo aſſentiri & ſubſcribere, absque omni gloſſa aut propria interpretatione; qui vero iis contrarium ſtatuunt, ipſo facto excommunicantur, & ſi Clericus ſit, beneficio privatur, quo fruitur: concludit, homini utique licere nulli erigere imagines, in Homiliis hiſce apertis verbis prohibitas.

Quæſtionem ultimam, *an Pontificii doceant, Dominium fundari in Gratia?* ſic reſolvit: Concilium Conſtantienſe damnaſſe quidem hanc propoſitionem in Huſſo & Wiclefo: *Dominium fundatur in Gratia*; nec quenquam ſibi cognitum eſſe inquit, ex Pontificiis Doctoribus, qui eam totidem verbis affirmet: attamen ipſo facto exercere Romanos theſin hanc, perhibet, imo aliis ſed æquipollentibus docere verbis. Sic Thomas Aqv. 2. 2. q. 12. a. 2. dixit: *Principibus apoſtatis non eſt obediendum.* Alphonſus a Caſtro de juſta hæreticorum punitione Lib. 2. cap. 7. oper. p. 1244. ſcripſit: *Propter hareſin pater amittit jus, quod habuit ſuper filios, & Dominium Politicum amittitur per hareſin, ita quod Rex factus hæreticus, ipſo jure eſt Regno ſuo privatus & Dux ſuo Ducatu &c. Bona hæreticorum ſunt ipſo jure confiſcata*, habetur in Leg. cum ſecundum 19 de hæreticis.

THE STATE OF THE PROTESTANTS OF IRELAND, under the late King James's Government.

i. e.

Status Proteſtantium in Hibernia, regnante Jacobo II. Editio tertia, cum appendice.

Londini apud Rob. Clavell, 1692. in 8. plag. 29.

AUtor hujus libri Anonymus in limine de activa paſſivaque ſubditorum obedientia quædam præfatus, in eo totus eſt, ut doceat, quomodo Jacobus II. anniſus fuerit Proteſtantes in Hibernia perdere & penitus delere; Proteſtantes autem diutiſſime fideliter ipſi adhærentes, tandem coacti fuerint liberationem a Deo per Principem Arauſionenſem oblatam acceptare, idque ſine omni rebellionis macula. Affirmat igitur, licet impoſſibile videri poſſit, Regem velle

velle subditorum suorum ruinam, Jacobum tamen Regem ad tam perniciosa consilia deductum fuisse; unde vox ejus vulgata: *malle se Martyrem mori, quam non propagare & confirmare religionem suam; & melius sibi fore, hoc in effectum deducto, postero statim die mori, quam consiliis irritis quinquaginta annis superstitem esse.* Ut ergo prospere succederet opus hoc, officiis (ut Anonymus hic, penes quem sit fides, refert) in Hibernia ejusmodi præfecit homines, qui i. essent egeni, adeo ut quidam vix congruas muniis suis togas parare potuerint. 2. imperiti. 3. improbi multorumque criminum rei. 4. nullo regni amore affecti, sed e contrario, odio illud habentes. 5. vi legum inhabiles. Milites Protestantium confessioni addictos exauctoravit; equos, arma & vestes, propriis acquisita sumtibus, ademit, Pontificiisque dedit: ipse Ormundiæ Dux dimissus est, inque locum ejus suffectus Richardus Talbot, tunc Chiliarcha, post Comes, & denique Dux de Tyrconnel. E dicasteriis ejecti Protestantes, nulla deinde justitiæ beneficia expectare potuerunt. Opificum collegiis ademta privilegia vetera, & nova concessa, ea arte, ut Papistæ Protestantibus dehinc prælati, hos paulatim deprimerent, omnibusq; commodis exuerent. Mercaturæ nervi incisi. Libertates Nobilium aut imminutæ, aut sublatæ. Arma Protestantibus adempta eo ipso tempore, quo sive vere sive falsè, generalis timebatur internecio. Moneta ænea vilissimi pretii Protestantibus obtrusa, iisdemque quanti vendere merces suas deberent præscriptum, omnem interea usuram Pontificiis exercentibus. Decretum Restitutionis anno 15. Caroli II. sanctum, & Explanationis biennio post subsecutum, quo Protestantibus certis conditionibus addicta fuerunt Pontificiorum bona, ob rebellionem & lanienam anno 1641 exercitam ipsis ademta, sublatum est per Decretum Abrogationis in Hiberniæ Parlamento conditum; quo Pontificii in bona sua restituti, Protestantes iisdem privati sunt. Nec tantum bona eorum aliis cesserunt, verum etiam vita maximis periculis expósita fuit. Religio sic extirpari cœpit. Scholis Jesuitæ præfecti sunt aut alii Romano-Catholici, ut in urbe Kilkenni factum, ubi Ormundiæ Dux fundaverat ditaveratque scholam. Academiæ Dublinenses cives ejecti, privati prius reditibus 388. librarum annuarum ab Elisabetha Regina legatis & ex ærario regio pendendis, eam solum ob causam, quod Collegam Pontificium, qui

p. 15.
p. 50.
p. 25.
p. 27.
p. 30.
p. 59.
p. 83.
p. 89.
p. 93.
p. 109.
p. 152.
p. 161.
p. 187.
p. 217.
p. 219.

juramentum ſuprematus præſtare nollet, non recepiſſent. In locum decedentium Clericorum, quorum vocatio penes Regem fuit,
p.220. aut nulli, aut Pontificii ſucceſſores dati: ſic Archi-Epiſcopatus Caſſhelenſis, Epiſcopatus in Clogher, Elphin & Clonfert nemini ceſſerunt, proventibus interea tum Epiſcopis tum Presbyteris Pontificiis traditis. Decimas a Pontificiis laicis hactenus Proteſtantium cleri
p.228. ro ſolutas Romanus ſibi vendicavit clerus. Epiſcoporum jurisdictio adeo fuit coarctata, ut in nullum ab Eccleſia ſua diſſentientem, poteſtatem exercere potuerint. Hinc factum, ut qui impune peccare vellent, diſſenſum tantum ſuum publice teſtarentur. Templa etiam Pontificii occuparunt; & quamvis id per Regis Proclamationem ſeu Edictum vetitum fuerit, Rex etiam in ſpecie mandaverit, ut Waterfordienſe & Wexfordienſe templa reſtituerentur,
p.239. morem tamen nemo geſſit. His prolixe enarratis concludit Autor, Proteſtantibus Hiberniæ incolis vitio verti minime poſſe, quod Wilhelmo Regi ſe ſubmiſerint: ut enim illi tanquam vicino licuerit vicinæ
p. 6. opem ferre genti, ita oppreſſis aliam viam ſecundum humanam rationem ex tanto diſcrimine nullam patuiſſe. In Appendice novæ huic editioni adjecta, variæ leguntur epiſtolæ, orationes, decreta & varii perſonarum catalogi. Eminent præ aliis decretum Abrogationis (The Act of Repeal) & oratio Antonii Dopping, Epiſcopi Meathenſis, illud diſſuadentis. Recenſentur etiam conſiderationes ejusdem Epiſcopi Duci de Tyreonnel propoſitæ, de edicto quo Proteſtantes juſſit arma ſua tradere & in templa congerere, ſub pœna militaris inquiſitionis. Ex catalogo virorum, qui Parlamento Hiberniæ
p.370.372. interfuerunt ſub Jacob. II. corrigi poteſt Cluverus in deſcriptione Hiberniæ tres tantum Archi-epiſcopos & 13 Epiſcopos enumerans, cum hic illis jungatur quartus Tuamenſis, & octodecim recenſeantur Epiſcopi.

ERRATA.

Pag. 10. lin. 10. pro *tributum* lege *tributam*. P. 13. l. 24. pro E lege *Et*. P. 31. l. 26. pro *errit* lege *erit*. P. 391. l. 30. pro *cætibus* lege *cædibus*. P. 393. l. 18. pro *cap. 9.* lege *19.* P. 399. l. 9. pro *l. ii.* lege *l. 2.*

INDEX

INDEX AUCTORUM
quorum Libri aut Inventa hoc volumine recenſentur.

I. Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.

A*Nonymorum, Breviarium Hiſtoria de Quackeriſmo.* 171
Janſeniſta converſus 424
Diſſertatio de judiciis Criticorum ſuper loco S. Chryſoſtomi Homil. 3. in Ep. ad Hebr. 521
Conſtitutio, Diſciplina & Cultus primitivæ Eccleſiæ 526
Litera de Decreto Inquiſitionis contra 31 Propoſitiones d. 7 Dec. a. 1690 promulgato 352
Hiſtoria Conciliorum Generalium 457
Valentini Alberti *Examen Profeſſionis Fidei Tridentinæ, nec non Expoſitionis Doctrinæ Catholicæ J. B. Boſſueti* 464
Antonii Arnaldi *Difficultates D. Steyarto Theologo Lovanienſi propoſitæ.* 62. 129
Thomæ Barloi *varii Caſus Conſcientiæ explicati.* 563
Samuelis Baſnagii *Exercitationes Hiſtorico-Criticæ adverſus Card. Baronii Annales.* 155
Balthaſaris Beckeri *Mundus faſcinatus, ſeu Excuſſio Doctrinæ de Spirituum natura, viribus, functionibus &c.* 19
Joh. Benedicti (*Benoiſt*) *Hiſtoria Albigenſium & Valdenſium.* 259
P. Boyeri *Breviarium Hiſtoriæ de Valdenſibus* 266
Antonii Bynæi *de Morte Jeſu Chriſti Liber I.* 425
Joſephi M. Cari *Antiqui Libri Miſſarum Romana Eccleſiæ. Antiphonarius S. Gregorii Papæ &c.* 477
Guilielmi Cave *Tractatus de Primævo Chriſtianiſmo, cum Præfatione H. Witſii.* 462

Ernaldi *Abbatis Bonevallis Commentarius in Psal. 132. &c.* 536
Claudii Fleurii *Historia Ecclesiastica.* 447
Fulberti *Carnotensis Commentarius ad Act. XI.* 536
Gualteri *Præpos. Torn. Libri tres contra Judæos.* 536
Gulielmi *Abbatis Commentarius in Cantica Canticorum.* 536
Hermanni von der Hardt *Dissertatio de Accentuatione Hebræorum.* 388
Hermanni *Abbatis S. Martini Tornacensis opusculum de Incarnatione Domini.* 536
Joachimi Hildebrandi *Theologia Dogmatica.* 413
Samuelis Hill *Dissertatio de Presbyteratu.* 395
Hincmari *Remensis Carmen de Fonte vitæ.* 536
Humfredy Hody *Anglicani novi Schismatis Redargutio* 235
Petri Danielis Huetii *Alnetanæ Quæstiones de Concordia Rationis & Fidei.* 145
Tractatus de Situ Paradisi terrestris. 297
Joh. Wolfg. Jægeri *Historia Ecclesiastica seculi XVII, cum Parallelismo Profano.* 218
Petri Jurii *Examen Libelli adversus Religionem &c. editi, sub titulo: Admonitio ad Exules &c.* 54
Apologia ad Pastores & Rectores Ecclesiarum Gallo-Belgicarum. 121
Lactantius *de Mortibus Persecutorum, cum notis Toinardi.* 194
Melchioris Leydekkeri *Dissertatio de Cl. Bekkeri volumine & Scripturarum autoritate &c.* 542
R. Salomonis Loriæ *Sapientia Salomonis.* 193
Ludovici Marraccii *Prodromus ad Refutationem Alcorani.* 329. 371
Henrici Mauritii *Defensio Episcopatus Diœcesani, seu Responsio ad librum Dav. Clarksonii de Primævo Episcopatu.* 391
Casimiri Oudin *veterum aliquot Galliæ & Belgii Scriptorum Opuscula, nunc demum edita.* 535
Pauli Pellissonii *Considerationum de Religionis controversiis Pars IV.* 241
Samuelis Przipkovii *Cogitationes ad initium Evangelii Matthæi &*

omnes

omnes Epistolas Apostolicas, nec non Tractatus varii argumenti 414

Johannis Raji *Sapientia Dei manifestata in operibus creationis.* 74

Andreæ Reinbecks *Doctrina de Accentibus Hebræorum.* 387

Samuelis Schelvigii *Cynosura Conscientiæ, sive Casuum Conscientiæ Decisio.* 450

Joh. Andreæ Schmidii *Exercitationes I. de Missa sicca. II. de Muliere in Ecclesia. III. de Cultu Evangeliorum.* 349

Justi Christoph. Schomeri *de Collegialismo tam orthodoxo, quam heterodoxo Disputationes.* 448

Wilhelmi Ernesti Tenzelii *Dissertationes selectæ.* 539

Nicolai Toinardi *Notæ in Lactantium de Mortibus Persecutorum.* 194

Bryani Turneri *de primi Peccati Introitu, sive de Lapsu Angelorum & Hominum Tentamen.* 514

Campegii Vitringa *Sacrarum Observationum Liber III.* 382

Christfriedi Wæchtleri *Epistola de Circumcisione adversus Joh. Spencerum.* 124

Danielis Whitby *Tractatus de vera Christi Deitate adversus Arii & Socini Hæreses.* 154

Hermani Witsii *Miscellanea sacra.* 227. 319

Præfatio in Tractatum G. Cave de Primevo Christianismo. 462

II. Juridici.

Joh. Heinrici Bergeri *Resolutiones Legum obstantium, quæ in Compendio Juris Lauterbachiano allegantur.* 219

Hieronymi Brückneri *Decisiones Juris Matrimonialis controversi.* 255

Gerhardi Feltmanni *Tractatus de Impari Matrimonio.* 27

G. Vander Müelen *Commentarius in Historiam Pomponii de Origine Juris.* 67

Jo. Guilielmi Pfennick *de Rei Numariæ Mutatione & Augmento.* 523

III. Medici ac Physici.

Roberti Boyle *Experimenta Medica.* 491

Observationes circa Mechanicam variarum qualitatum originem 492

Exercitationes de Utilitate Philosophiæ Naturalis Experimentalis. 493
Richardi Carr *Epistola Medicinales* 37
Nehemiæ Grevv *Observationes de morboso Liene* 514
Edmundi Halley *Reputatio Circulationis aqueorum Maris vaporum & Causa Fontium.* 307
Josephi Lanzoni *Dissertatio de Iatro-Physicis Ferrariensibus.* 92
Dissertatio Medica de Clysteribus. 92
A. Moulin *Relatio Experimenti de Mercurio sanguini injecto, noxiisque ejusdem in Pulmones effectis.* 313
Antonii Nuck *Adenographia curiosa, & uteri fœminei Anatome nova, &c.* 97
Johannis Raji *Sapientia Dei manifestata in operibus Creationis* 74
Bernhardi Ramazzini *Dissertatio de Constitutione anni 1691 apud Mutinenses.* 220
De Fontium Mutinensium admirabili scaturigine. 505
Augusti Quirini Rivini *Ordo Plantarum, quæ sunt flore irregulari tetrapetalo.* 273
J. Shipton *Pharmacopœa Bateana.* 93
Eduardi Tyson *Lumbricus hydropicus, sive Tentamen quo probabile redditur, Hydatides esse speciem vermium.* 435
Laurentii Verduc *Parisiensis Deligationum Officina, seu Modus corporis fracturas & luxationes deligationum ope restituendi* 7
Wolfg. Christoph. Weseneri *Historia Adolescentis a cultro, quem improvide deglutiverat, per abscessum liberati.* 502

IV. Mathematici.

Academiæ *Scientiarum Regiæ Parisiensis Memorabilia Mathematico-Physica.* 357
Jacobi Bernoulli *Additamentum ad Solutionem Curvæ Caustica, una cum Meditatione de Natura Evolutarum & variis Osculationum generibus.* 110
Linea Cycloidales, Evoluta, Ant-Evolutæ, Caustica, Anti-Caustica, Peri-Caustica. Spira mirabilis &c. 207
Ænigmatis Florentini Solutiones variæ insignes. 370
Curvatura Veli. 202

Solutio Problematis de minimo Crepusculo. 446
Additio ad Schedam de Lineis cycloidalibus. 291
Johannis Bernoulli *Solutio Curvæ Caustica per vulgarem Geometriam Cartesianam.* 30
Joh. Dom. Casini *Diversæ Motus Periodi in Jove noviter observatæ.* 358
Michaelis Angeli Fardellæ *Universa usualis Mathematica Theoria.* 165
Abbatis du Fay *Genuina Dn. Vaubani Ratio probe muniendi.* 337
Nicolai de Fer *Introductio ad Architecturam Militarem.* 96
Dominici Gulielmini *Epistolæ duæ Hydrostaticæ: I. de Mensura Aquarum fluentium: II. de Motu fluidorum in Siphonibus recurvis factoriis.* 431
Aquarum fluentium Mensura nova methodo indagata. 510
Edmundi Halley *Emendationes in tria loca Naturalis Historiæ C. Plinii.* 529
G. G. L. Solutio Problematis Florentini, seu Constructio Testudinis Quadrabilis Hemisphæricæ. 275
De Natura Linearum, Anguloque Contactus & Osculi, Provolutionibus &c. 440
De Linea ex lineis infinitis formata eaque omnes tangente &c. 168
F. Henrici Noris *Dissertationes de Cyclo Paschali Latinorum annorum 84: de Cyclo Paschali Ravennate ann. 95.* 187
Jacobi Ozanam *Dictionarium Mathematicum, sive Idea generalis Rerum Mathematicarum.* 9
Pii Lisci Posilli *Ænigma Geometricum de miro Opificio Testudinis Quadrabilis Hemisphæricæ.* 274
Varignoni *Meletema de Actione Aquæ erga fundum vasis in inferiori parte latioris quam in superiori.* 365

V. Historici, Geographici, Genealogici.

Anonymi Status Protestantium in Hibernia, regnante Jacobo II. 568
Blasii Altimari *Historia Genealogica Gentis Carafæa.* 401
Hyacinthi Falleti Arcadi *Observationes ad Scriptum pro Primogenitura Dominorum de Forulis e Gente Carafea de Spina evulgatum.* 553

Adriani Bailleti *Vita Cartesii.* 281
Richardi Bentleii *Epistola, in qua Malala loca quadam illustrantur.* 108
Edmundi Chilmeadi *Nota ad Joannis Antiocheni, cognomento Malala, Historiam Chronicam.* 106
Demonpleinchamp *Historia Emanuelis Philiberti Ducis Sabaudiæ.* 559
Eddii, *cognomento Stephani, Vita S. Wilfridi Episcopi Eboracensis.* 3
L. Annei Flori *Epitome Rerum Romanarum.* 538
Jo. Fordun *Scoti-Chronicon, seu Scotorum Historia.* 6
Thomæ Gale *Historiæ Britannicæ, Saxonicæ, Anglo-Danicæ Scriptores XV, ex MSS. editi.* 1
R. David Gans *Chronologia, sub titulo: Germen Davidis* 216
Gildæ *de Excidio Britanniæ Liber querulus.* 3
Joh. Georgii Grævii *Nota in Florum.* 538
Gulielmi *Malmesburiensis Liber de Antiquitate Ecclesiæ Glastoniensis.* 4
Vita S. Adelmi. 5
Ranulphi Higdeni *Polychronicon.* 4
Humphredi Hodii *Prolegomena ad Joannis Antiocheni, cogn. Malalæ, Historiam Chronicam.* 106
Matthæi Horsti *Historia Rei Nummariæ, Ponderum & Mensurarum.* 254
Christiani Junckeri *Schediasma Historicum de Ephemeridibus seu Diariis Eruditorum.* 557
Philippi Labbe *Bibliotheca Numaria.* 254
Diogenes Laërtius, *Græce & Latine, cum notis integris doctorum virorum.* 315
Georgii Lomeieri *Notitia Historico-Genealogica Principalium Germaniæ & Italiæ Familiarum.* 342
De la Loubere *Descriptio Regni Siamensis.* 479
Joannis Antiocheni, cognomento Malalæ, *Historia Chronica.* 106
Marci Meibomii *Diogenes Laërtius.* 315
Maximiliani Missonii *Itinerarium novum Italicum.* 301
Johannis Molleri *Isagoge ad Historiam Chersonesi Cimbricæ.* 94
Nennii *Eulogium Britanniæ.* 4

Danielis Neſſelii *Supplementum Commentariorum Lambecianorum de Bibliotheca Vindobonenſi.* 494
Sciagraphia magni Corporis Hiſtorici. 498
Supplementum Bruſchianum. 500
Prodromus Hiſtoriæ Pacificatoriæ. 501
Antonii de Solis *Hiſtoria Mexicanæ.* 524
Antonii Wood *Athenæ Oxonienſes, ſeu Hiſtoria ſcriptorum, qui prodierunt ex Academia Oxonienſi.* 35

VI. Miſcellanei.

Anonymi Muſarum Anglicanarum Analecta. 83
Anonymi Admonitio ad Exules de propinquo eorum reditu in Galliam. 49
F. D. A. Monumenta antiqua. 91
Theodori Janſonii ab Almeloveen *Bibliotheca promiſſa & latens.* 299
Joſephi de Anſideis *Tractatus Equeſtris contra Abuſum proſequendi privatas inimicitias.* 471
M. Aurelii Antonini *Libri ad ſe ipſum, Gallice verſi.* 249
Petri Apollonii *Collatini Heroicum Carmen de Duello Davidis & Goliæ, Elegiæ, & Epigrammata.* 558
Ariſtotelis *Poëtica, Gallice reddita, cum Annotationibus Dacerii.* 560
Benedicti Bacchini *Dialogi de Conſtantia in adverſis, de Dignitate tuenda, de Amore erga Rempublicam.* 409
Petri Bælii *Delineatio & Fragmenta Dictionarii Critici.* 474
Conſpiratio Chimerica, ſeu Refutatio Hiſtoriæ fabuloſæ &c. 117
Petri S. Bartoli *Lucernæ ſepulcrales antiquæ figuris inſignes, e cryptis Romanis collectæ.* 225
Jo. Chriſtoph. Becmani *Excerpta Annotationum variorum Virorum in Hug. Grotii Libros de J. B. & P.* 456
Jo. Petri Bellorii *Obſervationes ad Lucernas Sepulcrales antiquas.* 225
Dominici Bohurſii *Veterum atque Hodiernorum Cogitata ingenioſa.* 466
Guilh. Budæi *Libri de Aſſe.* 254
M. T. Ciceronis *Libri de Officiis, cum notis Alb. Chr. Rotthii.* 466
Gallice redditi. 468

Th. Cremii *Consilia studiorum optime instituendorum collecta.* 343
Annæ Daceriæ, *Tan. Fabri filiæ, Comœdiæ Terentii Gallice redditæ cum notis.* 84
Dacerii *Notæ in libros M. Aurelii Antonini ad seipsum* 249
Notæ ad Poëticam Aristotelis Gallice redditam. 560
Opera Horatii in linguam Gallicam translata, cum Annotationibus Criticis. 88
Christiani Donati *Institutiones Pneumaticæ.* 66
Michaëlis Angeli Fardellæ *Systematis universæ Philosophiæ Tomus I. rationalis & emendatæ Philosophiæ specimen tradens.* 39
Petri Francii *Orationes* 345
Hugonis Grotii *de Jure Belli ac Pacis Libri III. cum variorum annotationibus.* 456
Horatii *opera in linguam Gallicam translata cum Annotationibus Criticis Dacerii.* 88
Matthæi Horsti *Historia Rei numariæ, nec non ponderum & mensurarum.* 254
Petri Jurii *Examen libelli: Admonitio ad Exules de instanti illorum reditu in Galliam.* 54
Luciani *Dialogus, βίων πρᾶσις, Gallice versus notisque explicatus.* 144
Nicolai Machiavelli *Discursus Politici ad I. Decadem Historiarum T. Livii.* 39
Pacifici Maximi, *Poëtæ Asculani, Carmina.* 279
Joannis de Raei *Cogitata de Interpretatione, sive de Natura Humani Sermonis.* 69
Joh. Seldeni *Liber de Numis.* 254
Petri Sylvani Regis *Cursus integer Philosophicus, sive Systema generale secundum principia Cartesii.* 135.179
Alberti Christiani Rotthii *Annotationes in libros Ciceronis de Officiis.* 466
Terentii *Comœdiæ Gallice redditæ, cum notis Annæ Daceriæ.* 84
Gerhardi de Vries *de Renati Cartesii Meditationibus a P. Gassendo impugnatis Dissertatiuncula Historico-Philosophica.* 213
Joh. Christophori Wagenseilii *Dissertatio de Re monetali veterum Romanorum.* 14
Christiani Weisii *Orator Eruditus.* 473

IN

INDEX RERUM NOTABILIORUM
in hoc volumine obviarum.

Absolutionem *a peccatis quatenus denegare Confessarii queant.* 129
abusus multi comitantur. 63
Acamptæ *figuræ.* 445
Accentuum *Hebraicorum usus centum V. T. locorum expositione declaratus.* 388
primi fontes. 389
in occidentalibus linguis partitas. 390
Aclastæ *figuræ.* 445
Adversa, *ob quæ tristari debeamus.* 410
Ærarii *templi Hierosolymitani quot custodes?* 159
Æschyli *vetus Scholiastes notatus.* 109
Æstus *febrilis medela.* 492
Æthiopes *num eadem cum Judæis in religione senserint?* 163
Albigensium *origo, dogmata, persecutiones.* 261
Alcorani *refutatio utilis & necessaria.* 329
conscribendi adjutor Sergius. 331
inepta defensio. 332
futilitas. 375
Alexandri *Alexandrini Epistola cuinam inscripta?* 459
Alexander *(Natalis) notatus* 157. 540
Algebra *speciosa.* 167
Amisenorum *æra duplex, non triplex.* 199
Analyseos *infinitorum usus.* 169
Anathemata *efficacia num ab Ecclesia pronunciari possint?* 245
Ἀνέκδοτα *varia variorum.* 300
Anchylosis *circa genu curata.* 8
De Angelis *nova, sed periculosa Bekkeri doctrina.* 19. 542
Angelorum *apparitiones non expetendæ.* 451
malorum peccatum primum superbia. 515
metus ex Manichæismo. 21
Anglicæ *Historiæ Scriptores eorumque collectores.* 1
Angulus *contactus & osculi linearum.* 440. 442
Anima *bestiarum num a corpore distincta & separabilis.* 182
Animæ *natura & facultates secundum principia Carthesii.* 139
Animalium *imperfectiorum plures, quam perfectorum species* 78
species numerosissimæ 78
generatio ex semine animalculorum pleno. 182
Anonyma *scripta edere quatenus sit licitum?* 452
Ante-evolutarum *linearum usus.* 207
Anticaustricarum *linearum usus.* 207. 294
Anti-Christi *in primæva Ecclesia.* 419
Antonini *(M. Aur.) Imperatoris vita.* 250
Epistola ad Senatum Rom. supposititia. 251
Antoninianæ *Itinerarium illustratum.* 8

Apis arboreæ *mira sagacitas.* 80
Apollo *apud Milesios cultus.* 199
Apollonii (*Petri*) *Collatini atas asserta.* 559
Apostolorum *infallibilitas in docendo asserta.* 234
Apocalypticæ *ad septem ecclesias epistolarum historicæ, an prophetice?* 327
Apogæum *Solis immobile Siamensibus.* 489
Apparitionibus *Angelorum & Christi temere non fidendum.* 450
Aquæ *Tunbrigienses in doloribus nephriticis salutares.* 38
congelatæ diversa potentia ac liquidæ. 366
bonæ qualitates. 510
Aquarum *fluentium mensura.* 431. 510
circulatio 307
marinarum filtratio rejecta. 312
Arbor *quævis nonnisi annua planta.* 80
Arboris scientiæ boni & mali *contactus cur in Paradiso prohibitus.* 518
Arca fœderis *a sacris Ægyptiorum cistis non derivanda.* 322
una cum Templo in cineres redacta 322
Architectura *Militaris Vaubaniana.* 337
Du Fer. 56
Ariani *num aquarint orthodoxorum numerum?* 308
Aristotelis *Poëtica Commentario illustrata.* 561
Aristoteles *notatus.* 75. 82
Arminianorum *in Fœderato Belgio origo* 219
Arnaldi *Abbatis Bonæ Vallis scripta.* 537
Ἀρχιερεῖς *quinam in Historia Passionis Christi.* 428. 159
Assis *nomen & pondus.* 15
Astronomia *Siamensium.* 488
Augustini *loca contra Jansenium adducta.* 425
Aureus numerus *anni primi cycli decemnovalis 1 aut 19, juxta Dionysium & Bedam.* 192
Αὐτοκατάκριτος *non semper significat a se ipso condemnatum.* 564
Claudius Caspar Bachetus. 490
Baleus *notatus.* 35
Baptismus *duplex Constantini M. refutatus.* 541
Baptisterium *in una Diœcesi non nisi unum.* 393
Barclajus (*Robertus*) *oppugnatus.* 174. 175
Baronius *notatus.* 157. 158. 160. 162. 163. 164. 198.
Bassnagii *diversi.* 558
Beda *vindicatus.* 192
Bekkerus (*Balthasar*) *in Belgio nova de Spiritibus dogmata invulgat.* 19. *sqq.*
refutatus 542
Bellarminus *notatus.* 161. 298
Benthemensium *Comitum domestica liter.* 27
Bibliotheca *Vindobonensis. Vide* Vindobonensis.
Bigamia *quatenus permitti possit?* 257.
Böhmius (*Jacobus*) *ejusque sectatores censura notati.* 219
Bonaventura *non est auctor Psalterii Mariani.* 132
Joh.

Bosii (*Joh. Andreæ*) ἀνέκδοτα. 300
Bosſuetus *refutatus*. 464
Boteri (*Jo.*) *de aquis Danubii annuatim in Ponto influentibus ſententia examinata*. 513
Boyle (*Robertus*) *notatus*. 76
Britanni *num a Romanis Evangelium acceperint?* 158
Britanniæ *antiquitates* 7
Bruta *num rationis quodam gradu polleant?* 73
Bulgarorum *nomen & errores*. 261
Burtoni (*Roberti*) *fata*. 36
Bury (*Arthurus*) *notatus*. 36
Buxtorfius (*Joh.*) *notatus*. 193
Calculi *differentialis ſpecimen*. 292
Calculorum *in veſica geneſis*. 103
remedium 492
Calendarii *Gregoriani præſtantia*. 490
Calicis *in Euchariſtia uſum Carolus V. reſtituere petit*. 350
Camerarius (*Joachimus*) *notatus*. 561
Capitolinus (*Julius*) *emendatus*. 201
Carafæ *Domus Genealogia*. 402.553
Inſignia. 408
Principes Cardinalitia aliisque dignitatibus inſignes. 404
hodie florentes. 406
Primogeniti Principes de Roccella. 553
Carteſianæ *Philoſophiæ Syſtema*. 135.179
Carteſii (*Renati*) *vita luculenter deſcripta* 281
ſtudia 290
mors, ejusque cauſa. 286
duplex ſepultura. 287
filia naturalis. 290
diſcipuli. 291
Meditationum de Prima Philoſophia Hiſtoria. 213
antagoniſta Gaſſendus. 214
erga Jeſuitas ſtudium. 214
doctrina de continuo & pleno ex Ariſtotele hauſta. 156
philoſophia explicata. 155
Carteſius *notatus*. 75.78.148.184.214.
Caſaubonī (*Iſaaci*) *adverſarii & hyperaſpiſta*. 155
ἀνέκδοτα. 300
Caſaubonus *notatus*. 160
Caſſiodorus *notatus*. 91
Caſſini *obſervata & inventa varia*. 11.12.13
Catharina *Senenſis & Genuenſis diſtincta*. 558
Cauſæ *finales a naturali philoſophia non excludendæ*. 76
Cauſticæ *curvæ ſolutio per vulgarem geometriam Carteſianam*. 30.110
certa geneſis. 295
uſus 207
Chilmeadus *notatus*. 108
Chinæ Chinæ *uſus quando ſecurior*. 224
Chirurgia *infuſoria in cane ſcabioſo curando ſalutaris*. 93
Chriſma *quando in baptiſmo adhiberi cœptum?* 162
Chriſtiana *religio a calumniis Mahumetanorum vindicata*. 375
Chriſtianiſmi *primævi indoles*. 462.526
Chriſtianorum & *Ethnicorum doctrinæ comparatio & conſenſus*. 149

Christi *Historia ab Ethnicis etiam Scriptoribus tradita.* 151
Apotheosis num a Tiberio decreta? 164
acta mysticum in sensum a Quakeris detorquentur. 173
mortem quæ antecesserunt, explicata. 427
passio quo anno contigerit? 194
Deitas asserta. 376.154
Crucifixio adversus Mahumetanos vindicata. 376
Christophorsonus *notatus.* 199
Chronicon Paschale *emendatum.* 197. 198.
Chrysostomi *a Nestorianismo vindicia.* 522
ad Cæsarium monachum epistola. 304
Ciceronis *orationes juvenibus ediscendæ recitandæque.* 347
libri de Officiis laudati. 469
Cimbria *Litterata.* 94
Circulatio *aqueorum maris vaporum.* 307
Circumcisio *Mosaica eadem cum Patriarchali.* 125
non fuit signum τῶν Φυλακτικὸν 126
quem in finem a Deo instituta. 126
num ante Abrahamum in Ægypto locum habuerit. 127.164.
Clarksonius *Presbyterianorum promachus refutatus.* 391
Clavius *notatus.* 188.192
Clemens *Alexandrinus illustratus.* 109
Clericus *(Joh.) notatus.* 229.231.232.234
Clysterum *in re medica usus.* 92
Coccejus *notatus.* 228
Coevolutarum *linearum natura & generatio.* 444
Collegia *pietatis privata sub examen vocata.* 448
Colores *primarii seu radicales explicati.* 183
Columbus *notatus.* 195
Combefis *(Joh.) notatus.* 107
Comenius *(I. A.) qua occasione contra Fratres Polonos scripserit?* 422
Concilii *Nicæni quot canones?* 461
historia 457
Conciliorum *editio Luparensis Regia notata.* 356
Historiæ rite condendæ ratio. 356
Confessionum *& absolutionum in Ecclesia Rom. abusus.* 63
Confirmationis *Sacramentum num ex Act. VIII. 17. rite probetur?* 160
Conicarum *Sectionum generatio Abbatis de Lanion.* 11
Conjugium *inter comprivignos num prohibitum lege divina?* 256
cum defunctæ uxoris sorore num prohibitum? 256
ob quas causas dissolvi possit? 257
sine copula Sacerdotali validum. 258
putativum aquiparatur vero quoad liberorum successionem. 259

impar seu inaequale num liberos ad successionem in feudis regalibus ineptos reddat? 27
ex reverentia erga parentes contractum, validum. 565
Conscientiæ *casus explicati per Th. Barloum.* 563
per Sebelwigium. 449
Constantia *in adversis.* 409
Constantiensis *concilii decreta omnia a Martino V. approbata.* 354
Constantini *M. Baptismus duplex negatus.* 541
Epistola ad Arium & Arianos genuina. 459
Oratio in concilio Nicæno habita, fidelius a Gelasio quam Eusebio recitata. 460
Constantinopolis *num olim adeo ampla fuerit.* 396
Constantinus M. *num Cæsar fuerit, antequam pro Augusto se gereret.* 200
Contactus *angulus.* 440
Conyza *media pulverisata remedium efficax adversus dysenteriam.* 492
Cortesii (*Ferdinandi*) *res gestæ.* 524
Creationis *opera Divinæ sapientiæ monumenta.* 74
Crepusculum *minimum.* 446
Criticum *Dictionarium.* 474
Culter *quem adolescens improvide deglutiverat, per abscessum ejectus.* 502
Curvarum *osculationes earumque variæ generæ.* 110. 440
flexus contrarius. 442
intersectiones. 442
Curvatura *veli.* 202
elateris. 207
Curvæ *causticæ solutio per vulgarem geometriam Cartesianam.* 30. 110
Cycli *civilis & ecclesiastici* 84 *annorum Diagramma.* 189
Lunaris 95 annorum defectus. 191
Cycloidis *proprietas.* 10. 292
productio analoga communicationi Divinæ imaginis ad extra. 296
Cycloidarum *linearum usus & ad alias curvas relatio.* 207
Cyclois *Geometrica.* 10
Cyclus *Paschalis Latinorum.* 187
Ravennas. 189. 191
Dionysii Exigui Cyrilliano succedaneus. 191
530 annorum falso tribuitur Dionysio Exiguo. 191
Lunaris 95 annorum. 190
Cyrillus *Alexandrinus cycli annorum 95 auctor.* 190
Dæmoniacorum *morbus num naturalis?* 25
Danubius *quantum aquæ Ponto Euxino anni spatio invehat?* 513
Davidis *vaticinia de Christo vere prophetica.* 232
Decocta *Coffe, Thee, Salviæ, & Chocolatæ quomodo fructuose usurpanda?* 38
Dei *sapientia in operibus creationis manifestata.* 74

Deligationes *fracturarum & luxationum quarumvis corporis partium.* 7
Denariorum *pondus inde ab exceſſu Neronis imminutum.* 16
Deo *voluntates, generalis & ſpecialis, antecedens & conſequens, negata.* 138
Dez (*Joh.*) *refutatus.* 464
Diaboli *potentia exploſa.* 21.26
adſtructa. 543
Dialectica. *Vide* Logica.
Diaria *Eruditorum in diverſis Europæ partibus publicata.* 557
Diarrhœæ *remedium.* 492
Dictionarii *Critici ſpecimen.* 474
Dignitatis *tuendæ ratio.* 411
Diluviorum *particularium veſtigia.* 509
Dio *emendatus.* 199
Diocletiani *Iter a Lactantio deſcriptum.* 200
Diodorus Siculus *explicatus.* 131
Dioœceſani *Epiſcopatus defenſio.* 391
Diogenis *Laertii elogium, variæ editiones &c.* 315
Dionyſii Exigui *Cyclus.* 191
Divortiorum *cauſæ.* 257.565
Dominicani *a Jeſuitis in controverſia de gratia & arbitrio diſſident.* 219
Inquiſitores hæreticæ pravitatis 262
Dominium *in Gratia fundari, num docent Pontificii.* 568
Domitiani *perſecutio quando cœperit.* 196
Donatiſtarum *hiſtoria.* 328
hæreſis falſo Reformatis tributa. 328
Ductus thoracici *lamina membranea duplex* 100
Ductuum *lactiferorum in mammis deſcriptio* 98
delineatio 104
Duella *privata reprobata.* 471
Duffius *notatus.* 355
Dyſenteriæ *remedium.* 492
Ecchellenſis (*Abrahami*) *ſcripta ad Concilium Nicenum ſpectantia.* 460
Eccleſiæ *primitiva ſimplicitas commendata.* 463
unitas in quo olim conſtiterit. 529
num plures in una civitate olim fuerint. 393
vox abſolute poſita cathedralem priſcis ut plurimum denotat. 399
De Eclipſium *periodo locus Plinii reſtitutus.* 529
Echo *mirabilis.* 304
Elateris *curvatura.* 207
Eleemoſynæ *Muhammedanorum.* 378
Eccleſiæ Romanæ. 378
Eliſabetha *Friderici V. Palatini conjugis elogium.* 291
Eloquentia *corporis.* 345
Elyenſis *Eccleſiæ hiſtoria.* 5
Emanuelis *Philiberti Sabaudiæ Ducis vita & res geſtæ.* 559
Ephremi *Syri vita & ſcripta.* 541
Epiphanius *explicatus.* 393
Epiſcopi *num olim uni tantum eccleſiæ ſeu cœtui fuerint præfecti?* 527.391
num

num in pagis etiam fuerint constituti. 394
num monasteriis praefecti. 395
num amplis olim diœcesibus praefuerint. 399
Epocha *incarnationis Dominicæ in Gallia olim, hodieque Florentinis usurpata.* 192
Christi vulgaris Bedæ falso tributa. 192
Erizzus (*Christianus*) *notatus.* 18
Est est *nimium Germano cuidam exitiale,* 304
Estius *notatus.* 161
Ethnicorum *Theologiæ cum Christiana comparatio & consensus.* 149
Evangelii *S.* Marci *codex autographus.* 302
Evangeliorum *cultus.* 351
Evangelium nudum, *liber impius.* 36
Eucharistiæ *Sacramentum cur a Quakeris neglectum.* 176
Euclides *notatus.* 166
Eunuchi *ad Conjugium admissi.* 256
ad sacras functiones Venetiis non incepti. 303
Eunuchus *Candaces a Philippo baptizatus.* 163
fuerit ne ethnicus? 164
Evolutarum *linearum inventor Hugenius.* 441
natura. 114. 110
usus. 207
Evolutio *curvarum genitrix.* 444
Euripides *illustratus.* 109
Eusebius *explicatus.* 199
Eustathii *Antiocheni Oratio Gregorio Presbytero Cæsariensi memorata, num suppositia?* 460
Ezechiel *lateri incumbens.* 231
Fasciarum *Jovialium observationes Cassini novæ.* 362
motus & periodi. 362
Febris *tertianæ amuletum.* 492
causæ & natura. 183
Ferrariensium *medicorum historia.* 92
Ferreti *(Jo. Baptistæ) ἀνέκδοτα.* 300
Fidei *& rationis concordia.* 131
Figuræ *acamptæ.* 445
aclastæ. 445
Finales *causæ e naturali Philosophia non excludendæ.* 76
Flacci *Alcuini poëma de Pontificibus & Sanctis Ecclesiæ Eboracensis.* 6
Flemalli *(Ludovici) elogium.* 64
Florentinis *epocha incarnationis Dominicæ hodieq; usurpatur.* 192
Fluentium *aquarum mensura.* 431
Fluidorum *motus & velocitas in siphonibus recurvis.* 43
Fluviorum *causæ.* 310
Focus *linearis.* 169. 444.
Fœmina. *Vide* Mulier.
Fœtus *in utero materno vivit vitam piscis.* 60
Fogelii *(Mart.) ἀνέκδοτα.* 300
Fonticulorum *exiguus in tabe usus.* 38
Fontium *causa ex mente Edm. Halleji.* 308
P. Sylv. Regis. 181
Mutinenses admiranda scaturigo & natura. 505. 507

De Formicis *Plinii figmentum.* 81
Forulorum *Domini num Primogeniti familiæ Carafææ.* 553
Fox(*Georgius*) *auctor sectæ Quackerorum.* 172
Fractura *pedis notabilis in sene curata.* 8
Francii *(Petri) elogium.* 345. 348
Franciscani *Jesuitis admodum devoti.* 352
Frigus *subterraneum tempore æstatis.* 507
Fulberti *Carnotensis scripta.* 536
Fulminatrix *M. A. Antonini legio.* 251
Fulminis *mirus effectus.* 223
Funiculariæ *usus in re nautica.* 202
in staticis. 206
Furtum *in extremo necessitatis casu num licitum.* 453
Galilæus *provolutionem linearum generatricem primus consideravit.* 444
Galli gallinacei *laus festiva.* 348
Gallorum *arma defensa.* 51
exulum in patriam redeundi quæ spes? 49
conspiratio chimærica. 116
Gassendus *(Petrus) Cartesii antagonista.* 215
Gehennæ *timor num supernaturalis.* 353
Generationis *æternæ Filii Dei emblema Spira Bernoulliana.* 213
Gersonis *(Joh.) operum editio nova, sufflaminata.* 356
Gildæ *varii.* 3
Glandularum *novarum a recentioribus detectarum catalogus.* 97
conglobatarum structura. 99
conglomeratarum structura. 98
conglobatarum vasa lymphatica non sunt excretoria. 101
Glandulæ *conglobatæ musculosæ, conglomeratæ vasculosæ.* 100
nec pinguedinis fontes, nec cribra. 102
Gnosticorum *hæresis.* 419
Gomaristarum *controversiæ cum Arminianis origo & momenta.* 219
Gottignies *notatus.* 166
Græcos *inter & Latinos controversia paschalis.* 188. 190
Graviditas *ex urina non dignoscitur.* 38
Gravitas *corporum explicata.* 143
major versus Polos, quam sub Æquatore. 144
Gregoriani *Calendarii præstantia.* 490
Gregorii *XIII. P. M. numus de Hugonotis triumphans.* 305
Gregorius *Nazianzenus notatus.* 163
Grimaldi *Cardinalis elogium.* 353
Grotius *(Hugo) notatus.* 61
Guevarra *(Antonius) notatus.* 253
Gulielmi *Abbatis S. Theodorici scripta.* 537
Malmesburiensis ætas, scripta, dignitas. 4
Gulielmini & *Papini controversia de mensura aquarum fluentium.* 431
Hæmorrhoidum *fluentium in melancholicis commoda.* 38
Hæretici *quatenus in Republica tolerandi?* 563
an armis convertendi? 381
Haggæi *ætas incerta.* 233
Harduinus *(Johannes) notatus.* 195. 531. 532

Helleniſtæ *erant proſelyti apud Judæos.* 156
Herigonus *notatus.* 82
Hermanni *Tornacenſis ætas & ſcripta.* 536
Hermaphroditi *num a conjugio arcendi?* 257
Herniarum *inguinalium ſubjectum in viris & fœminis diverſum.* 104
Herodoti *locus explicatus.* 127
Herrichii (*Jac. Gothofredi*) μήνυτρον *in novam Diogenis Laërtii editionem.* 318
Heſychius *a mendis plurimis repurgatus.* 109
Hiberniæ *Proteſtantibus excidium a Jacobo II. Rege intentatum.* 568
Epiſcopi quot olim? 396
Hieroſolymitani *templi quot fuerint ærarii cuſtodes.* 159
Hiſtoria *Chronica Joannis Antiocheni, cognomento Malalæ.* 106
Eccleſiaſtica Fleurii. 446
conciliorum generalium. 457
Mexicanæ. 524
Hiſtoricum *corpus magnum a Daniele de Neſſel edendum.* 498
Hobbeſius *notatus.* 231. 542
Holſtenius (*Lucas*) *notatus.* 199
Homicidæ *num vitæ gratia fieri poſſit?* 565
Hominis *per animal rationale definitio rejecta.* 43
Horatius *animadverſionibus criticis illuſtratus.* 88
Hoſeæ *uxor ſcortum parabolicum.* 230
Hoſius *Sylveſtri loco præſes Concilii Niceni.* 460
Huetius (*Petrus Daniel*) *notatus.* 164. 231
Hugenii *inventa.* 441. 444
Hydatides *quædam infecta ſunt aut ſaltem illorum embryones aut ova.* 436
ovarii non niſi ovula inibi contenta. 439
Hydrophylacia *Mutinenſia.* 509
Hydropici *lumbrici.* 436
Hydropis *ovarii a vaſis ejus lymphaticis origo.* 103
Hymni, *Te Deum laudamus, ætas.* 542
Hyſtericæ *paſſionis remedium externum.* 492
Jacobi *Niſibienſis vita.* 541
Patriarchæ lucta cum Angelo, ex mente Bekkeri. 22
Janſenii *Harmonia Evangelica concremata.* 66
Janſeniſtæ *oppugnati.* 424
Jaquelotius *notatus.* 124
Idearum *natura ex ſententia Fardellæ.* 41
claſſes ſeptem. 136
Jejunium *Mahumetanorum explosum.* 379
Jeſuitarum *diſſidium cum Dominicanis de Gratia & Arbitrio.* 219
dogmata quædam rejecta. 65. 66
Ignatii *vita.* 540
apophthegma, ἡ ἐμὸς ἔρως ἐσταυρώθη, *explicatum.* 540
Ignis *ſacer apud Judæos in itinere ab altari remotus.* 320

Imago divina *in quo conſtiterit.* 519
Imaginis divinæ *communicatio analoga productioni cycloidis.* 269
Imagines *in templis erigere, in Anglia prohibitum.* 567
Chriſti, Mariæ, Jo. Baptiſtæ, a Turcis Conſtantinopoli in templo S. Sophiæ retentæ. 377
Imperium *abſolutum, malum neceſſarium.* 186
Inimicitiæ *privatæ improbatæ.* 471
Innocentius XI. *P. R. Gallis exoſus.* 51. 52
Inquiſitionis *Romanæ quæ autoritas in Gallia.* 352
Inquiſitorum *hæreticæ pravitatis origo.* 262
Inſignia *familiæ Carafæ.* 408
Intentionis *miniſtri in Sacramento quæ efficacia?* 355
De Interpretatione *tractatus Joh. de Raei.* 69
Joanna *Papiſſa.* 303
Joannes *Antiocheni plures.* 107
Joannis *Magiſtri Commentarius in Dionyſium Halicarnaſſeum.* 496
cognomen Canabutius. 497
Joſephus *emendatus.* 198
explicatus. 128
notatus. 128
Jovialium *macularum obſervationes Caſſiniana.* 360. 362
faſciarum obſervationes Caſſinianæ. 362
Φαινομένων *cum Terreſtribus analogia.* 360
Satellitum theoria. 31
Italicum *itinerarium.* 301
Judas *proditor quando & cum quibus de morte Chriſti egerit.* 429
Judæi *quatenus in Chriſtiana Republica tolerandi.* 566
num corruperint vetus Teſtamentum. 334
avidi ſanguinis Chriſtiani unde crediti. 14
num unquam ea Reipublicæ forma uſi fuerint, qualis in Talmude depingitur. 387
Lactantius *emendatus.* 195. 200. 201
illuſtratus. 194
notatus. 195. 201
Lactiferorum *ductuum in mammis valvulæ nullæ.* 98
deſcriptio. 98
Lactis *in mammis ſecretio.* 98
Lambecianorum *de Bibliotheca Vindobonenſi Commentariorum Supplementum.* 494
Lanioni *inventum.* H
Lauretana *ædes deſcripta.* 303. 305
Lapis *plumbarius remedium contra dolores calculi.* 492
nephriticus caput humanum mole æquans. 302
Latinorum *Cyclus Paſchalis.* 187
controverſia cum Græcis de paſchate. 188. 190
Legerus *(Joh.) notatus.* 264
Legitimatio *liberorum naturalium in præjudicium legitimorum nulla* 259

Legum *Lauterbachiano juris compendio obſtantium reſolutio.* 219
Leibnitii *(G. G.) inventa.* 10.440
Leonis *XI ad Pontificatum evecti hiſtoria.* 218
Lepores *ea quæ pone tergum ſunt, vident.* 81
Libertatis *naturalis mas, excluſa fœmina, capax.* 68
Lichtfootus *notatus.* 157.160
Lien *inſolitæ magnitudinis.* 534
Ligaturæ *a Borello inventæ deſcriptio.* 8
Lignum *effoſſum coralliorum inſtar dureſcens.* 506
Linea *ex lineis infinitis formata.* 168
curva. vide Curva.
cauſtica. vide Cauſtica.
anticauſtica. vide Anticauſtica.
Lineæ *ordinatim dictæ.* 168
coevolutione generantes. 160
Linearis *focus* 169.444
Linearum *antevolutarum uſus.* 207
Linguarum *Orientalium & Occidentalium diverſitas.* 390
Liquorum *natura.* 179.180
Logica *alia vulgaris, alia philoſophica.* 71
Carteſiana. 136
mathematica. 165
Lovanienſium *Theologorum fata in curia Romana.* 353
Lucernæ *ſepulchrales veterum.* 225
Lumbrici *hydropici.* 436
Luminis *natura.* 44.184
Lunæ *incolæ aſſerti.* 36
Lunaris *cyclus 95 annorum, ejusque defectus.* 190. 191
Luniſolaris *periodus Ludoviciana 11600 annorum.* 489
Lunulæ *ſphericæ quadratura.* 277
Lutatiorum *(Caii & Quinti) fratrum hiſtoria.* 91
Lymphatica *vaſa cerebri oſſisque cribroſi foraminula applentia.* 37
glandularum conglobatarum non ſunt excretoria. 101
renum, ovariorum, iliaca, uteri. 102.105
muſculorum abdominis & peritonei. 103
Lymphaticorum *vaſorum tunica non ubivis ſimplex.* 100
e globulis contexta. 100
exortus. 101
Lymphaticarum *valvularum ſtructura.* 101
Macularum *Jovialium obſervationes.* 360
periodi. 362
Magicorum *quadratorum ſyntheſis.* 490
Magnetis *natura explicata.* 181
Mahumetanorum *convertendorum ratio.* 330
ſectæ, purificationes, preces, jejunia, & inſtituta alia. 377-381.
Mahumeti *vita.* 331
nulla in Scriptura S. mentio. 335
miraculafalſo jactata. 371.375
Mahumetiſmus *ſcriptis oppugnandus.* 329
oppugnatus. 332.371
Majemonides *notatus.* 148
Malalæ *(Joannis Antiocheni) ætas, ſcripta &c.* 107.108

Maldivæ *insula veterum Taprobanæ reliquiæ.* 491
Maldonadus *notatus.* 161
Malebranchius *notatus.* 184
Malletus *notatus.* 130
Mammæ *vasis lacteis destituuntur.* 98
Manuum *impositionis ritus & varia genera.* 160. 161
Marci *Evangelistæ codex autographus.* 302
B. Mariæ *virginis cultus superstitiosus.* 65
Mariottus *notatus.* 143. 181
Maris *fluxus & refluxus explicatus* 181
vaporum aqueorum circulatio. 307
Marshamus (*Joh.*) *notatus.* 127. 164. 181
Mathematicæ *universa usualis theoria.* 165
impedimenta. 166
idea generalis, seu Dictionarium. 9
Matrimonium. *Vide conjugium.*
Maximi (*Pacifici*) *ætas, & scripta.* 279
Meccanæ *peregrinationis stoliditas.* 379
Meccani & *Medinensis templorum descriptio.* 331
Medicorum *Ferrariensium catalogus.* 92
Melancholia *num præparatio ad prophetandum.* 229
Memnon, *Auroræ filius, num Æthiops.* 299
Mendoza (*Franciscus*) *notatus.* 65
Mentis *humanæ defectus.* 41
Mercurius *pulmonibus inimicus.* 313
sanguini injectus hunc coagulat. 314
Merulæ (*Pauli*) ἀνέκδοτα. 300
Metallorum *materia & varia genera.* 180
Metaphysica *Cartesiana.* 137
Mexicana *a Cortesio quomodo occupata.* 524
Mineralium *natura & diversa genera.* 180
Miraculorum *in probanda veritate Christiana momentum.* 548
in Romana Ecclesia exempla. 375
Missarum *libri antiqui.* 477
varia apud Pontificios genera 349
siccarum descriptio. 350
celebratio in mari. 350
Molocho *sacrificati liberi.* 325
Monasteria *Germaniæ a Bruschio descripta.* 500
ante seculum IV. nulla. 395
Monetaria *res veterum Romanorum.* 14
Montium *utilitas.* 312
Montfortiorum *Comitum genealogia.* 263
Morales *propositiones quædam damnatæ.* 352
Morum *doctrina a Cicerone accurate tradita.* 469
Cartesianorum. 185
Moses *verus Pentateuchi auctor.* 231
Motus *leges ac ratio.* 141

Mulierum *num qua in Ecclesia functio & auctoritas.* 350
jus baptizandi in casu necessitatis. 351
Mundi *æternitas rejecta.* 75
Munimentorum *probe erigendorum ratio.* 337
Mutinensium *fontium admiranda scaturigo.* 505
hydrophylacia. 509
morbus A. 1691. epidemicus. 221
Νάρδος πιστικὴ *quid.* 429
Nasi *os luxatum.* 8
Natura *plastica.* 77
Navium *velocitatis dimensio.* 203
Nebulosa *stella inter utrumque Canem.* 12
Nennii *ætas & scripta.* 4
fides exigua. 395
Niceni *concilii canones.* 461
historia. 457
Nicolaus *(Henricus) secta nova in Belgio auctor.* 173
Nicotianæ *fumus quibusnam salutaris vel noxius.* 38
folia æstum febrilem mitigant. 492
Nobilius (*Flaminius*) *notatus.* 522
Numariæ *rei mutatio & augmentum.* 523
scriptores. 254
notabilia varia. 15
Numi *novi a veteribus olfactu discernuntur.* 19
Obadiæ *prophetæ ætas incerta.* 233
De Obizzonibus *Marchionissa pudicitiæ victima.* 302
Oculi *panno detergendo remedium.* 492
admiranda fabrica. 82
Olfactui *nimius sternutatorii pulveris usus noxius.* 37
Orator *eruditus.* 473
Oratorii *Presbyteros inter & Jesuitas æmulatio.* 62
Presbyteri abusus in Romana Ecclesia reprobant. 64.65
Ordinationes *Apostolicæ.* 307
Orphici *Dei trinum nomen.* 108
Osculationes *linearum curvarum.* 110. 440.
Ossa *majorum pecuniæ vicem sustinentia.* 15
Oxonienſium *Episcoporum & Scriptorum historia.* 35
Pacificationum *historia publicanda.* 501
Pacis *inter Fœderatos ac Gallos conditiones efficta.* 55
Pagi (*Antonii*) *notatus.* 191.196.197.199
Pajonius *notatus.* 122
Panvinius *notatus.* 198
Papillarum *mammarum structura.* 99
Papini (*Dionysii*) *& Gulielmini controversia circa mensuram aquarum fluentium.* 431
Parabolæ *proprietates quædam.* 210
Paradisi *situs.* 297
Parallelismi *definitio.* 441
Pascalius *notatus.* 252
Pascha *quo die celebraverit Christus?* 428
quo loco? 430
Paschalis *cyclus Latinorum.* 187
Ravennas. 189.191
controversiæ origo & historia. 188.190

Patriar-

Patriarchæ *throno licet injuſte deturbati unitatem eccleſiæ non ſciderunt.* 236
Patricius *Hibernus fictitius.* 396
Pauli *V. Pontificis controverſia cum Venetis* 219
Pearſonius *notatus.* 161. 164
Peccatum *primum Angelorum malorum ſuperbia.* 515
hominum ſuperbia. 520
philoſophicum unde efficium. 246
condemnatum. 352
Penduli *vibrationes horariæ.* 10
Pennius *Sabellii hæreſin amplexus.* 174
pro Jeſuita habitus. 177
Pentateuchi *verus auctor Moſes.* 231
Percuſſio *corporum explicata.* 142
Peregrinationes *ſacræ Muhammedanorum & Chriſtianorum comparatæ.* 379
Pericauſticarum *linearum uſus.* 207
Periodus *Luniſolaris Ludoviciana 11600 annorum.* 489
Victoriana Dionyſianæ prælata. 191
eclipſium 223. menſium Chaldæis Saron. 531
Peritonæi *diverticula.* 104. 106
Pernionum *medela.* 492
Perraltus *notatus.* 181. 183
Perſecutorum *mortes a Lactantio deſcripta.* 194
Perſpectiva *practica P. Andreæ del Pozzo.* 46
Petavii (*Dion.*) *verſio Epiphanii emendata.* 398
Petavius *notatus.* 157. 192
Petiti (*Petri*) *dixerdoξα.* 300
error notatus. 229
Petri *legatio Act. VIII. 14 primatui Papæ adverſatur.* 158
martyrium. 196
Pharmacopœa *Bateana.* 93
Philoſophiæ *origo ex mente Huetii.* 148
Carteſiana Syſtema. 135
experimentalis utilitas. 493
Philoſophi *ſub haſta venales, Luciani dialogus.* 130
Phyſica *male cum medicina confunditur.* 71
Carteſiana. 140. 179
experimentalis. 493
Pignatellorum *familiæ antiquitas.* 409
Pionii *martyrium.* 197
Piſcium *inſtrumentum natationis.* 79
Pitſeus (*Johannes*) *notatus.* 35
Plantarum *flore irregulari tetrapetalo deſcriptio.* 273
natura. 182
Plato *notatus.* 136
Plauti *comparatio cum Terentio.* 85
Pleuritis *venæſectione non ſemper curatur.* 222
Plinius *illuſtratus.* 7. 16. 529
Pluviales *aquæ num cauſa fontium?* 311
Pneumaticæ *Inſtitutiones* 66
Pœna *mortis num homicidæ poſſit remitti.* 565
Poëtarum *Græcorum fragmenta a Bentlejo edenda.* 109
opera a diverſis edita. 83

Anglo-

Anglorum poëmata junctim edita. 84
Poëtica *Aristotelis Gallice versa & novo commentario illustrata.* 560
auctori suo vindicata. 561
mutila ad nos pervenit. 561
inter artes locum habet. 562
Poiret *notatus.* 176
Polybii *librorum excerpta.* 497
Polycarpi *Smyrnensis vita.* 540
martyrium. 198
Polygamia *num aliquando tolerari possit.* 257
Polypus *arteria magna ascendentis.* 221
Pomponatius *(Petrus) notatus.* 147
Pomponii *Historia de origine juris illustrata.* 67
Pontifex *Judæorum Senatu fuit inferior.* 158
perpetuum vicarium non habuit. 156
Romanus num Generali Concilio subjectus. 354
Pontificii *num ob adorationem in sacramento idololatriæ accusandi.* 178
Pori *terræ.* 179
Prædicamenta *Peripateticorum impugnata.* 42
Presbyterorum *in ecclesia functio & auctoritas.* 528. 306
duplex ordo, præsidentium & subsellianorum. 307
Principia *corporum naturalium num Acidum & Alcali?* 493
Prophetarum *ante legem, sub lege & sub evangelio historia.* 232. 233
Prophetiæ *donum num adhuc duret in Ecclesia?* 234
Propheticarum *revelationum modi varii.* 227
Prophetissæ *variæ.* 234
Przipcopii *(Samuelis) vita & scripta.* 415. 421
Pseudonyma *scripta num licitum edere?* 452
Ptolemæus *illustratus.* 7
Quadratorum *magicorum synthesis.* 490
Quadratura *testudinis hemisphæricæ.* 275. 370
variarum sphæricarum superficierum. 276
lunulæ sphæricæ. 277
Quakerismi *origo, progressus, dogmata.* 172-176
consensus cum Pontificia religione. 176
tolerantia certis legibus decreta. 177
in Deismum aut Atheismum degeneratio. 178
Rationis *& fidei concordia.* 145
Ravennatis *cycli explicatio.* 191
Reformati *cum Donatistis male comparati.* 328
Refractio *corporum in aquam oblique impingentium.* 142
Religionum *diversarum tolerantia limitata.* 563. 245
per arma propagatio improbata. 381

Rembranz (*Dietericus*) *sutor & rusticus Cartesii discipulus.* 291
Richardus *Rex Angliæ num Lucæ sepultus.* 304
Rigidissimus *in Romana Ecclesia quid?* 64
Roccellæ *Principibus primogenitura Familiæ Carafææ vindicata.* 553
Rohaltius *notatus.* 184
Romanæ *Ecclesiæ defectus ab ipsis asseclis notati.* 63
Rosæ *rubra pulverisata pharmicum egregium.* 38
Ruelius *notatus.* 461
Sabbatum *magnum quodnam?* 198
Sacerdotii *origo, officium &c.* 306. 322.
Aaronicum Sacerdotio Christi collatio. 322
Sacramenta *vilipendunt Quakeri.* 175
Sacrificiorum *origo.* 321
Saganatus *munus quodnam apud Judæos.* 159
Sal *marinum remedium pro muliere hysterica.* 492
Salium *diversa genera.* 179
Salmasii (*Claudii*) ἀνέκδοτα. 300
Salomonis *librorum divinitas vindicata.* 232
Sanctius *notatus.* 160
Saron *quid Chaldæis olim?* 531
Satanas. *Vide Diabolus.*
Satellitum *Jovis ac Saturni Theoria.* 11
Scabies *notabilis apud Mutinenses.* 223
Scaliger (*Josephus*) *notatus.* 156. 159. 191
ejus ἀνέκδοτα. 300
Schelstratenus (*Emanuel*) *refutatus.* 40
Scholastica *Theologia.* 246
Scotorum *historia.* 6
Scripturæ S. *loca illustrata aut in alienum sensum detorta:*

Genes.	II.	8 - 15.	297
	III.	1. seqq.	24. 544.
		14.	519.
	IX.	6.	565.
	XVII.	20.	335.
	XXXIII.	20.	386
Exod.	XXV.	seqq.	319. seqq.
	XXVIII.	20.	323.
	XXXII.	34.	23.
Levit.	XVIII. XX.		256.
Num.	XII.	8.	229.
Deuter.	XVIII.	15.	335.
	XXIII.	24. 25.	455.
	XXXV.	31.	565.
Jud.	XX.		231
1. Sam.	XVI.	14.	25.
	XXVIII.	7.	25.
1. Reg.	VIII.	10.	383.
	XXII.	19.	228
1. Chron.	XXII.	2.	24.
Job.	I.	6.	23.
	II.	1.	23.
		7.	544.
Psalm.	XIX.	4.	386.
	XLV.		335.
	XLVIII.	2.	336.
	CIX.	6.	23.
	CXVIII.	22.	336.
	CXXXII.		536.
Esa.	VIII.	1.	233.
		2.	233.

Esa.	IX.	2.	383.
	XX.	2.	230.
	LXVI.	19.	163.
Jerem.	IV.	10.	231.
	IX.	28.	128.
Ezech.	IV.	4. 5.	231.
	XIV.	7. 9.	231.
Dan.	II.	34.	336.
	VII.	1.	228.
		6.	325.
	X.	5. 6.	228.
	XI.	4. sqq.	228.
Hos.	I.	2. 3.	230
Zachar.	I.	8. 9. 11.	228.
Matth.	IV.	1. seqq.	24. 516.
	V.	21.	416.
	VI.	10.	416.
	VIII.	28.	26.
	XII.	3. 4.	454.
	XIII.	25.	23.
	XVII.	2.	24.
		15.	26.
	XVIII.	10.	23.
	XXII.	11. seqq.	172.
	XXIII.	8.	427.
	XXIV.	36.	155.
	XXVI.	1. sqq.	426. sqq.
Marc.	I.	23. sqq.	297.
	IX.	2.	195.
	XIV.	3. 6. 11.	426. 429.
		12.	427.
Luc.	III.	2.	159.
	IV.	35.	544.
	VIII.	12.	23.
	XIV.	23.	172. 564.
	XXII.	4. 5.	427.
Joh.	I.	14.	155. 229.
	IV.	24.	131.
	V.	39.	175.
	VII.	22.	125.
	VIII.	20.	158.
		58.	155.
	XII.	2.	426.
		31.	26.
		41.	155.
	XIII.	22. 30.	427.
	XIV.	16. 30.	336.
	XVI.	13.	234.
	XVII.	5.	155.
Actor.	IV.	6.	160. 428.
	V.	3.	545.
	VI.	1.	156.
	VII.	43.	326.
	VIII.	7. 9.	163. 545.
		1. 5.	157.
		17.	160.
	XI.	19. 20.	156.
	XII.	15.	23. 536.
	XIII.	8.	545.
	XVI.	16.	545.
	XVIII.	24.	385.
	XIX.	12.	545.
	XXII.	17.	228.
	XXIII.	24.	385.
Rom.	II.	28.	125.
	III.	1.	127.
	IV.	11.	125
	VIII.	20.	518.
	IX.	4.	132.
	XV.	4.	132.
1. Cor.	I.	6. 27.	382.
		11. 12.	384.
		26.	131.

IV. 6. 384.
X. 15. 146.
XIV. 449.
XV. 24. 418. 419.
8. 125.
XVI. 29. 437.
2. Cor. IV. 4. 26.
XII. 2.3.4. 228. 383.
7. 25.
Gal. IV. 24. ſeqq. 110.
Eph. II. 2. 26.
12. ſqq. 126.
VI. 11. 23.
12. 26.
Phil. I. 1. 307. 392.
Coloſſ. I. 15. 418.
II. 4. 16. 418.
15. 26.
1. Theſſ. II. 6. 386.
V. 22. 382.
2. Theſſ. II. 439.
1. Tim. II. 14. 520.
III. 1. ſqq. 306.
6. 7. 23. 515.
16. 155.
IV. 14. 528.
2. Tim. II. 26. 23.
III. 16. 17. 132.
Tit. III. 10. 564.
Ebr. I. 8. 9. 451. 521.
X. 5. 155.
Jac. I. 21 125.
II. 7. 25.
IV. 5. 232.
7. 23.
1. Pet. I. 1. 131.
V. 8. 23.
2. Pet. I. 19. 20. 230.
1. Joh. V. 7. 135.
Jud. v. 6. 7. 516.
9. 24.
Apoc. II. 10. 23.
XIII. 11. 177.
XXI. 19. 323.

Scripturæ S. *lectio laicis a Pontificiis quibusdam vindicata.* 130
integritas contra Muhamedanos aſſerta. 333
auctoritas a Muhammedanis pro ſe, ſed inepte, allegata. 335
Seculum *præſens & futurum.* 336
Seldenus *notatus.* 160
Senecionis *herba amuletum adverſus febrem tertianam.* 492
Seniorum *dignitas, &c.* 306
Sermo *humanus alius communis, alius philoſophiæ proprius.* 72
Sexus *mutati exemplum.* 39
Siamenſis *regni deſcriptio.* 480. 485
Siamenſium *Aſtronomia.* 488
veſtitus & victus. 481
ſtudia. 482
metalli fodina 480
moneta. 483
leges & judicia. 484
ſacra & ſacerdotes. 485
in Chriſtiana fide informandorum ratio. 487
Simon (*Richardus*) *notatus,* 134. 135. 231. 465
Magus Joſepho memoratus num idem

idem cum eo, de quo Act. VIII. 9. agitur. 163
Socinianismus *invalescens.* 123
Solis *apogeum Siamensibus immobile.* 489
Specierum *in regno animali occurrentium numerus.* 78
Spectra *negata a Bekkero.* 26
Spencerus *notatus.* 125. 128. 164. 320. 322
Sphæricarum *superficierum quadratura.* 276
lunularum quadratura. 277
Spinoſa *notatus.* 149. 230. 231, 234
Spira *mirabilis Bernoulliana.* 210
emblema variarum rerum. 212
aterna generationis Filii Dei. 213
Spiritus *an poſſit agere in corpus.* 546
Sponſalia *quatenus irrita reddi poſſint.* 255
Status *probationarius Angelorum & hominum primævus.* 514
Stellæ *per tubum ut binæ, tres, quatuor, comparentes.* 12
Stephani *(Henrici) ἀνεκδοτα.* 300
Stephani *protomartyris viſio.* 234
Stercus *humanum exſiccatum, remedium pro oculis.* 492
Sternutatorii *pulveris nimius uſus olfactui noxius.* 37
Steyartus *defectuum Eccleſiæ ſuæ (Romanæ) teſtis.* 63
impugnatus. 129. 62
Stoicæ *philoſophiæ præſtantia & nævi.* 252
Strigæ *ripa quid Lactantio?* 209
Stubrock *(Bernardus) idem cum Honorato Fabro.* 56
Studiorum *inſtituendorum methodi.* 343
Suidas *emendatus.* 581
Superbia *primum Angelorum lapſorum & hominum peccatum.* 515. 520
Sylvius *(Franc. Le Boi) notatus.* 71
Symbola *heroica Carafarum.* 408
Symbolum *Apoſtolicum hodiernum Eccleſiæ Romanæ debetur.* 540
Synedrium *magnum apud Judæos.* 324
Tabaci *laus hymno decantata.* 84
Tabernaculi *Levitici myſteria.* 319
Talmudicorum *de Synedriis ſuis hiſtoriæ dubiæ ſunt fidei.* 324
Talparum *oculi aſſerti ac deſcripti.* 81
Taprobanæ *veterum reliquiæ, inſulæ Maldivæ.* 491
Terentii *comparatio cum Plauto.* 85
cum Cicerone. 86
ſcenæ & actus paulo aliter diſtributi. 87
nova editio ab Anna Daceria adornata. 84
Terræ *ejusq; pororum natura.* 179
Teſtudinis *hemiſpharicæ quadratura.* 275. 370
Theologia *Dogmatica Joach. Hildebrandi.* 413
Tiberius *num Chriſti apotheoſin decreverit.* 164
Tolerantia *diverſarum religionum limitata.* 563. 245

Tolosanorum *Comitum genealogia.* 263
Tragœdiæ *fata.* 562
Tragœdi *veteres a scholiaste Æschyli conficti.* 109
Tridentinæ *fidei professio examinata.* 466
S. Trinitatis *mysterium gentilibus aliquo modo cognitum.* 160
Muhamedanis merito agnoscendum. 376
Scholasticorum terminis implicatur magis quam explicatur. 42
Tubulorum *lactiferorum delineatio.* 98
Tunbrigienses *aqua in doloribus nephriticis salutares.* 38
Tunica *lymphaticorum vasorum, e globulis contexta.* 100
Turcarum *imperium num per pardum Dan. VII. significatum.* 325
Vacuum *num a Deo produci possit.* 140
Valdensium *historia.* 259. sqq. 265. sqq.
hodiernorum accusatio. 50
defensio. 60
Valesius *(Henricus) notatus.* 199. 392
Valvularum *lymphaticarum structura.* 101
Vapores *quomodo e mari ascendant* 308
resolvantur. 309
causæ fontium. 310
Vasa *lymphatica animalis corporis varia.* 37. 100. 101. 102. 103. 104. 105
Vasorum *ejusdem altitudinis & basis, quorum unum æqualis ubique amplitudinis, alterum infra latius quam supra, diversi effectus.* 366
Velschii *(Georg. Hieron.) ἀνέκδοτα.* 300
Velum *quando in funiculariam curvetur.* 204. 205
quando in circulum. 203. 205
qua vi impellatur. 203
Venæsectio *in pleuritide interdum noxia.* 222
Veritas *duplex num detur.* 147
Vesuvius *mons descriptus.* 303
Vibrationes *penduli horarie.* 10
Victoriana *periodus Dionysiana prælata.* 191
Vindobonensis *Bibliothecæ præfecti.* 495
Codices MSti. 495
Virgilius *(Polydorus) notatus.* 2
Uladislai I. *Bohemiæ Regis avia pastoris filia.* 29
Unctio *Christi num a muliere facta a mortis ejus intuitu.* 249
Vorstius *(Guilh. Henr.) notatus.* 216
Vossii *(Joh. Gerh.) ἀνέκδοτα.* 300
Ureteres *non ubivis æqualiter extensi.* 103
Uroscopia *caute adhibenda.* 48
Uteri *fœminei anatome nova.* 97
Waltonus *(Isaacus) notatus.* 37

ERRATA.

Pag. 23. lin. 22. pro Matth. *XIII. 30.* lege *XIII. 25.* P. 24. l. 34. pro *1. Chron. XXXII.* lege *XXII.* P. 181. l. 18. pro *fluviis* lege *pluviis.* P. 192. l. 24. pro 1690, lege 1692. P. 298. l. 34. pro *Orientalius* lege *Occidentalius.* P. 299. l. 8. pro *Occidentalius* lege *Orientalius.* P. 537. l. 1. pro *Ernardi* lege *Ernaldi.*

BIBLIOTECA